Chorus musarum, id est, elogia, poemata, epigrammata, echo, aenigmata, ludus poeticus, ars hermetica, &c; / [Jan de Bisschop].

Contributors

Bisschop, Jan de, 1646-1686.

Publication/Creation

Leyden : J. du Vivie & I. Severini, 1700.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/tj9kyp7u

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

13865/A e - 2. 6

SAMUEL PARR.

2651 R/2

12 A 2595

J. Goeree delin. J. Mulder sculp.

Lugd: Bat: *apud* { JOHANN: du VIVIE & ISACUM SEVERINUM. A°. 1700.

JANI DE BISSCHOP

CHORUS

MUSARUM,

Id est,

ELOGIA,
POEMATA,
EPIGRAMMATA,
ECHO, ÆNIGMATA,
LUDUS POETICUS,
ARS HERMETICA. &c.

LUGDUNI BATAVORUM,

Ex Officina { JOH: DU VIVIE, ET IS: SEVERINI, } MDCC.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

Nobiliſſimo, Ampliſſimoque Domino,

CORNELIO KIEN,

Viro Conſulari,

Societatis Indæ apud Valachros Ephoro,
ſalutem, & annos

JANUS de BISSCHOP.

Peccaret, Vir ampliſſime, ambitioſus libellus meus, qui ſub tutelæ tuæ umbone expetit legi & commendari, niſi gratiæ nominis tui conſecraret ſeſe, qui me inter familiares admiſiſti tuos; & optimæ indolis, optimæque ſpei adoleſcentem, filium tuum unicum, ſub diſciplinâ meâ, humanioribus literis imbuendum credidiſti. Ipſe me ad literaturæ culturam, tam præmiis, qùam beneficentiâ exſuſcitas, atque invitas. Magnificentiſſima commerciorum apud Valachros & Indos florentium Societas Ephorum te, & Atlantem ſuum, lon-

gâ currentium annorum prudentiâ, uſuque probatum, ac veteranum, emeritumque veluti Dictatorem, imperiô longè graviſſimô auctoravit. Detulêre ſemper plurimum conſiliorum tuorum oraculis Patres patriæ, mercatorum clariſſimorum, & Societatis totô terrarum etiam barbararum orbe famoſiſſimæ Anteſignani; quibus in ſumptuoſiſſimis mari adornandis claſſibus, mercibus, armis, viris, nummis, commeatu, omniumque rerum neceſſariarum inſtructu, atque apparatu ſuccollaſti. Benè collocas peregrina mercimonia, quæ ex Javâ, Bantemiô, Macazariâ, Ceillone, ultimôque Oriente, in Belgium fœderatum, lucroſô nimis invidendôque foenore, onerariis claſſibus advehuntur. Repudias animô generoſiore congiaria; nihil in privatos uſus, nihil in quæſtum magnificentiamque

propriam reſervans, emolumento publico invigilas, ac foeneraris. Fides tua infucata, & illibata, rectuſque de juſtitiâ ſenſus; integra, inviolataque, & incorrupta ſinceritas, in tractandis, vendendis, ac diſtrahendis pretioſioribus gazis, gazophylacioque adminiſtrando. Nec aſſiduæ te frangunt curæ, dum ad clavum Reip. Indæ, auctoritate ſummâ ſedes, tot claſſibus ordinandis, adornandis, onerandis. Florebit (ita vovet conſpirantibus linguis, atque animis Belgium, & unà cum Belgiô minimus ego, animô tamen non minimô) florebit non interitura tui memoria, immortalitate nominis, ac famâ laudum ſempiternâ; quia feliciter, quidquid poteſt induſtria magnanimitas exequi, impleviſti. Perdifficile eſt laudare te, quod laudari ſatis pro meritis nec vis, neque potes: nam

ſuæ evileſcunt laudes per modeſtis: animum virtute ſummâ majorem produnt, & ſubmiſſione minimâ minorem; hôc ipſô maximis ſuperiores, cùm ſe imis inferiores gerunt. Ex hôc fonte animæ magnæ commendationes ſuas, quaſi modeſtiæ convicia, plauſibileſque contumelias excipiunt: facilè erubeſcit generoſa verecundia, cui laus ſua omnis ſordet. Glorioſa virtus ambit & admiratione coli, & ſilentiô commendari: eſt enim admiratio præco ac tuba gloriæ, & taciturnitatis laudandæ interpres muta. Silentiô itaque venerabor, Vir ſumme, ingenuam modeſtiam tuam, quâ celari magis, qùam deprædicari vis: tacebo, Vir Conſularis, qùod populorum corda, cum cordibus amores feceris tuos, peramicâ comitatis illecebrâ. Non dicam, quod in hoc uno cogitationes omnes

tuas

tuas fixeris, ut qui tuo ſubjecti ſunt populi imperio, ſint & perquam beatiſſimi, & omni rerum copiâ, ad baſilicè vivendum, florentiſſimi; quorum ſaluti, dignitatique perornandæ, amplificandiſque fortunis impigrè laboras. Sanè non unum hominem oportet eſſe, qui negotiorum publicorum moderator ſedeat: idem pro cauſis ſententiam, pro forô juſtitiam, pro ærario benè erogando fidem animo indefeſſo complectatur. Magnus eſt, qui hominem unum maſculè agit, longè major, qui plurimos; ſupra maximum quam longiſſimè eniteris, Vir maxime, qui ſic es maximus in omnibus, ut omnibus omnia, unus par omnibus eſſe videaris. Unus eſt Sol in omnibus, & omnia; colluſtrat Stellas, pingit gemmas, inaurat meſſes, arbores fœcundat; colorat flores, palleſcit in liliis,

flaveſcit in calthâ, in roſâ purpurat, in graminibus herbeſcit; revireſcit in Jaſpide, ludit in Topaſio, rutilat in Carbunculo, in Adamanteſcintillantibus radiis inardeſcit. Tu verò, præluſtris Domine, mercatorum fax, Societatis Indæ lumen, Ephororum præſides choro ac foro, quaſi tot ſidereis Adamantibus coronatus, ſereniſſimâ induſtriæ gloriâ, perſubtiliſque ingenii luce, illuſtras conſilia; in obſcuris perplexiſque cauſis, intellectûs claritate, diſpeſcis ignorantiæ tenebras, & diem ſcientiæ inducis, & denique ſplendore judicii, fulgore vitæ, emicantibus moribus, prælucentiſque exempli in illâ canitie aurorâ, fervore juſtitiæ, flammis virtutum, unus ad ſequelam omnes illuminas, ad æmulationem inflammas. Eadem illa tua ſapientia decernit cauſas, jura vindicat,

li-

libertatem conſervat, regulat moderationem, concordiam fundat, invidiam magnificè triumphat. Nemo te plus videt in negotioſis nundinationibus, tametſi ſit Argus. Omnes te tutorem recti, Societatis Indæ fautorem, formam probitatis, normam integritatis perhoneſtæ venerantur. Ubi tibi non eſt locus, vix eſt ſuus Aſtrææ locus. In numeroſiore Ephororum corona, tui unius abſentia inducit ſolitudinem; præſentia verò in raritate ſupplet frequentiam. O mentem viri incomparabilem, atque inimitabilem, & præclariſſimis rebus gerundis parem. Ἀρχὴ τ' ἄνδρα δείκνυσι. Eſto, quod es, oraculum juſtitiæ, populorum pupilla, virtutum gemma. Efflorеſce annis, animo, meritis, virtutibus; & in ſanctæ ſancitæque pacis oculis, oſculisque ſeriùs conſeneſce: vive in ci-

vium cordibus ; quia plurimi per te vivunt cives. Nemini elicuisti lacrymas vivus, omnibus extorquebis omnes extinctus. Ego interea, dum vivam, ero, qui fui semper, memoriâ adamantinâ , emedullatoque affectu tuus

JANUS de BISSCHOP.

Dabam Veris Valachrorum,
Calendis Iulii, 1699.

Per-

Perilluſtri, ac generoſo Domino,

CORNELIO de WITTE,

Baroni de RUYTER, Equiti, &c.

Epiſtola Proſphonetica.

Hortati ſunt ſæpenumerò me literarum antiſtites, ſacræ Minervæ ocelli, ingeniorum Phœnices, adurgentes identidem, ſupplicatione penè quotidianâ, ac convitiô, ſi dicere liceat, tantum non ſubruſticô, inprimis verò Thomas Potſius, divinorum apud Fliſſinganos oraculorum interpres famoſiſſimus, tibi, CORNELI, per uxorem ſuam Alidam, avi tui filiam, affinis, ut meritiſſimam, ac toto terrarum orbe laudatiſſimam Michaëlis de Ruiter, Hollandiæ ac Weſtfriſiæ Archithalaſſi, Ducis, Equitis, poſt hominum memoriam incomparabilis inclytiſſimique Herois vitam, & res præclariſſimè geſtas, calamô illu-

luſtrarem meô, æternitatique commendarem; ſed conſilium hoc noſtrum diſtorſit præpropera Thomæ, & importuna, luctuoſaque cùm mihi, tùm Fliſſinganis civibus, ac potiſſimùm tibi mors. Eamobrem ne hominis, inter homines maximi optimique memoria ſanctiſſima, lapſu temporum, interiret, Eulogium tantô, tamque generoſô, ac ſemper invictiſſimô Duce, ejuſdemque filiô, Angelô, Equite, Smyrnenſiſque claſſis ductore, geminis patriæ noſtræ Atlantibus, dignum expolivi: fallor? Magnus tam nomine, quam re Ruterus, eulogiorum omnium eſt eulogium, virtutumque theſis. Ruterum, immortalem virum, æternitas loquetur, commendabit virtus, poſteritas quidem æmulari conabitur, ſed deſperabit. Tibi verò, CORNELI, *qui deducis ſanguinem illum, quô vivis, ex nobilioribus venis, venitque ad te purpureus etiam ante avi tui cædem, tibi, inquam, Ruteri magni pupillæ,*

inge-

ingenii mei primitias, & amoris in Ruterianam ſtirpem mei libamina, offerre non erubui: omnis enim Michaëlis avi tui honor, puta Baronis titulus perilluſtris, cum honorariis, ab Iberô Rege in Michaëlem, fratrem tuum juniorem, redundavit; & in te, qui rivus es vivus, ex uberiore illâ ſcaturigine promanans, perennat. Scilicet ex equitibus equites, ex Ruterianô caudice felices, & non degeneres ſurculi, tamquam florentia avitæ nobilitatis germina, in majorum ac ſuccedaneæ ſuccenturiatæque poſteritatis gloriam adoleſcunt: radicis ſanæ ac ſanctæ virtutem haurit, ac propagat thyrſus; radioſque occidentis Solis, ſequentia ducem ſuum ac regem aſtra fulgore ſuô continuant, ſpecula avitis imaginibus clara. Næ ille, qui te aſpexit, candidiſſime CORNELI, *imaginem magni avi tui quaſi redivivam legit, & plus quam cognomine niveam, & generoſam, & etiamnum ſpirantem: quicumque alloquitur, quam-*

pri-

primum percolit ; & ex ore tuô veluti loquentem rursus audire Michaëlem sibi gratulatur : moribus denique (vis verbô dicam ?) magnum, ac totum Ruterum vivis coloribus expressum repræsentas. Tanta est inter hunc, & te, CORNELI, *non cognati solùm sanguinis conjunctio ; sed etiam honestissimorum morum, & animorum conspiratio, & non fucata virtutum similitudo. Meretur Achilleus ille, ac Martiorum marinorumque camporum Eques, Ruterus, meretur profectò per triumphalia, quæ patravit, facinorum miracula, gloriosa cantatricis famæ oracula ac tubas ; quæ quoties grandiore ac graviore ore Ruterianum nomen admirandum, & per sola terrarum barbararum clarissimum, & titulos, & bellicosa facta, & victoriosas naumachias, & denique triumphos innumerabiles, per famosa terrarum orbis theatra decantatura est (decantabit autem, donec erunt homines, qui inimita-*

mitabilem heroem imitari volent) toties, ac totidem palmas ante tuos poſtes plantatura, totidem verticem tuum laureis, ac olivarum ramis coronatura, & tot adoreis donatura, atque adoratura. Non Belgæ tantum, ſed Europææ nationes omnes, barbaræque gentes, & Principes, & exercituum Imperatores Ruterum magnum, maximiſque majorem bellatorem, in ore habent, & magnificè jactant, atque admirantur ; & pro laureató avô te, tanti nominis, & tam animoſi ſanguinis hæredem amplexantur, venerantur, deoſculantur ; animumque longè gratiſſimum pro ampliſſimis in fœderatas civitates meritis, quaſi debitum beneficiis congiarium, in ſinum tuum gaudent effundere. Nemo Belga viro tam benè de præpotenti noſtrâ Republicâ merito, & jam jam exſpiranti gratias, ut maximè voluit, agere potuit, præoccupante communia omnium deſideria ardentiſsima cruentâ

morte

morte; ego tamen, tamquam anima Belgii publica, conſpirantibus omnium populorum votis ac vocibus, tibi, alteri Rutero, imò & corculo, & animæ magni Ruteri, quas & debeo, & poſſum, gratias cumulatiſſimas refero; & unà cum Eulogió, quod in laudem Michaëlis patris, Angelique filii eliimavi, libellum hunc meum primum, & quin propediem tres ſequentes evulgabuntur, æternum animi erga Ruterianam poſteritatem grati monumentum, devotus conſecro; cui eſto, quæſo, quod magnanimus avus tuus patriæ noſtræ cariſſimæ fuit, umbo; quem ſub tutelæ tuæ umbra latitantem, adverſus latrantem invidiam, maſculô Ruteriadis ſpiritu tuêre, & perbenignè vale.

Perilluſtris, ac generoſe Domine,

æternâ reverentiâ tuus,

Dabam Veris Valachrorum, Kalendis Septembris, 1699.

JANUS de BISSCHOP

AD
LECTOREM.

Suadeo tibi, peramice Lector, ne libellum hunc meum perlegas, nisi errata, quæ per absentiam meam sparsim benè multa subrepserunt, ante lectionem libelli hujus digneris corrigere. Si poëmatum meorum fontes, ingënii tui palato sapiunt, addam præterea ferculorum delicias, quinque alia volumina, eädem, ut hic libellus, formâ in octavô imprimenda; quorum secundum volumen erit Heroicorum poëmatum: tertium Elegiacorum variorum plurimorum: quartum Elegiacorum in Patrem Commire Jesuitam Gallum, qui MARIÆ STUARTÆ *reginæ Manes consceleravit: quintum Lyricorum: Sextum Elogiorum: septimum undecim millium sententiarum ferè novarum: octavum Comœdiarum ac Tragœdiarum Latinarum. Nonum denique imaginem secundi sæculi Jesuitarum. Menda autem hæc sunt, quæ in hoc volumine reperies.*

CORRIGENDA.

Pag. 6. lin. 12. Vulcaniam. Pag. 9. lin. 21. contemſit. Pag. 10. lin. 26. Coryphæus. Pag. 15. lin. ultimâ. Diris. Pag. 16. lin. 6. magnis. Pag. 28. lin. 18. præcox. Pag. 29. lin. 3. quære. Pag. 29. lin. 24. lucem. Pag. 30. lin. 12 voravit. Pag. 36. lin. 16. nutu. Pag. 39. lin. 19. vacat. Pag. 44. lin. 18. nuberet Juno. Pag. 50. 28. graviore. Pag. 51. lin. 17. Auſtriadæ. Pag. 52. lin. 3. infulgente. Pag. 55. lin. 12 ſonent. lin. 32. giganteus. Pag. 58. lin. 6. eſurionum. Pag. 61. lin. 27. culullos. Pag. 62. lin. ultimâ. Mauſoleo. Pag. 64. lin. 10. ſitiam. Pag. 73. lin. 9. Britannia. lin. 27. diritatem. Pag. 74. lin. 10. giganteos. Pag. 75. lin. 3. 1666. Pag 80. lin. ult. manipuli. Pap. 81. lin. 13. ſuperlacrymate. Pag. 82. lin. 16. Carolinam. Pag. 90. lin 6 ducens. Pag. 93. lin. ult. qui ſolus. Pag. 102. lin. 27. conjugum. Pag. 104. lin. 6. Marte fatigatus. lin. 27. 1644. lin. 30. vigeſimam. Pag. 105. lin. 2. vidnus. Pag. 107. lin. 21. Nomine. lin. 27. ſoſpes eundo. Pag. 112. lin. 6. Parve (Pag. 113. lin. 25, Oppiæ. Pag. 114. lin. 18. dicitur eſſe. Pag. 116. lin 14. ſalſa. Pag. 119. lin 3. magnos. lin. 32. quod dominentur. Pag. 120. lin. 26. conveniet ſua virginis. Pag. 122. lin. 11. Infans infandus. Pag. 123. lin. 19. liber eat dominus. Pag. 124. lin. 12. conſolandæ. lin. 15. juvandi. lin. 22. trucidatus. lin. 28. ex natibus ſpiritus ille fugit. Pag. 131 lin. 1. Procures. Pag. 126. lin. 24. oneri; duros. Pag. 130. lin. 10. illecebroſa. Pag. 131. lin. 16. genæ. Pag. 133. lin. 19. regnum. lin. 22. Facilis. lin. 23. Manes via. Pag. 134. lin. 10. edax. lin. 26. incliti. Pag. 135. lin. 16. facrificulis. Pag. 139. lin. 6. credamne. lin. 28. Qui vivunt nummis. Pag. 140. lin. 20. obmuteſcat. lin. 29. An pravum? fallor: Pag. 145. lin. 18. 19. 20. omitte totum epigramma, bis poſitum eſt. Pag. 149. lin. 16. mollitur. Pag. 151. lin. 14. Machina. Pag. 158. lin. 9. nomen, nomen tamen. Pag. 159. lin. 30. humilis formâ formoſa. Pag 163. lin. 33. vorant avidi patrimonia. Pag. 166. lin. 32. cui licitum. Pag. 172. lin. 17. relinquit. Pag. 178. lin. 18. Ariſtophanis. Pag. 182. lin. 20. ſuavi patrimonia. Pag. 185. lin. 3. ac villos. lin. 11. Munera cuncta ſolent corrumpere. Pag. 195. lin. 17. giganteâ. Pag. 196. lin. 21. muta. Pag. 206. lin. 24. niveiſque genis. Pag. 212. lin. 28. Pugnus hic eſt hominis. Pag. 216. lin. 34. abjicit omnes. Pag. 220. lin. 34. ſemina, Pag. 223. lin. 9. verbera tiro ſenis. Pag. 224. lin. ult. Nil reverentur enim, quod. Pag 225. lin. ult. Hôc placuere. Pag. 226. lin. 6. Degeneres. Pag. 236. lin. 12. giganteo. Pag. 237 lin. 14. ubi carbonis nigri. Pag. 240.

CORRIGENDA.

240. lin. 4. tanguntur. pag. 252. lin. 12. corpore ſordet. Pag. 258. lin. 32. Et coronarum. Pag. 259. lin. 16. Pallor. Pag. 261. lin. 15. tedet te cedere. lin. 19. lues, ede, ſeu. lin. 25. cito, voti. Pag. 262. lin. 16. dulcedine. Pag. 264. lin. 28. Geſta, ignis, aures. Pag. 265. lin. 11 favillis Pag. 265. lin. 22 Vix virtus vitio vitiatur. Pag. 267. lin. 9. gigantei. Pag. 271. lin. 9 Luxuriant. lin. ult. abdere. Pag. 274. quartam & quintam lineam totam dele. Pag. 288. lin. 29. Speck, &. Pag. 290. lin. 3. precationum. Pag. 293. lin. 34. perluſtra. Pag. 294. lin. 2. amoſus. Pag. 295. lin. 10. acfoedus .... hoedus Pag. 297. lin. 14. decoctique. Pag. 301. lin 14. tuere, ære. Pag. 302. lin. 14 patriam prædantur. Pag. 304. lin. 19 architectantur. lin. 32. debellatus ſit, ... latus ſit, tus ſit, it. Pag. 323. lin. 12 Fannias. Pag. 330 lin. 5. Arcus. Pag. 335. lin. 19. nec vir, nec femina. Pag. 336. lin. 25. audet. Psg. 337. lin. ult. dini. Pag. 338. lin. 1. dini ſervivit Pag. 345. lin. 15. arma inſonat, inſonat arma. Pag. 346. lin. 27. Sum theſaurorum (non vana eſt fabula) cuſtos. Pag 347. lin 19. volucris ſua vellera. Pag. 349 lin. 14. fugo. Pag. 353. lin. 3. penetroque ſinus clauſos. Pag. 358. lin. 15. giganteâ. Pag. 371. lin. 31. irâ. Pag. 376. lin. 4. neſcia. lin. 15. Per. Pag. 379 lin. 14 dele duo puncta. lin. 15. Penè. lin. 24. propino. lin. 27. dele punctum ultimum. Pag. 382. lin. 12 foris, hirſuta ſinu. lin. 31. Deque pilis. Pag. 384. lin. 30. choros. Pag. 386. lin 8. ſcopulos. Pag. 394. lin. 17. Thetydis. Pag. 395. lin. 12. curas. Pag. 396. ult. non. Pag. 398. lin. 9. dele interpunctionem ult. Pag. 401. lin. 13. quodcumque. lin. 26. fatigas. Pag. 404. lin. 11. Ancora. Pag. 405. lin. 3. 57. Cincedula. Pag. 407. lin. 28. columna. 2. Signum è turri, triton. Pag 409. lin. 18. vereee lin. 26 t tt i ſſſnetur. lin. 27. i tò i. Pag. 410. lin. 15. Tò ſub. Pag: 413. lin. 3. dele manum pictam ultimam, quam pone poſt lineam quintam σοφός. Pag. 414. lin. 9. Sator crepo tenet opere. Pag. 416. lin. 3. Olim pia. lin. 12. armis. Pag. 426. lin. 31. eſt pernicioſior. Pag. 428. lin. 5 noctu. Pag. 430. lin. ult. non eſt fabula. Pag. 432. lin. 7. multiplicatur.

Unable to display this page

Jacet ſub loquaci marmore muta virtus,
ſi jacêre virtus muta poſſit.
Hâc eburnâ urnâ clauditur
grande cadaver Ruteriadæ:
dixi ſatis terrori, ſatis amori.
Vis poſt dicta omnia, dicam plura?
Hic ille eſt ducum dux,
famoſiſſimus maris palæſtrita, Europæus Alexander,
triumphalis Belga, Valachrorum Arion,
qui victis Galliarum Delphinibus vectus,
Delphicâque laurô coronatus,
æquô Marte, & arte,
æquora eques perequitavit.
Laureatarum claſſium Princeps,
per Oceanum circumtonantem Architalaſſus,
adornavit claſſes, adornatas ordinavit,
ordinatas ſolemniore tormentorum ſonô,
triumphatus hoſtis adoravit.
Inexpugnabilis bellator expugnavit
tercentum arcium obluctantium iram,
ferô, non furore,
ac terrore Ruteriani nominis:
perduellionis reliquias non reliquit;
urbium pulveres bibax mare abſorbuit,
& in voracem alvum ſuam contumulavit:
parietinas etiamnum ſignat recedens unda.
Conſeruit quadraginta pugnas,
meruit totidem palmas,
emerita veteranorum heroum ſtipendia,
naumachiarum adoreas.
Armis ac parmis ſuis Mars
Victorias tam numeroſas inſcripſit.
Plures triumphalis canities laureas,
quàm annos vitæ numeravit.
Perdomuit in aëre ventos, terrâ arces,

mari circumſonantes tempeſtates,
igne circumtonantes claſſes,
Ut elementa ſingula, tormentis ſuis, triumpharet.
Duce Ruteriade, catenatum Tamiſim
Acres alacreſque Valachri perfregêre,
proſtratis, in roſtratis ratibus, cratibus:
conterruêre ardentem Britanniam
tam leonum rugitus, quàm pelagi mugitus.
Algerinos, Saleſios, Tripolitanos,
depeculatores Neptunii patrimonii,
tres veluti Tartareas furias,
ad Orcum ſuum damnatas demiſit.
Agnoſce agninum hunc, ac magnum Leonem,
non eſſe aut Marmaricum, aut barbaricum;
miſeratus Paſtores Sileſios, venditos
Saleſiis Lupis, Algeriniſque tigribus,
Leonem Fliſſinganum,
rugientem, imò Balantem inaudiſſes,
in impoſtores, Romæ Paſtores,
ut palantem oviariam Paſtoralem,
vili ſervilique miniſterio deſtinatam,
ad religioſæ Libertatis ovile reduceret.
Vandalus inhiabat Hafniæ,
tantùm non devoratæ ac deploratæ;
Ruterus auxilium, fugam Vandalus maturavit,
perniciem pernicitate fugiens.
Elephantum capillatorum ac capiſtratorum
rector, & vector,
infrenem Gothiam debilitavit, rebellem debellavit,
multitudine ſtragium fugientem externavit,
quibus factis nomen ſuum æternavit.
Eluſit Luſitanos luctuosô belli ludô,
quorum claſſes ad cautes eliſit:
quaſſavit infractos Francos, truces Thraces afflixit,
Americanos intractabiles pacavit,

Iratos Pardos placavit,
Atavos Batavos coronavit.
Solem inocciduum ſe probaturus,
Lunæ anguineæ ac ſanguineæ
& pallorem, & ſquallorem induxit.
Per venas colluctantium regnorum
gliſcebat accenſa bellorum ira,
manabant cruenta ſanie fluenta,
balliſtarum fulmina, flagitiorum tonitruis
commota inflammabantur;
ſonabat ubivis terrarum ac gentium
flagellum crudelitatis;
ardebant maria omnia,
terra cadaveribus, & ſanguine inundabat;
& dum atrocia tyrannorum gaudia
provinciarum lacrymis ſaginabantur,
florentiſſimus Mundi ſtatus
luctuosô Ludovici ludô collidebatur:
Ruterus, imperiô ſceptri,
Marti ſilentium, morti exſilium imperavit,
dum perpacato Oceano oleas plantavit,
blandientique paci collusit;
Sirenibus ſerenum Ruteri nomen collaudantibus,
Alaudis Batavis applaudentibus.
Ter quinque ſuperbis victoriis magis,
quam ventis intumuere vela.
Totas voravit claſſes, victoriarum helluo:
coëgit inimicos inflata tumore vela,
ac tela timore demittere.
Triumphatorum debellator,
imperatorum imperator, & ſui,
per omnes utriuſque orbis regiones,
legiones Valachras, leoneſque triumphales
per purpurea Tethydis theatra circumduxit,
Bellicæ gloriæ teſtes,

& Belgicæ lætitiæ imagines.
Tum jubatus leo, nullâ hoſtilitate turbatus,
diritatis torvitatem poſuit;
moleſtuſque nulli, ſuô modeſtus Circô,
æternam pacem meditatur.
Superba triumphorum frequentia
indefeſſum Michaëlem fatigaverat,
ut catenatam toties fortunam
identidem frenare, ac vincere faſtidiret.
Per glorioſam Valachriam
evileſcebant plauſibiles victoriarum pompæ;
nullius erat pretii pretioſa laurus,
percarô pota ſanguine,
quæ triumphatorem laborantem prægravabat.
Ferreus Eques, aureis facinoribus,
abſtulit famæ ſuas linguas ac tubas,
quibus fatigatam prævolavit.
Si in aurea Romanorum miraculorum ſæcula
incidiſſet Michaël,
Laureatus adoreas omnes abſtuliſſet,
Capitolium identidem adſcendiſſet,
Coloſſos omnes meruiſſet,
theatra omnia occupaſſet.
jo, commilitones,
ſpoliate Dianam ſilvis ſuis in coronamenta,
quibus Roſea Lilia, Batavorum ſpolia, adnectite:
Lilia, & Roſæ, perſimiles mari,
citò ſurgunt, & elanguent.
Domitæ ſunt tigrides conjuratæ;
ſed à Leonibus fœderatis.
Pardos, ùt Parthos, coëgit non ſimulatè fugere,
ne fugiendo vincerent:
Fugiebant pugnaces vidêri,
& interea ridêri fugaces,
ne probroſiore exciperetur jocô

cunctabunda mari Gallorum levitas.
Mentiebantur personati triumphatores
festivè fugam festis ignibus,
quasi fausti triumphi insignibus;
avolante in fumos ac ventos,
à quibus concepta erat, victoriâ.
Tùm bis luxit miserabilis Francorum lætitia,
dolore fugæ, ac igne fatuô:
luxit igitur, tam lucens, quàm lugens.
O triumphalem calamitatem,
ab humiliore clade magnificam!
Sordidi Cyclopes, ad incudem Vulcaniam,
præfrigidam gloriolam fingunt:
veris ignibus fugati, imaginariis fucati;
pueri igniculos cudunt, igniculis ludunt,
ut illudant.
Ambitio emendicat precariam è ruinâ famam,
ut infamiam emaculet,
dum victa citra victoriam triumphat:
adulterat victoriam arrogantia,
superbius dolosa, ne videatur formidolosa.
Decantatô per Gallias infami triumphô,
elinguis siluit fama,
quæ talaria levitatis Francæ induens,
ocyus, ac velocius fugit;
apud Belgas exinde
musicam Gallicam non cantatura.
Sed solemne Gallis est ad ravim canere,
etiam triumphum ante victoriam.
Miraculum foret, Gallum esse, & silêre.
Verùm nemo gloriosè triumphat,
alienâ virtute, & hostili gloriâ.
Excipitur sibilis plausibilis victoria:
quia candidæ fortunæ majestas
simulatè triumphare non solet.

Ecce ludunt per aëra, & illudunt
tam nocti, quàm hominibus, ignes miſſiles:
transfugæ fumi tenebras geminas excitant,
ignorantiæ, & ſuas.
At ignes triumphum non faciunt; ſed facinora.
Triumphat bonis avibus, & navibus
in Martiô marinôque campô Belgicus Arion,
Delphinis, quaſi percandidis equis,
victis circumvectus;
perequitat fluitantes paſſim ac ſparſim
reliquias incenſarum claſſium,
immenſarum cladium præcones,
multos, mutos, mutilos:
Gratulantur debellatori ſuo victoriam
etiam irati juratique hoſtes;
congaudent, qui victorem victi timent,
illætabili hilaritate:
acclamant plenô chorô, in Neptuninô forô,
conſpirantibus vocibus Nereo ſuo Oceanitides,
qui tot victoriarum exuviis phaleratos Leones,
tyrannicis patriæ lupis,
non minus metuendos fecerat, quàm adorandos.
Meſſana, perduellione inſana,
Philippo Regi ſceptrum excuſſerat,
redolebat Lilia:
quærebatur, qui duabus & viginti coronis
ſuccollaret Atlas;
heroum immortalium Hercules,
naumachiarum gigas,
claſſium ductor, regum domitor, dominator maris,
magnus Ruterus,
Liberorum Valachrorum vindex,
Iberorum imperator coronatur.
Militant veteri ſuo domino amici Belgæ,
jam non rebelles, in perduelles:

ſed hem,
tot lauris coronatus vertex,
non ſtetit intutus à fulmine.
Fulmineâ machinâ transverberanda erat
anima ferrea ac tonans,
ignobiliores contemſiſſet glandes:
exauctorandus erat ſolemniore catapultæ ſonô
emeritus miles.
Volat per inania, Solis inſtar,
radioſa furtivaque pila,
hòc perniciosior, quò pernicior:
allabitur ad pedes impactus baliſtâ globus,
qui proſtratus ad plantas, quaſi ſupplex,
temeritatis veniam poſtulat;
veritus tangere laureatum caput,
ac collum torquatum frangere;
reveritus herois majeſtatem,
bellicamne dixerim, an Belgicam, neſcio.
O reverentiam vel in inimico peramicam!
O plauſibilem caſum,
& humiliore lapſu fortunatum!
Suſtulit plantas, quæ Martiô ſordent pulvere,
non victoriam:
ipſi fugientes à corpore ſuô pedes
hoſtem in pedes compulerunt.
Prô quàm diras cædes ac tragœdias
ſuſcitarunt trunci, & etiamnum truces pedes!
Imprudens globus vomuit ſtragem.
quâ ſibi eriperet gloriam victoriæ;
avolarunt in auras aurei pedes;
tegi ſordidâ humô nec poterant, neque debebant,
qui ad Capitolium purpuratus gradiebatur.
O quam invidioſa eſt, inſidioſa mors,
dum heroes ſuffuratur!
Adorta eſt diademâtum adoreâ verticem,

nec

nec ferire auſa, niſi perleviter; adoravit:
Aggreſſa eſt inſuperabilem per partes;
fodere integrum reformidat;
quæ dum ferox ferrô ferit,
invenit ante mortem immortalem.
In gloriosâ animâ, nihil totum perit,
dum vita interit.
Vulneravit permodeſtus furor
pedum eminentiam,
nec temeravit ſacram Regi non ſuo,
ac patriæ alienæ, canitiem.
Achilli ſimilis Ruterus,
hâc unà corporis particulâ mortalis fuit.
Eum in finem forſan Francus ſurripuit plantas,
ne ex hâc pugnâ Pharſalicâ imperator Batavus,
Verſaliam magnis paſſibus, & itineribus contendens,
ſigna ſua victricia, ac triumphales plantas
in aulâ Verſalicâ plantaſſet.
Uſque ad medullas ſenſit
peracerbam Europa plagam;
ſolus qui accepit, vel contenſit, vel non ſenſit:
blandiri videbatur crudelitas per vulnera,
delicatam infligens necem, ne affligeret victorem.
Sternitur victor à victis, dum victos ſternit,
debellat debellatus, triumphatus triumphat,
& victoriarum plauſum funeſtat.
Sic moreretur virtus, ſi virtus mori poſſet.
Fortem animum Michaël ante ſigna
(ut militarem ducem decet) exſpirat.
Periculorum ſecurus,
peritiſſimus naumachiarius perit,
inter mille mortes numquam mortuus.
Ex invictiſſimis nervis
exturbatâ eſt anima baſilica:
advolanti orbis globo, ceſſit totô mari

Atlanteus ſpiritus,
ne fugitivam Francorum claſſem
moraretur, miraretur, miſeraretur.
O lugubres triumphos!
O cladem, citra cladem plauſibilem!
Qualis triumphator, qui in amplexu victoriæ,
animam effudit coronatam;
& ex prætoriæ navis Capitoliô,
ſtruxit Mauſoleum!
In privatâ vitâ publicam perdidit
Patriæ Pater, & Filius.
Fortunæ nihil debuit,
quam captivam in tumulum victor raptavit.
Ite, milites, in lacrymas, jam dociles tenereſcere,
extundite gemitus, effundite fremitus,
funeris dicam tam auguſti tibicines,
an virtutis buccinatores?
Torvitas expalleſcit, elanguet pugnacitas,
debellatur audacia, terror debilitatur,
enervatur robur, magnanimitas ſuccumbit,
bellorum fulmen friget.
Ille Phaëtontius Ruterus
ex igneô curru ſuô fulminatus labitur,
qui totô Oceanô, bellô commotô, detonuerat,
Jacet ille Magnus tam re, quàm nomine Ruterus,
heroum heros, bellorum coryphæus,
inimicorum ultor, pacis cultor,
& imperatorum, & leoninorum exercituum
anima publica;
& in unô capite,
omnia navarchorum membra profligata ſunt.
Excuſſit metallica glans columnas pedum,
baſilicas claſſis baſes,
ne ad Capitolia ac Coloſſos
paſſu heroicô triumphator graderetur.

Oſſa

Ossa crurum perfossa in columnas ivêre,
nutantis Iberiæ fulcra, Bataviæ colossos:
Rupe constantior maris prorex,
pro Rege, ac puppi stetit,
& tantùm non rupes visus est:
Rupibus igitur non indiget,
quæ in triumphales pyramides exsculpantur.
Projecit in hostilia ora suos, ut non suos, pedes,
quibus segnipes currere ad triumphos
animus dedignabatur emedullatus.
Gaudebat pugnare geminus,
parte sui in hostilem frontem projectâ,
mobiliore dicam, an nobiliore?
Præmisit plantas, ut expeditior volaret
animus transilis;
profuitque ad compendium viæ, plantas abjecisse:
Viam heros sibi Capitolinam
de suô purpurando sternebat,
tot coraliis ac carbunculis,
quot purpureis guttis renidentem.
purpuratus itaque palæstrita,
in leonum circô, quasi theatrô digladiatus,
tam cædendo, quam cadendo,
navalem coronam reportavit.
Sic Valachrorum Argonauta,
in sui sanguinis mari naufragus
magnanimitatis magnete duce,
cæleſtis Capitolii portum tenuit.
Per tempestates sanguineas
anima torva at lacera eluctata,
prodiga sui, bibax hostilis sanguinis,
ardores pretiosos pro aris ac focis patriæ
concepit felix Phœnix,
& in tureâ cinnamomi,
Odoratâque balsamorum aromatumque arâ,

ani-

animam immortalem moriens,
morti numquam morituræ conſecravit.
Palinurus ad clavum ſedens,
Herculis Gallici clavâ è navi excuſſus.
Avolantibus plantis indignabatur
Martem præfervidum ab incude diſtrahi:
ſed victoriam pugnô, ne avolaret,
dentibuſque frendentibus mordicus tenuit.
Sic Thebæorum dux, Epaminondas,
telô ſaucius pugnavit, dum vinceret:
nec prius infixum telum, & animum dimiſit,
quam victor triumpharet.
Næ ego (bonâ Ruteri pace)
victrices oſcularer plantas, ſi plantis gauderet.
Ruterianis Pedibus, ex corporis ædibus,
ſedibus ſuis, cedentibus,
non hoſtes gladiô, ſed pedibus
fugam ac ſalutem quæſivere.
Alcides Belgicus, robuſtior
ſine pelle jam ſuâ, quàm in alienis exuviis,
tridente ſuô, quaſi trinodi clavâ,
Hydras, Dracones, Centauros ignivomos,
Gallorum monſtra, arietando profligavit,
contrivit, debellavit.
Fluitabant in famosô fumosôque Oceanô
pretioſæ ac ſpecioſæ herois reliquiæ;
ſed ad oſſa uſque diſcerpta virtus
animum etiamnum integrum occupabat;
imò unius magni Ruteri virtus
univerſum maris theatrum implevit,
cum non jam urbes, ſed orbem penè totum
triumphalibus claſſibus obſedit.
Prægrandis illa, bellicoſaque anima,
non ſuo ſatis cataphracta corpore,
deſultavit in heroos commilitones,

tam

tam rediviva, quàm renata;
ſupplevit una numeroſiorem animis aciem,
ut ſine Capite ſuô poſthuma membra
animoſius emicârent, ac dimicarent.
Immortalis dux Michaël,
pugnavit mortuus in ſuis; vicit, ut vivus:
non erat, qui pugnaret, & erat, qui ſuperaret,
abſens præſentes, exanimus vivos,
quos ad mortem fatigabat.
O mirum ac dirum prodigium!
O miraculis omnibus majus portentum!
Europæus Samſon,
columnis pedum convulſis,
Brachiorum coloſſis inimicos ſternit,
Vaſtoque corporis ſui pondere,
hoſtiles claſſes ſuperobruit.
O militem, poſt vulnera, ac cædem,
Etiam militem, & pugnacem!
vel cæſum fugiunt regales claſſes:
aërem igitur fatalis ille globus magis,
quam Michaëlem verberavit.
Ecce cadaver baſilicum magni Ruteri,
à morte indefeſſum, atque indefenſum,
ſanguineum exſudat mare, heroum fontem,
ex quô Ruteriani commilitones
animoſiora generoſitatis ſemina hauriant;
ſed intueri pugnax cadaver
hoſtes vivi perhorreſcunt:
imò intrepidi viri cadaver
pallorem ſuum parricidis inſpirat:
ipſi victoriæ ſua clades terrori eſt;
ruina ipſa formidatur.
Ruterianus in patriam amor,
in morte dirus, & eviſceratus,
tot fulmina in hoſtes fundit, quot nervos:

ex-

excuſſi nervi, in coronam coacti, compactique,
triumphale cadaver coronant,
crudeli honore dicam, an amicô horrore?
Belgii murus ſternitur
furialis ac muralis machinæ murmure,
grandiori ruinæ par animus
humiliorem dedignatur:
gravioris baliſtæ fragor, magni terroris Echo,
maria omnia perſonat, & Europam conquaſſat:
ſed non exterret victoriam, militantem mortuo.
Ad ſonum fulminei globi,
veluti Panomphæi jovis tonitrui,
neſcio, an Leones Belgici
tripudient magis, quam trepident?
Irrugiit torvitas,
dum magnitudinem ſenſit magnificæ cladis;
jubas tamen non poſuit Libertatis Leo;
qui à conjuratis Gallis irritatus, iratuſque,
victoriam ſauciam expugnavit:
neque expavit leonina magnanimitas,
dum cladem clade expiavit, unam omnium.
Intabuit publicô hôc privatôque vulnere
anima Belgicæ vulnerata,
&, cheu, ſuſpiriô elanguit!
Lugeret Mars pugilem ſuum,
niſi neſciret lacrymas ſanguinis helluo:
fieret Bellona,
ſi candidæ pietatis ubera bibiſſet:
Galeata Pallas, projectô haſtili,
non furtivas ſub galeâ Lacrymas fundit:
Tantum lumen Europa omnis,
inornata, ſordidata, atrata,
ac Francia ipſa deploravit extinctum,
magnum Ruterum;
Francia tam illacrymabilis, quam immiſerabilis,

quæ

quæ populorum omnium lacrymas gaudet elicere,
& ſanguinem è venis extundere,
ut atroci gaudiô laſciviat,
devoratâ bellô Europâ,
Rutero magno tributum lacrymarum defert:
Sed una in communi luctu miſeranda Valachria,
turturis inſtar deſolata ſedet,
quæ deſperatô dolore plorabunda,
Ruterum, parentem ſuum inconſolabiliter moereret,
niſi oculos ſuos gemebunda,
in Ruterianis plantis truncis perdidiſſet.
Eant Neptuni oculi in luctus, fluctus jam ſuos,
evolvant amarum lacrymarum mare,
tam rigida, quam frigida mortis ſolatiola;
cujus ſtellantia lumina adaugent,
& adurgent ſtillantia moeroris flumina;
&, ut lætus ſit fletus,
procellam Gallis ſanguineam ſuſcitat,
quâ Neptunus ipſe irrubet purpurâ non ſuâ;
mare fuît non mare.
Fuſus è venis cruor pretioſus in fontem abit,
pelaguſque ſalſum dulciore pluviâ inundat.
Ah quàm decenter, in canâ cæſarie,
decorus rubuit ſanguis, & adoream tinxit!
Sanguine ſuô trabeatus dux,
velut ſuperbè purpuratum circumſpexit ſeſe,
dum ſuô mari rubro totus
imperator innatabat.
Infremuit invidiâ Belgica,
micanteſque ſanguine venas increpuit,
quod aſſerendæ patriæ libertati non ſalirent.
Mars acinacem, haſtile Pallas,
clavam Alcides, tridentem Nereus confringunt,
Vulcaniamque diritatem
miris miſeriſque Diris dévovent,

dum

dum ducem ſibi ſupparem fingit,
ut claudicet victoria.
At ipſos mari oblitus pedes æternitatis viator,
citra pedes animus currit
ad Olympicas palmas:
& magis trium dierum itineribus,
ad æternitatis portum pervenit.
Non pedibus itur ad gloriam;
ſed heroicô virtutum paſſu.
Ne igitur manum inimico Michaël daret,
pedes dedit, ut inimicus poenas daret,
ſuperatus à victore ſuperatô:
nam majeſtatis Belgicæ imperiô,
pileatæ libertatis aſſertor,
dum Iberis patrocinatur,
pulſurus, qui latrocinabatur, Gallum,
numero bellicarum navium longè inferior,
virtute ſuperior, Ruteriades,
pugnat, fugat, triumphat;
amiſſis in Capitoliô navis plantis, & vitâ.
Multum è vulneribus ſanguinis,
plus gloriæ promanavit:
nam triginta bellicæ Francorum naves
Belgicas, quæ tantum pugnarunt, novem,
debellare non potuerunt.
jacet ſub hôc elephantis ebore, ſine robore,
& ſine trinodi clavâ exanguis Hercules,
Francorum colubrorum, monſtrorumque domitor,
magis formidandus, dum mortuus;
quia ſic mortuus, ubique etiamnum vivit,
ubique præliatur, ubique timetur,
vel inimicis ipſis metuendis
formidabilis umbra,
quæ prima poſt mortem triumphavit.
Vivit in hominum omnium Linguis,

qui

qui in hoſtium ſpirat pavoribus;
ignavamque invidiæ animam
glorioſa felicitas exſibilat.
Iila, illa mortua virtus
vivæ fortitudinis miracula meditatur.
Audeat, ac gaudeat ſonora, honoraque fama,
ſolemniore linguarum tubarumque choro,
non vulgare funus vulgare:
animentur gemmeæ conchæ in cornua,
Bellicamque harmoniam,
tormentis gravioribus pro organis colludentibus,
conſonante cælo tonitribus, mari mugitibus;
giganteuſque Triton,
perhorridis modulis triumphum canens,
inter triumphales planctus,
in lætho lethoſe ludat.
Lugeat tam niveo die atrata fama,
elugeatque felicem calamitatem,
lucroſioremque jacturam;
doceatque ravum ad ravim Gallum
triumphos etiam non ſuos canere.
Collabaſcit Reipublicæ columna,
Belgarum umbo umbra eſt:
Occubuit elephantum Atlas, Pardorum pavor,
Leonum rector, piratarum flagellum,
Belgii anima, Europæ ocellus, Mundi Corculum,
hominum omnium pupilla, armiger Dei,
Divus ille, & magnus Ruterus.
Uno, repentinoque caſu periit,
qui mille ruinarum caſus triumphavit.
Jaceat emedullatum cadaver,
triumpho obrutum ſuo,
vivet bellicoſa ſub favilla flamma,
eruptura de buſto, exarmatura claſſes,
exercituſque tigrium exanimatura.

Furit feralis cinis ille,
uritque furialis igniculus,
meditaturque ac minatur incendia,
Londinenſi rogô clariora.
Vivat ſæculorum ætati, vivat æternitati,
qui vixit pietati patriæ, mortuus tempori,
Martius maris, palæſtricuſque dux,
in ſuô redivivus Phoenix cinere,
ſupervoletque curules famæ, dum jacet.
Debetur adamántina memoria,
debetur magna æternitas virtuti leoninæ,
quæ tam numeroſa facinorum miracula,
ſupra invidiam admiranda,
Deô auſpice ac duce, patravit;
ut, niſi cecidiſſet, Mars Belgicus dici
magnus Ruterus mereretur.
Vigilet pro cinere ſacrô haſtata Pallas,
haſtilique in hoſtilia ora projectô,
ſuum Belgicæ ſervet Palladium,
ſempiternæ virtutis cimelium.
Præfigatur cruenta Mauſoleo romphæa,
glorioſa inter trophæa:
adjaceant inclito cadaveri,
quos debellavit, Galli ac Pardi,
quos triumphavit Urſos,
quos juvit Elephantos,
& quos aſſeruit Leones rugientes;
Subſtrataque Luna, ipſo magis cadavere,
eclipſim paſſa, impalleſcat:
æreaque baliſtarum ora, nuper flammea,
nunc ſilentiô frigida nec iras loquentia,
ad exangues Herois plantas adſternantur,
nullas poſthac ruinas vomitura,
neque obmurmurent bellatori,
quieſcenti ſub oleâ pacis.

Su

Succumbat ſine ſupercilio arrogantia,
mordeat ſine dente invidia,
ſine voce audacia ſubacta debacchetur.
Impalleſcant inimicæ acies
ad faciem umbræ ſanguineæ;
ſentiant rebelles,
vel leviculum pulviſculum, ſibi prægravem,
qui etiamnum igniculos ſuos fovet,
infamoſa incendia exarſuros,
fatalemque peſtem
machinoſis navigiis molituros:
herous ille, baſilicus, Ruterianus cinis,
animabitur in nepotibus, bellorum facibus,
ſufficietque Leoni Belgico æternos leones.
Pone ergo metum & lacrymas, elugens Belgica:
Michaël Angelum, pater filium,
heroem heros nomine, vitâ, moribus,
hæredem poſt ſe reliquit,
paternæ magnanimitatis
lecturum veſtigia ac faſtigia;
cælo ocyus, ſociiſque Angelis adſcribendum;
quia mortale corpuſculum didignatus projecit;
& inter patris ſui, patriæque lupos
agnus, Angelus vivere ſubterfugit.
Ex radice tam felice,
unicus floret thyrſus,
Cornelia, Magni Ruteri filia,
matronarum Belgicarum gemma,
vidua, turturis inſtar, deſolata ſedens,
quaterna inter funera plorabunda,
lacrymulas identidem ſuas reſorbet;
& quoties ſpirat, ſuſpirat,
& columbatim gemit:
cui gemitum omnem auferet Cornelius,
Corneliæ proles unica,

ſupervicturus ſolatio matris;
avitique ſtemmatis heroicam gloriam
honeſtate virtutis propagaturus.
Diſcedite, heroes, at diſcite:
heroæ animæ, patriæ & virtutis amantes,
invidias magnas ac baſilicas merentur:
& condiſcite:
decôrum ac baſilicum eſſe,
ipſa bella omnia debellare,
ipſaſque victorias, inimitabili triumphô,
triumphare:
heroumque eſſe,
inter pulveres fortiter ſtare,
& non negligenter occumbere.

HEROUM
ANGELI DE RUITER,
MICHAELIS FILII,
Baronis de RUITER, Equitis, Claſſium BATAVARUM ductoris, &c.

ANgelum hic, viator, lege; hominem intellige:
extinctum luge; virtutum gemmas collige.
Ecquis hic ſit Angelus, quæris?
Eſt Archangeli Michaëlis,
Archithalaſſi filius,
ſi Archangeli filios habere poſſint.
Ut noris Angelum hunc fuiſſe mortalem,
præmaturo ceſſit fato:
ſi ſupervixiſſet Angelus,
poterat & Archangelus,
& Archithalaſſus fuiſſe

legio

legionum claſſiariarum immortalium,
& Michaëli patri par,
virtutis æternaturæ gloriâ:
jam verò mortuus Angelus,
Angelos inter immortales immortalis vivit;
& bis Angelus eſt,
tam nomine, quàm virtute coronatâ.
Hic nominis titulô Angelus,
vultu Angelis ſuppar eſſe meruit,
ſi vultum haberent Angeli.
Fallor; ſi minus vultu,
multô virtutis cultu Angelus fuit.
vixit Angelus, mortuus eſt angelus,
perennat Angelus à morte vivere.
Angeli ſunt
ſummates cæli, divinæ gloriæ paranymphi,
æternæ vocis apud homines Echo;
& hoc Michaëlis eſt Angelus.
Loquuntur Angeli ſine linguâ,
ſine ſomno vigilant, ſine oculis vident,
ſine cerebrô intelligunt, ſine mœrore gaudent,
expertes corporis, ac funeris vivunt,
non commoriuntur:
has dotes poſſidet Angelus noſter.
Et hic bonus Angelus,
raptus eſt ex hominum oculis:
Debuerat aut numquam naſci,
aut ſemper in terris vivere,
tam amabilis Angelus:
nulli, dum vixit, elicuit cordi gemitum,
nulli etiam pupillæ lacrymulam ſuam;
extinctus prόvocat
omni cordi omnes gemitus,
pupillis omnibus omnes lacrymulas,
deſiderabilis Angelus.

Eras, Angele, dum ſpirabas,
Batavorum ſpes, Belgarum corculum,
hominum delicium;
& hæc ſpes, hoc corculum,
hoc delicium ſublatum eſt ex oculis,
ſed non ex animi medullis.
Quærit Belgica ancoram ſpei ſuæ;
avulſa eſt, fracta eſt:
Homines omnes quærunt cor Belgarum;
hic jacet emedullatum:
Quærunt ocellum Batavorum;
hic clauſum eſt:
Quærunt pupillam Michaëlis;
hic extincta eſt:
Quærunt tormentorum bellicorum os tonans;
hic ſilet:
Quærunt armorum fulmen;
hic friget:
Quærunt ſupremum claſſiariorum Caput;
capit Mauſoleum;
& hoc Mauſoleum,
triumphale Capitolium eſt,
in quô Angelicum corpus requieſcit;
in aulâ ſidereâ regnat ſpiritus.
Moerent Belgæ Angelum ſuum,
vitam merentem immortalem.
Nereus Oceanum in imbres,
cælum Aquarium in lacrymas,
in ſuſpiria Æolus ventos ſuos, ſolvunt:
Vulcanus fornaces ſuas fulmineas
in rogos & buſtum laxat:
Tellus aperiens gremium ſuum
in tumulum effundit:
quæ Angelo vivo ſervierant,
elementa ſingula mortuo parentant.

Enitet è niveâ tumuli ſindone ſpiritus,
integritate vitæ nitidior;
& de candidô marmore,
& marmore, & amore, & moribus
candidior Angelus:
cujus decentior corporis forma
naturæ liberalitatem ſignabat:
ex ſerenâ oris nitelâ Charites ridebant:
Mars frontem caperabat:
colludentes pupillæ Gratias pingebant:
mentem tingebant virtutes:
cor caſtum amorem ſpirabat:
elegantiarum omnium concinnitas
Angelum fingebat:
Sed, eheu, hic Angelus mortuus eſt,
ſi mori Angeli poſſint.
Aude, & gaude, cycnêe calame,
calamitatem publicam, & mortuum Angelum,
vivis coloribus, & ſuis adumbrare,
qui non tardorum Pardorum naves,
& Gallos, pérleves aves,
& famam ipſam prætervolavit.
Tam claſſium, quàm cladium imperator,
mari militabat Marti,
morti litabat hoſtes, hoſtias.
Fortunæ theatrum, mare eſt;
exitu diſpari luditur ſcena, ac chorus;
inimicâ colludentibus amicitiâ ventis,
fluctibus ſeſe collidentibus,
conſonantibus baliſtarum tonitruis,
fulminibus emicantibus, ac dimicantibus.
Ruteriades leo in amplum campum,
ex paludibus Batavis emergens,
attollebat jubatos toros,
& exultante caudâ

lupos patriæ flagellabat;
at ſubjectâ ventri Moloſſus caudâ,
cum Gallô, pallidâ languente criſtâ, profugit.
Imbiberat non degener leo
avitam pugnacitatis magnanimitatem;
ſpondebat militarem patrem bellator filius;
formoſa frontis ira,
minax torvitas vultûs
Martiam ſpirabat diritatem.
Claviger ſæculi ſui Hercules,
navigerum ingreſſus mare,
unam patris fortunam,
baſilicarum virtutum reginam,
capaciore involaturus animô,
rapaciore prædaturus manu,
prægrande ac præluſtre aliquid,
ſupra gloriam præmeditabatur.
Supra invidiam generoſus Angelus,
glorioſas, pro fidelitate erga patriam,
invidias non effugit;
quarum mordacitate laniatus,
viſus eſt leoninus animus ſuccumbere.
Flos militiæ, Angelus,
Roſis Liliiſque odorem famæ
præcerpere præproperabat
laureatô ſceptrô.
Imperioſa illa Ruteriadæ anima
ambiebat auguſtale prætorium,
baſilicam Neptunii ſceptri majeſtatem,
veluti relictam à Patre,
ſuperbam hæreditatem.
Circumducebat phaleratas Batavorum claſſes
toroſus leo:
tam amabile erat hoſti Angeli nomen,
quam formidabile Ruteriadæ.

Angelo, naumachiario
arma populi ſua certatim offerebant:
loricam Miſi, ferrum Cyclopes,
haſtam Ætoli, parmam Proeti,
Syri catapultam, Phoenices baliſtam,
Scythæ tela, clavam Hercules,
Mars acinacem, Pallas oleam,
Apollo laurum, Jupiter quercum,
Dædalus malum, velum Icarus,
Typhis navem conſecrabant.
Favebant perequitanti mare Favonii:
animandis Ruterianis claſſibus,
ſuum Neptunus tridentem,
Flagellum Bellona, ſcutum Pallas,
ſagittam Phœbus, Diana pharetram,
malleum Vulcanus, Triton concham,
Jupiter fulmen donarunt.
Armis his formidabilis Angelus,
Michaële patre,
rectore, vectore, ac ſemper victore,
Septemtrionem, Tyrrhenum, Boſporum,
Macedonicumque mare circumnavigavit.
Inter Guineæ aurum,
laureati militis theſaurum,
vexillum manubiale reportavit.
Reges Caroli, uterque Angelum titulis
ornavit dicam, an oneravit?
alter Ducem, Equitem alter creavit:
Bis itaque Eques Ruteriades fuit,
tam nominis titulô,
quàm virtutis generoſitate:
Sicut in unô Angelô geminum Angelum,
ſic in unô Ruterô Ruterum geminum
& tumerent hoſtes, & populares colerent.
Reges ſibi devinxerat

vel

vel comitate, vel ferrô.
Herculi Atlas, imperatori imperator,
archithalaſſo thalaſſiarchus,
Angelus Michaëli, patri filius
ſuccollando ſuccenturiatus eſt:
Sic Dardanius Æneas Julo ſuo,
adoleſcenti filio,
naumachiis ordinandis,
præmoderando præludebat.
Eboracenum adortus Ducem,
adversô pectore plagam admiſit,
ex verô, docens,
vulneri Angelos mortales immortali patêre.
In Rupertum Principem,
inter hoſtes fumeoſque globos repertum,
repentè irrupit;
Rupertum ad rupes ſuas,
Britannos portus fugavit.
Sub auſpiciis paternis
pugnax, & victorioſus,
ut Angelum diceres eſſe Michaëlem.
Smyrnenſem claſſem,
Orientis gazis onuſtam,
per ineluctabiles procellas,
medioſque hoſtes eluctatus,
prænubilô turbine, Angeli vehiculô,
cæleſtique manu præſeptus,
in aviam longè Bataviam,
patriam ſuam, devexit.
Prætoriâ à ſuis claſſibus machinâ,
Oceani irâ, divulsâ,
tres bellicas Francorum furias
perſolus victor propulſavit.
Jactat etiamnum phalangas Angelicas,
Caſtrorenatô perdomitô, Catalaunia.

Ad paternas adoreas, grandiore paſſu,
veliferis malis, quaſi levioribus alis,
laureatus Angelus evolabat.
Subarchithalaſſus Bataviæ,
& Occidentalis Friſiæ creatus eſt.
Ad Schonefeldiam,
(vidi ego furentem Angelum)
eò fuſos Pardos ardore perſequebatur,
ut, Angelô ſuô perditô, Michaël exclamaret:
Quò volat inter fumoſos tormentorum globos
Angelus meus?
Num in Orco novô rogos focô ſuô fovet?
Temperabat præfervidas illas furias
in Angelô moderatus Michaël,
& ad Gallos amandabat.
Inter præliandum, dux eſto ſuus:
Si efferveſcat,
iræ primum, deinde hoſti ſuccumbit.
Imperabat ſibi Michaël, & victoriæ.
Tandem differenabat,
perambulante per pacatas undas pace,
diſſipatâ belli tempeſtate.
Tunc imperium maris ſummum
Ruteriano ſceptro relictum eſt:
tunc coronatis laureâ navibus,
felicibusque avibus,
Michaël, & Angelus
uterque in patriam revolavit.
Sed, eheu!
ſuus orienti in occidente Soli
radius obnubilatur,
coronæ Belgicæ pyropus impallet,
pupilla Angeli pacis extinguitur.
Illæ baliſtæ bellicæ,
o pugnax Belga, Rutere,

tibi fumabant, tibi ardebant,
tibi detonabant, tibi fulminabant;
ſed iratam audaciam ſuam oblita,
per ignaviam obmuteſcunt:
ora tormentorum flammea,
terrores loquentia, obrigent.
mortalem immortalis Angeli vitam
natura abſtulit:
tam ſolida columna,
libertatem Belgicam fundatura,
ſubruitur.
Orientis florentiſque caudicis
egerminans ſurculus,
in ramoſas famoſaſque frondes revireſcebat;
ſed radices præproperas,
altaſque in terram egerat,
repentinæ mortis aviditate exſtirpatas.
Arridebat Europæ Oculis ille precox flos,
exſpectabaturque fructus;
ecce caducus languet;
Et cum Angelico flore, laurorum ſpes tota exaruit.
Peregrinus in terris Angelus cæleſtem patriam aſpirabat:
ſequebatur equitem eques, Ruterum Ruterus,
Filius Patrem, Michaelem Angelus,
Heroo paſſu, præcoce fato.
Peſſimis pejores mortuum, optimis meliores
vivum deſiderarunt.
Debueras, Angele mi, aut numquam naſci,
aut numquam mori:
non eſt rei amiſſæ mæror,
ubi non fuit poſſeſſæ delicium.
Vixit patriæ, patriæ mortuus,
florido vitæ, mortiſque connubio cælebs Angelus.
Quietem ſibi, mœrorem ſuis,
memoriam Belgis immemorabilem reliquit;

letho præventus non læto,
& Bataviæ ſuæ non indefleto.
Ne igitur, viator, quære,
quâ morte exſtingui potuerit Angelus;
immortales ſunt omnes Angeli, vivunt:
Angelorum collega in collegium cælitum evocatus eſt.
In Cæli empyreo, triumphalis pyra, cum pyramide,
piratarum domitori exſtruenda eſt.
Sed ſubvereor,
ne ad laudes ſuas niveus erubeſcat cinis:
bona igitur Angeli pace, tacebo;
At tenereſcent cum populis duriores,
purioreſque ſcopuli, marmora;
quæ mecum moerore tacito, parenti Patriæ,
Angelo, pacis filio parentabunt.
Hanc urnam, lacrymarum illecebram, ſanctæ pietati po-(nit,
qui avunculo ſuo Batavo, & avo, hoc ævo,
ſuperat, Cornelius,
Guzanus ſanæ encyclopædiæ dictaturam tenet:
Themidis antiſtes, juſtitiæ, quæ pingitur cæca,
oculos aperit.
Eruderat penitioris naturæ ſacraria,
eruditus urinator;
Cujus gemmas, quas in lucem abditas eruit,
noſſe meruit,
prænitida, ipſe Cornelius, aviti ſtemmatis Gemma.
Cariſſimus Ibero Regi, clariſſimus Sanguine Floſculus
Ruteriano caudici inſertus effloreſcit.
In faſtigio, ſine faſtu,
In dignitate nihil dignitatis ambit.
Gentilitia ſcuti Lilia,
Witianæ mentis colores ſignant,
virtutis dives, olorini candoris nives,
ex Pandoræ pyxide depromſit,
quo pigmento cor melius Cornelius expingeret.

In Belgicis viridariis affimilia lilia
non florent:.
Odorata floris anima
flagranter ſpirat exempli boni fragrantiam.
Pietatem, inardeſcentem animæ lampadem
Olivo charitatis fovet;
cujus religio adeo ſancta eſt,
ut prope adoretur.
Conciliandæ tam ſtudioſus pacis,
quam Ruterus avus belli diſſipandi.
Neptunus centurionem patrem, cum filio,
avumque vocavit;
Perſolus ſuperat, è tot ac tantis heroibus,
Cornelius.
Ruterianæ prolis unicæ unicum corculum,
Matronali viduæ, identidem lugenti,
ſolatio victurus.
Vive, ô, Charitum gratiis, ſuaviter vive,
& in divinis oculis,
Corneliæque Matris oſculis ſero morere!
Vive (ex medullis voveo) patriæ plurimum,
tibi glorioſius,
Eruditioni copioſè, religioni conſtanter,
affluenter famæ,
Amſtelædamo feliciter, Belgarum ſpei diutiſſimè,
cælo perennè:
Donec tuo te natura lapide,
immortalis vitæ magnete,
donet,
Avunculo tuo, Sociabili Angelo contumulatum:
reſurges è ſepulcrali lapide mortuus,
& animatus,
redivivus, perfectus, immortalis cinis:
Chriſtum, angularem lapidem,
adeptus.

HEROUM

HEROUM
ANGELI DE RUITER,
MICHAELIS FILII,

Archithalaſſi, Baronis de RUITER, Equitis &c.

ANgelus eſt, niveæ virtutis imago, ſepultus;
Marmore candidior, marmore dignus erat:
Imperiô claſſes, quæ ſulcant marmora, rexit
Angelus, & vexit non Michaële minor.
Martia naumachiæ miracula muta loquuntur;
Angele, quæ prohibent, ut moriare, mori:
Fulmen eras, armiſque, & claſſe, viriſque tonabas:
Fulminibus claſſes ſuccubuere tuis:
Marte triumphabas Gallum, dominumque Britannum
Oceani: puppes vertit uterque ſuas.
Te duce, ſmyrnææ patriam petiere carinæ;
Septus eras nebulis, hoſte tenente fretum.
Magna ſequebaris tanti veſtigia patris;
Dum tua, quæ patris bella fuêre, facis:
Magnanimoſque, gradu ſpatioſa, audacia paſſus
Impulit; & calcar gloria patris erat:
Prælia quot movit, meruiſſe tot ille triumphos,
Et lauros voluit, te comitante, pater:
Patris erat pugnax, & inexpugnabile pectus;
Vixiſſes, poteras dux ſuperaſſe patrem.
Te patriæ violenta rapit mors, præcoce fatô;
Invida fortunæ, militiæque tuæ:
Erravit cum te petiit mors terrea telô:
Immortale caput, quod peteretur, erat:
Immortalis erat factis, & nomine victor,
Angelus; & didicit, ſe quoque poſſe mori:

Angelus ut vixit, ſic mortuus Angelus ille:
Vivere ſic virtus vellet, & ipſa mori:
Si lacrymas noſſet, fleret tua funera virtus;
Perdidit hæc oculos, te moriente, ſuos.
His vellet lacrymis, ſi poſſet, mortua fleri
Gloria, ſi poſſet gloria tota mori.
Angele mortalis, lacrymis tua buſta rigamus;
Corneli, ante alios, quod lacrymeris habes:
Te dilexit avus, parili dilexit amore
Angelus: in lacrymas quàm citò verſus amor:
Pugnaces animas patriæ objecêre ſaluti,
Hauſtus aquis frater cum patre, cæſus avus:
Funera multa doles, ſunt funera vena dolorum,
Et cumulat luctus patria moeſta tuos.
Corneli, lacrymas deple: tot funera vivunt;
Inter & heroas, qui dominentur, erunt:
Mandat avus, matris lacrymas ſolêre gementis:
In ſua, quæ meruit, gaudia turtur eat:
Læta canat patrias, turtur, Cornelia laudes:
Sunt ſua turturibus gaudia, quando gemunt.
Angelus interea, poſt funera, buſta meretur;
Buſta Ducis ſunto carmine culta ſuô:
Per campos equitas æquos, Rutere, marinos:
Troianô claſſis lignea major equô eſt.

In Natalem
GULIELMI III.

Magnæ Britanniæ, Scotiæ, & Franciæ REGIS, MARCHIONIS Veriæ &c.

Genethliacon.

Tolle jubas, redivive leo: genitore leone
Naſcitur Auriacus ſanguis leo: colla, jubæque
Virtutis ſpecimen ſignant, armique, torique
Magna leoninæ miracula majeſtatis.
Plus loquitur, quàm forma, furor: mens alta Gradivum,
Lumina Mulciberum ſpirant flammantia; regem
Frontis honos ſpondet, majeſtas imperat ore:
Vox ſonat heroem; dux præcoquus agminis audit:
Hic puer excedit puerum; ſuxiſſe leones
Juro ſuos: tractare crepundia parva pudori eſt;
Bella giganteâ Mavortia fronte minatur;
Virtutis prodit præludia prima ſequacis,
Herculeoſque toros, & non imitabile robur:
Nec major primis Alcides præſilit annis.
Indue belligerum cunis, puer, indue Martem;
Cereaque Heroum molimina combibat ætas;
Præcurrenſque virum pugnax infantia ludat;
Sub prætextatis audacia militet annis.
Te naſcente, ſuos Bellona ſerena rigores
Dedidicit, properans auguſtas viſere cunas,
Formatura virum; inſpirat dea Palladis ignes,
Fulmineos ignes, furiaſque, & ſemina belli;

Effunditque ſuum, geſtamina Martia, cinctum;
Indit & iratæ venis virtutis honores.
Caſſida bellatrix Pallas ſubſternit & haſtam
(Tanta deæ in puerum reverentia) ferrea virgo
Squammigero exceptum gremio, crudo ubere nutrit.
Heroem cum lacte bibit puer: oſcula libat
Formidata deæ; dea torvos reddit amores.
Balthea ſuſpendens humeris ingentia parvis;
Hæc, puer, arma gerent corpuſcula, ſpondet; avita
Arma geres, dextræ Auriacæ ſervabitur enſis:
Promitto nervos, & dignas milite venas:
Dixit, & irarum formoſos afflat honores:
Dux tener infremuit, peſtemque admiſit amicam.
In puero regina minax, & maſculus ardor
Emitet, & vegeto conſtantia regia vultu;
Perſultantque hilares triſti ſub fronte Megæræ.
Exere Bellonam, Martis puer, exere Martem.
Auriacas certant cunas ambire triumphi:
Laurigera advehitur Victoria prævia bigâ,
Tempora victoris, lauro florente, coronat:
Læta triumphali præludit gloria palmæ:
Fama tubis centum heroem reſonantibus ornat;
Atlantemque ſuum, clangoris honore, ſalutat.
Regius à tenero, leo fulmine militat, ungue:
Fulva jubatorum torvum irrubet ira leonum.
Prima heroorum vis tentamenta laborum?
Præfurit ante tubas, & inermi iraſcitur hoſti;
Prædamnanſque moram ætatis puerilis inertem,
Proſilit e cunis, ſigniſque præire ſuperbus,
Provocat abſentes inimicos, lumine torvo;
Brachiaque excutiens, pugnas, tentamina belli,
Proritat: ſunt hæc irritamenta Gradivi.
Prætenerum horrendum ſævire iraſcitur hoſtis;
Prælambitque ſuas, inviſa ſtrage, ruinas.

Invidet arma viris audacia; miles, & infans
Nunc aptat cono criſtas, nunc ferrea tergo
Tegmina; nunc ſceptro, nunc dextera fulgurat enſe:
Regia molitur: prodit ſimulamina pulchri
Viva rudimenti: nam fortes fortia tractant.
Mars tener audaci prælibat imagine Martem;
Æſtuat, & pulchris ſordêre cruoribus ardet:
Sed lento Bellona gradu venit; impiger urget,
Ut volet, & grandi properet dea ferrea paſſu;
Incuſatque moras, & plumbea tempora damnat.
Exere Bellonam, Bellonæ vivida imago.
Excuſſit Bellona metum tua: ſunt tibi cunæ
Area virtutis, bellatoriſque palæſtra.
Te naſcente, horror Francorum regna pererrans
Exululat, quaſſatque altas terroribus aulas;
Gallia turrigerâ vellit de fronte coronas,
Diſcerpitque ſuos, pallentia lilia, flores:
Te timor hoſtis amat; terrore extundis amores
Ferreus; hoc facto, quo ferreus, aureus audis.
Te pavitant claſſes, claſſes multo igne tonantes;
Barbaricæque tremunt, præſagæ funeris, arces.
Te ſtipant aquilæque, triumphaleſque leones.
Formidande infans! fulmen, jaculabile magnis
Numinibus fulmen, tua dextra vibrabit in hoſtem.
Caſtra metu cedent, cui gloria militat. Indos
Plus per te notos vaga fama, mariſque tyrannos
Turbabit: domito ſparges oriente triumphos,
Terroremque tui. Nardenia mœnia pugnax,
Et Bonnæ ſcandes: Graviæ defixa revelles
Lilia Francorum: Francorum cæde Seneffa,
Hannoniæque tuo montes certamine ſurgent.
Perrumpenda tuo eſt, Namurci, milite, rupes;
Hæc rupes famoſa, ſupervolitanda leoni eſt.
Admirande infans! tibi Solis imago, coloſſi
Inſtar inaurati, Ludovici machina, gaudens

Bacchari totô Oceanô, claſſique Britannæ
Nominibus quinquaginta inſultare ſuperbis,
Debellanda mari eſt, & contumulanda profundo:
Æquora palleſcent fulvo radioſa metallo.
Mergitur occiduus Sol (non eſt fabula) in undis.
Victor, io, dominare mari, terrâque triumpha!
Ter centum figes hoſtilia ſigna columnis:
Cuncta expugnabis, quæ cinges, oppida. Lauros
Induces oleis, facieſque ſilentia bello.
Paſcere naſcenti, bellator, paſcere famâ:
I, cervice altâ, criſtâque cruore comante.
Pax venit arridens, quæ cunas ducere gaudet.
Flet puer, & fletus inter micat ira leonis;
Seque, dolore ſuô, prodit leo: triſte gementis
Regius eſt gemitus; gemitus decuêre leonem.
Plus loquitur muto, quàm verba ſonantia, nutu.
Difficilis fleviſſe leo: vox Martia terret,
Majeſtaſque loquax oculis: rugitibus alta
Supplevit, quæ non potuit depromere, verba.
Non decet in cunis regem rugire leonem;
Emicat in Solem frons hiſpida; & ira ſuperba
Proſilit; excutienſque jubas, & verbere caudæ
(Hoſtes non poterat) cunaſque auraſque flagellat:
Irrîtat conjuratos; terrendaque quondam,
Jam terret; nondumque hoſtem, jam provocat hoſtem;
Vincendumque viri, vincit puerilibus armis.
Ingemit, & Martem ſuſpiria acerba laceſſunt.
Cur fles, torve puer? Lacrymæ ſunt ſigna furentis,
Vagituſque truces irarum ſemina produnt.
Balthea quærit amans, & balthea avita negari
Grande fremit: rapit haſtile, & thoracas ahenos;
Impatienſque tori, & cunabula dedignatus,
Verberat aurarumque animas, cunaſque lacertis;
Alcideſque ſuos quærit, quos comprimat, angues.

Voce petit ferrum non blandâ ferreus infans;
Luxuriare jubis, & fulvis pellibus ardet:
Inſpirat vitam lituis, & tympana pulſat,
Applauditque ſono, fervetque in pectore ſanguis:
Amplexuſque haſtas, & ſigna volantia, & enſes,
Brachiaque attollens, vincendos provocat hoſtes.
Ore vomit ſpumante minas; ſegmentaque & oſtrum;
Faſciolaſque ſuas, quas credidit eſſe catenas,
Diſſipat, & bellum cunis meditatus ab ipſis,
Arma, arma ingeminat; figitque in caſſida vultum,
Et volvit pugnas, & pugnis præcoquit iras:
Admordet pictos diris laniatibus hoſtes.
Hinnitu perſultat equi; dum tympana pulſant,
Dum litui fremuere, animoſior exſilit infans;
Non tormenta levem rumpunt, non claſſica ſomnum;
Baliſtarum inter metuenda tonitrua dormit;
Conciliant fragor ipſe, & murmura rauca quietem.
Ludit amor, pugnaſque ſuas furor exprimit infans.
Horrida te recreant dux oblectamina. Crudâ
Paſcitur, & triſti gaudet virtute voluptas.
Parce minis, metuende puer; properabis in annos;
In juvenem præcox eat impetus; ibis in hoſtem;
Bella ſeres, & Marte metes, victore, triumphos;
Totus avus, nec patre minor, par omnibus unus,
Exſpires atavos Batavos, imitamine laudum.
Qui modò vagitu, implebis dux plauſibus aulas:
Regales animos, dignoſque tonante vigores
Imbibe; barbaries inamabilis ora ſerenet;
Formoſuſque rigor turbato militet ore:
Ludere cum torvis aſſueſce leonibus audax;
Aggredière viris metuenda heroibus heros:
Regna triumphabis (veniat tibi ſanguis, & ætas)
Antevolabis avos, famâ poſt terga relictâ.
Fallor? an alta ſuas pandat tibi regia valvas?
Mulciber Ætnæis Steropen, Brontemque caminis

Evocat, Auriaco ſolium procudere ſudat.
Quis ſcit, an æquorei Regis tibi fulgeat oſtrum?
Sceptra Britanna geres, Franco obluctante, coronam-
que;
Exere purpureos auguſtæ frontis honores,
Exere miranti, regum puer inclyte, Mundo.
Regna Britanna tuo nutu moderabere, Belga.
O faciles veniant in regia vota favores!
Et, voveo, Princeps ut principe regnet in aulâ:
Exſulet impietas, ſolio depulſa Britanno:
Enſe ſuo pereat, qui te cupit enſe perire:
Ferrea fata fluant hoſti, fata aurea Belgis.
Lilia Franca Roſam, tibi debita Lilia quondam,
Agnoſcent labris reginam prona repandis.
Luſibus aſſuetos, victis Delphinas in undis,
Liliaque, & pleno piſcabere gurgite ſceptra.
Aſſuetumque dolo virtus tua fallet Ulyſſem.
Exere pacalem, victor puer, exere frontem.
Lacte nitent fontes; ſtant rivi nectare, campi
Melle; reguſtato flumen tardatur olivo.
Luxurioſa Ceres, gremio gravidata tumente,
Ditat inundantes, cumulatis frugibus, annos;
Silveſcenſque comis, fit ſaltus quælibet arbos.
Exere ridentem (rident ubi ſingula) frontem.
Aurea prægemmans Pomona repaſtinat arva;
Præflorent pingues, inarata meſſe, manipli,
In meſſem extundunt ſegetes, ſine ſemine, glebæ;
Turget inauratus ſaturatis Pampinus uvis;
Spirat odoratos florum regina vapores;
Laurus Hyperboreis inſultat nata pruinis;
Ambroſiam nubes, manantes nectare rores
Præſudant auræ, propinant cinnama ſilvæ.
Exere pacalem, pacis puer, exere frontem.
Redde ſuam populis pacem, pacique ſenectam
Florentem: celebret Saturnia ſæcula Mundus.

Belga ſuam debet, liber tibi Belga ſalutem,
Marte ſerenato: fert Belgica pacis olivam:
Liber, & aſſerto decurret flumine Rhenus:
Moſa catenatus, quæ mordet vincula Moſa,
Conteret; effractis ſpumabit, ùt ante, lupatis;
Cornibus exertis Vahalis feret oſcula ripis;
Iſala, ſanguineos piger abluet Iſala fontes.
Belgarum Nympham, captam, & ſine milite Nympham,
Exhauſtam bellis, & fata ſuprema ferentem,
Servitio (ò pietas!) in honorò, & compede ſolves.
Batavicæ plauſu ripæ, conchâque ſonabunt,
Nereides concha; Tritonum turba, canorâ
Voce, fluentiſonis recreabunt luſibus æquor;
Quæ tibi ſerta ferent, rubicunda coralia, ſparſo
Litore lecta, & de baccis tibi nomina fingent:
Victor erit læto Nymphis Guilielmus in ore,
Quo vôcat emeritum bello mare, terra quieſcit.
Te duce, diſcerpet Ludovici tympana Friſo:
Franca coronabunt tibi, Gelria, lilia frontem;
Lilia tu Francis, avulſo flore, remittes.
Exere laurigeram, victor puer, exere frontem.
Marte triumphato, latè dominabere Mundo,
Heroum regale genus, ſtirps aurea truncum
Tranſcendes; famam æquabis bellator avitam,
Præcerpens palmas, palmarum acceſſibus. Aude,
Cuncta tibi aſpirant, fluctu Theris, Æolus auris,
Armaque, ſucceſſuſque, coronatique triumphi.
Ardua ſuccedant conamina: Martia præſtes.
Auriaci vaſtas properent exempla per aulas:
Tot puero vigilent oculi, quot ſidera fulgent;
Brachia tot pugnent, quot dux armabit in hoſtem;
Pectora tot ſervent puerum, quot Belgica nutrit.
Occidat ipſe ſuò regalis proditor enſe.

Corda Britannorum Gulielmum ſingula regem
Ingeminant ; pluresque ferunt, quàm verba, coronas.
Annue regali populo, puer, annue fronte.
Vive, age, qui bellum tenerô meditaris ab ungue;
Sic pacem Alcides lacerô mediteris ab angue;
Et promiſſa tibi, ſed ſerò, ſidera ſcandas.

GUILIELMO AURIACO,

Anagramma :

VIVAM GLORIA COELI.

Oſculum Honoris, & Gloriæ,
Hoc eſt,
Connubium Sereniſſimi, Potentiſſimique,

JOHANNIS GEORGII IV.

S. R. I. ELECTORIS,

DUCIS SAXONIÆ, &c. &c. &c.

SPONSI,

& Sereniſſimæ Celſiſſimæque Principis,

ELEONORÆ, ERTMUDÆ, ALOYSIÆ,

E DUCIBUS SAXONIÆ EYSENACH, &c. &c. &c.

SPONSÆ.

EPISTOLA PROSPHONETICA.

Circumtonat magni Hymenæi Echo Europam universam, linguæque Saxonum in ſolemnes plauſibileſque gratulationes exſiliunt : non igitur moleſtè, ſed modeſtè , Serenitas Veſtra , amœnas Camœnas meas excipiet , conſpirantibus omnium votis animiſque, pulcherrimo veluti conjugio, copulatas. Duxiſti, Dux maxime, Principem, famâ auguſtiorem, homine majorem; viraginem tam nobilem, quàm nubilem; ſed ſine nubilis ſerenam ; in qua hoſpitantur Gratiæ, Charites blandiuntur. In ſanctiſſimæ Nymphæ medullis , deſcripta legitur norma probitatis , forma integritatis , gemma venuſtatis , ſtemma vetuſtatis omnis. Eleonora homine humilior , generoſitate homine major , utraque maxima ; in faſtigio ſine faſtu, altiſſima humiliore Dei reverentiâ; ignorat nihil , niſi ſuam magnitudinem. Indole adeò piâ , ut indoleat, ſiquis pietatem , pretioſiorem mentis gemmam, non redoleat. Ex ſidereis oculorum deſideriis, terſiſſimis quaſi ſpeculis, pietas, altera hominis anima, ſuaviſſimè renidet. Tota mellea eſt Ertmuda , animulâ cycneâ candidior , blandior columbinâ , pavoninâ glorioſior : charitate egregia, liberalitate regia, fide religioſa, tenax ſecreti, ingenuitate ingenii, & exemplo vitæ inimitabilis: ſe ad omnium mores fingens ſinceritatis cultu, fingere neſcia; niſi ſe Sponſo ſuo, Deoque digniſſimam : qui ergo pupillam Germaniæ neſcit, nihil perſpeculatus eſt, tametſi orbes perluſtaverit; ſupra ſpeciem pretioſam, ſupra pretium ſpecioſam , ſupra jactantiam invidendam (non adulabor: dico, quod ſentio; dicenti acclamat Teutonia univerſa) facie tam formoſa, quam famoſa animi perilluſtris face; quæ decôrum ipſum ſtupore devenuſtet, elegantias perblandas violet. Aloyſiam nemo vidit, qui non deſideravit; nemo audivit,

qui

qui non perfectiſſimè amavit. Qui principem hanc animam, amore emedullato, non percoluit, in ejus corde tota mortua eſt pietas. In fronte ſedet nitela Solis, animô caſtus nivis. Hanc principes omnes ſuam voluerunt; ſed Saxoniæ Caput auguſtum animari tam grandi debebat mente, majore non poterat, cum ſit optimis melior; omnes tamen vult eſſe ſeipſâ meliores. Virtutes inter ſe certatim omnes rixatæ ſunt, ut honoræ cor Eleonoræ præoccuparent. Virtutum fragrantia hortum in ipſâ Principe ſibi fecit, florum paradiſum, terrarum cœlum. Regio hoc virtutum choro ſtipata, merebatur Venus Marti ſuo maritari; ſed meritis ſuis ſapientiſſima pientiſſimaque Nympha modeſtiſſimè iraſci viſa eſt, cùm ad auguſtos OctoViri maximi Hymenæos duceretur. Terra cælum mereretur dici, ſi plures Aloyſias haberet: neſcio enim an ſimilem hominem, poſt annos mille, terra paritura ſit. Sic Minerva ſuo Apollini, Jovi nuberet Venus.

In hujus Jovis Saxonici ore ridet Venus, Mars fremit: ad cujus aſpectum, Borbonium fulmen friget. Amorum tœdæ, armorum tœdia non parient: de maritali toro, Dux, deſilies, ut Martiales francorum toros ſubigas; truceſque Thraces, externos æternoſque hoſtes, unà cum Gallorum levitate, gravitate morum armorumque caſtiges. Aquila ſupervolabis famam, ac Lunam illunem retrogradamque redditurus, Solem hirquo vultuoſus obtuebere. Veritatem, perraram in terris, & felicem in aulis Phœnicem, in pectoris ſolio éducas. Pietas veterana familiam ducit Principem. Legum virginitatem ſine canis ſervas, inter Aquilas Phœnix, inter Catones Cato cultiſſimus conſultiſſimuſque, fundis conſiliorum oracula, ut graviſſima procerum capita ſuam canitiem increpuerint. Emicuiſti, & eminuiſti, Elector potentiſſime, ſupra virtutem robuſtus, ſupra invidiam felix, ſupra æmulationem

lationem admirandus, hâc ætate ferreâ, inter Europæos lupos, ovis aurea. Dignior ſuper Obeliſcos ſtare, qui vix exercitum, cum patre, in Solem ac pulverem eduxeras, & omnium populorum animos expugnaveras: dignior in eburneis curulibus, cum victore, Saxone, triumphare, qui glorioſius in omnium animis triumphas. Faciendo ac patiendo perardua, totam animo complexus, virtutum omnium maximam, magnanimitatem, labores Herculis Pellæi exæquabis. In hoc timendus, quod neminem times inimicum, niſi Deum; & hoc viri, hoc germani Saxonis eſt; cui nemo hoſtis, niſi fidei; nemo amicus, niſi Dei; nemo diſplicet, niſi cui anima malè olet. Virtutes in Te omnes principes finxiſti. Inſpice, ô Teutonia, ſpeculum tuum, animam Principum publicam, Georgium; cujus animus integritate morum gemmeus, caput ſoliditate virtutis adamantinum, oculi modeſtiæ verecundiâ corallini, lingua candore veritatis eburnea, humeri ferendis bellis marmorei; cor charitatis pretio aureum, manus liberalitate argenteæ, pectus adverſus impietatem ferreum, pedes ad iracundiam plumbei, oſſa laboribus ærea, totum corpus tolerantiæ conſtantiâ metallicum. Vive igitur, Dux ſereniſſime, Deo, Cæſari, populo, Tibi; & qui laudari ſatis pro meritis non potes, lauderis quàm diutiſſimè: vive adamantinâ ſæculorum omnium memoriâ; cujus vita numquam juvenis, mores ſemper ſenes, æſtimatio numquam in aurorâ, beneficentia ſemper in meridie, magnitudo mentis numquam in occaſu, vigor animi numquam in hieme, Religio ſemper in Vere, in æſtate ſemper charitas, prudentiæ ratio ac moderatio ſemper in Autumno. Vive Cæſari ſupra Pylades omnes, & Oreſtes fidus: vive tempori multum, Sponſæ diu, patriæ numquam ſatis, meritis abundè, Deo ſemper, æternitati immortaliter. Vive in omnium cordibus, quia

cor

cor omnium es: vive in egentium gentium medullis; quia per Te vivunt: vive pietate magis, quam ætate, virtutum & pacis canitiem: vivat denique uterque Princeps in mutuis oculis & oſculis; & Hymenæus (voveo) divini mellificii ſpem primam, liberorum apes producat, in auguſtiſſimi ſolii apicem evolaturas.

Principes, Sponſi Sereniſſimi,

Obſervantiâ maximâ, cultu non minimô, minimus ſervus, cliens, & ſubditus veſter,

JANUS BISCOPIDES.

EPI-

EPITHALAMIUM.

JUnge maritales bigas Amor: indue myrto
Tempora: Saxonios celebrat Cytheræa triumphos:
Dux præcedit Hymen: coëunt in fœdus amantes:
Occurrunt oculi juvenum, cupidæque puellæ
In Sponſis errant, vivitque ſtuporibus error.
Fallor? honoratos, Paphia cum matre, Cupido,
Nubile par, Sponſos Hymenæis ducit ad aras:
Talis Olympiacas haſtata Minerva per arces
Ingreditur, totaque Dea perfunditur aula:
Sic pompæ faſtus, divinaque gloria ſplendent,
Quando coronandam æterno diademate Nympham
Jupiter inducit: cæleſtia ſceptra rotanda,
Dos datur, & cæli & mundi globus: illa ſuperbo
Ex Elephante ſedens ſolio, exſpatiatur Olympo;
Invehitur protracta ſuis pavonibus; ardet
Amplexus libare ſui Jovis. Ipſe Deûm rex
Fulmina dedidicit, formidandumque tonantem;
Nec jam ſævus, Amor totus, meditatur amores:
Conſecrat amplexus, & baſia purgat amantum;
Et Venerem laudans, nataſque Cupidine flammas,
Pœnitet eſſe Jovem, qui fulmina ſpargat & iras;
De Jove gaudet Amor fieri, dicique Cupido.
Pompa venit: Sponſum denſo agmine ſtipat avita
Nobilitas, Chariteſque, & Gratia multa coronant:
Cui blandus, nec mutus Hymen ſub corde renidet;
Quem candor, rectumque, & majeſtatis honeſtas
Commendant, magnoque ſuperbior Hercule virtus.
Aſtra parem genuiſſe negant. Molîtur, in alta,
Multa animos natura; creat Te, clare Georgi,
Imperio Atlantem, & moturum bella Gradivum.
Cor pietas, animum candor, ſapientia vitam

Per-

Perpolit, & mores reverentia pacis honeſtat.
Reginam potuit Nympham mens alta mereri.
Hunc videat Phœbe (Phœbe videt omnia) amabit.
Te propter, Daphne contemnet Apollinis ulnas;
Non Europa Jovem, non Cypris amabit Adonin:
Nec Lunæ, Endymion (ſi te videt illa) placebis:
Laodamia ſinum tibi, Proteſilaë, negaret:
Amphitryoniadi ſua Deianira petenti
Oſcula ſubtraheret; fugeret Briſeis Achillem.
Ilia negligeret Martem; Tibi Delia Phœbum,
Et Tibi deſereret ſolium Saturnia eburnum.
Sponſa Deam prodit, quam per freta mota natator
Quærat Abydenus, rapiatque Idæus adulter.
Fronte ſedent Veneres: format prudentia matrem,
Nobilitas claram, doctam ſapientia, ſanctam
Religio, probitas dulcem, conſtantia fortem.
Alta venuſtarum regina, ſuperba triumphat
Virgineos matrona choros. Non cultior Hebe
Exhilarat cæleſte ſacrum, cum dulce tonanti
Nectar, & Ambroſios fontes formoſa miniſtrat:
Sed neque talis erat, formâ, Phaëtontia mater:
Te viſam arderet Phœbus, radioſus amator:
Te viſâ Alcides tenereſceret; ille per Orcum
Quæreret, & raptam toto ſequeretur Averno;
Monſtra Tuo, Stygiumque canem frenaret amori.
Aſterius Tua colla petit; dat ſponte lacertos
Hippolytus, neque Bellerophon Tibi ſubtrahit ulnas.
Tempore ſi priſco nata Eleonora fuiſſes;
Andromachen Hector; Phœdram, ſua gaudia, Theſeus,
Æmonideſque Thetin fugeret, Galluſque Lycorin:
Dirus amor Paridis damnaret Pellicis ignes:
Oſcula Penelopes averſaretur Ulyſſes.
Mille Deas ſuperas, Jovis una mereris amores,

Gem-

Gemma pudicitiæ, magnetica gemma virorum.
Progredere, & cultos pretioſæ frontis honores,
Spectandos populis, attolle, Aloyſia: vincis
Auguſtas formâ matres, & denſa puellarum ——
—— Agmina: in amplexus illabere fœta marito.
Fœdera Vulcanus thalami ſociata renodat
Nexibus æternis, adamantina vincula fingens.
Aſpirat fortuna, parem genuiſſe laborat,
Et (quod malit amor) patri virtute priorem.
Publica Olympicolæ teſtantur gaudia: ludit
Mulciber ignicrepis, colludit & ignibus Hymen.
Dreſdeniæ Dryades pudet, & latuiſſe Napæas;
Deſeruêre Albim, gens deſeruêre Viſurgim
Nereidum, approperans, feſtis perculta corymbis;
Deſeruêre ſuos Nymphæ, gens roſcida, fontes;
Luxuriantque choro, madidantque in murice cinctus:
Ter caput irrorant lymphâ, tinguntque liquore.
Concha fluenticolas recreat, Tritone canente:
Glaucis vectus equis, glauco Neptunus amictu,
Crine fluit madido, viridans caput alga coronat,
Cærulei turget geſtamine dextera ſceptri,
Cum conſorte tori, muſco frondente recincta,
Juncorumque trahens fluviale paludamentum,
Concelebrat gelido calidos ſub flumine amores:
Omnia cum gaudent, celet ſua gaudia Sponſus?
Heſper, Hymenque favent: nox alta cubilia Sponſi
Ingreſſura, Tuo gremium diffundit amori.
Nympha virum, thalamumque ſuum petat, aurea Nympha.
Connubii fructum cælum, ſacra pignora, ſpondet.

Vaticinatur Sponſo Poëta felicitatem armorum, ex parentis optimi maximi virtute, in Victoriâ, contra Othomanos, ante Viennam, relatâ, anno 1683.

Rex Thracum, Mahomet, caudæ jactator equinæ,
Bella coronatis Aquilis ciet: ante Viennam,
Imperii dominam, caput orbis, Cæſaris aulam,
Muſulmaniadum trahit in certamina mundum,
Succolante Aſia, & ſuccenturiantibus Afris.
Ore æratarum baliſtarum, ignea hiulcant
Mœnia fulminibus: murales ariete crebro
Compages nutant; patet interruptus hiatus.
Turma Janisaridum, Solimania robora, vaſtæ
Incumbunt labi, cumulantque cadavere vallum:
Enſe catenatas crates diſſolvere tentant;
Terrificant obluctantem ferroque globiſque:
Conquaſſantque altam, convulſis turribus, aulam
Pulvere Tartareo fœtæ, incenſæque cavernæ.
Tartarus interea volat agmine fuſus, agreſtes
Perpopulatur opes, & ſordidat arva ruinis:
Sic nimbis latè torrens Borealibus auctus,
Volvitur undiſonus cumulus; multoque volutu,
Conſurgunt fluctus; ducuntur ab orbibus orbes
Effuſi, & flumen de flumine, ab amnibus amnis
Proruit, Oceanum de gurgite gurges adurget:
Accreſcunt, exporrecto glomeramine, montes
Immenſi; & gyro gyros graviora rotundant:
Sorbentur ripæ, ripas ſupereminet unda;
Exſpatiantur aquæ, ſpumis ſalientibus; altos
Victa per arva gradus audax molitur, & agris

Jam

Jam debellatis vis defrenata procellæ
Incubat, exſultans furialibus æſtibus; æſtus
Accumulat ſtrages, & inundat vortice campos:
Tempeſtas animoſa ſalit, fremit unda, bibaci
Ventre vorans ſilvas: Cereris ſternuntur honores:
Terra fugit, Neptunus ovat, monteſque triumphans
Prata rapit, mundum ſpoliat: ſunt omnia pontus.
Pannonios ita graſſatur Scytha prædo, per agros
Illapſus: ferroque lares populatur, & igni:
Non domus indisjecta manet, nec parcitur ipſis
Cælitibus: templa (ô rabies!) ſternuntur & aræ,
Sternuntur ſata læta, laboratumque novale:
Grandinis it vaſto tempeſtas turbida campo:
Arva ruinoſis incurſibus hoſtis inundat:
Ferreus incumbit Cereri, & ruit omnia miles.
Et torpemus adhuc? Raptum ſorbemus inulti
Auſtriadæ? Nec tanti injuria majeſtatis
Cæſareæ eſt? Laceras Aquilas, delubra, Viennam
Bulgare, convellas? Saxo auxiliaribus armis
Advolat, & Cracco, qui Byzantina cecîdit
Caſtra, Jagellonidum ſpumante Boriſthene tabo,
Regnatorem Aſiæ, dominatoremque Scytharum
Impetit, ignivomaſque exſibilat ore Megæras.
Sarmata concurrit, cum bellatore Boruſſo,
Conglomerata ruit Lituania, lecta virûm vis,
Biſaltas frenare capax, cantata triumphis
Moldavicis, Lunamque ſuo devolvere cælo
Conjurata, Hydræque tumentia colla ſecare,
Fræna Parætoniis ſubjungere tigribus audax.
Auſtriacas Aquilas, & fulmina digna tonante,
Bavare, bellipotens Princeps, in prælia cogis.
Exſpatiantur agris, gens pugnax enſe, Liburni;
Non caput horreſcit galeâ, non pectora ſcuto;
Frons galea eſt, animus murus, ſunt pectora ſcutum.
Dalmatico ſpadice ſedet Dux Muſtapha, in auro

Emicat; Oſmanios, prædæ dulcedine, flammat
Grandiloquus; fulvâ radiat frons alta tiarâ;
Et diademàtus caput, in-fulgente pyropo;
Veſte paludatus, gemmis oſtroque ſuperbâ;
Laxat adorandum majeſtas Bulgara faſtum:
Caſſide ſublatâ, furias oſtentat honeſtas;
Maſſagetaſque, Scythaſque, bipenniferoſque Gelonos,
Cumque Canopæis, hortatur ad arma Moloſſos;
Lunigerumque urget per ſtridula ſibila Martem.
Agmina Teutonii Atlantis, manus Hercule plena,
Emeriti heroes, flos belli, animæque cruentæ
(Nec peperit Bellona pares) ſtipantur in alas,
Pugnatura Duci, debellatura Dracones,
Muſulmanigenas, & Martia fulmina Parthos.
Stant inimicæ acies: Amuratica pectora cælum
Barbarico pulſant clamore; paventia ſignat
Argumenta ſonus. Galeatos perdit in ære
Dux Saxo vultus; loricam ſquama renodat.
Saxonicæ turmæ, gens ſueta incurrere in hoſtes,
Proculcare acies, ruere agmina, ſternere caſtra,
Aggreditur Thraces: princeps furor ardet, & audet.
Dux tuus, Albi, præit, cui plurima fronte Meduſa,
Infundit bellatrices per pila phalangas:
Criſtarum ſilvam facilis vibrat aura comantem:
Vivida Bellonam venarum ſemina ſpirant;
Majeſtas animoſa ſuos facit eſſe leones;
Exhilarat Martem exemplo, proritat & auro;
Nec mora, congreditur. Per fulmina pulvere mota,
Stipataſque neces, in Achææ cornua Lunæ
Pérfurit; & cuneos, cuneo quatiente, flagellat.
Brachia purpureo ſudantia pérmadet imbre:
Antévolans Aquilas, ruit obvia; nemo volantem
(Dum obſtantes prætergreditur, ſtricto enſe, maniplos)
Aſſequitur; ſignant ſed ſtrata cadavera callem:
Namque peremtorum Mundum poſt terga recalcat.

Ho-

Hoſtibus incubuêre hoſtes, animiſque, probriſque,
Miſſilibuſque globis, longùmque minantibus haſtis:
Conſonuere enſes, oculiſque loquentibus iras,
Procudunt flictûs, Lunamque ad Tartara mittunt.
Obſtinat impreſſûs rabies, ignara repulſûs;
Aſſultûſque urgens, laniatibus aſperat hoſtem.
Vaſta, immane tonans, baliſta effundit hiatum:
Concuſſum obloquitur cælum: furit ignibus aura.
Expavet ad fremitum recrepantis murmuris Afer:
Saltibus exſiliunt Satyri, fugiuntque Napææ;
Cum Faunis Dryades, & plebs timidiſſima, Panes
Per carecta ruunt: Naias, confuſa pavore,
Dicitur ad primos fugitiva recurrere fontes.
Vidi ego turbato properantes agmine ſtrages:
Vidi Othomaniadum volitantia crura per auras;
Vidi equitum, laceris galeis, ſtillante cerebro,
Implexos ſparſim ramis pendêre capillos:
Baltea cæde rubent: igneſcunt pulvere vultus.
Deſuetum exſorbet tellus ſaturata colorem.
Crudeſcit Mavors, qui mortibus arva cruentat:
Caſtra flagellantur. Turgeſcit Muſtapha in iras;
Barbaries, formoſa minis, micat ore nigrante;
Dumque recompoſiti circúmglobat agminis alas,
Effundit laxas, deſperataſque cohortes;
Et Leopoldinas circúmtonat ære catervas;
Pugnat dente; oculos diro fodit ungue; cruores
Vi jacit in vultum; Craccoo lumina obumbrat.
Non tulit hoc Saxo, ruit impiger, impiger enſem
Falcatum, immanem, Scythicum, quem ventilat auris,
Iſmario extorquet; ſilvam barbæ arripit, & vi
Circúmagit pavitantem, & fulvâ involvit arenâ:
Sternitur informis, proſtrato corpore, truncus.
Ilicet, & noſtram pétito hoc, ait, enſe Viennam;
Auſtriacaſque Aquilas, audax, laniare memento:
Dixit, & Odryſio ſcrutatus acinace coſtas,

Ventre furit medio, & ventris tranſverberat oſſa.
Pulvere ſtant auræ: craſſeſcunt flumina tabo:
Gleba ſaginatur, nece fermentata Getarum:
Diluvium meditantur agri: ſunt omnia ſanguis.
Mars ſudat, nutatque acies. Denſantur, aguntur,
Quaſſantur cunei: collemque cadentia fingunt
Corpora Biſtonidum; ſqualetque in pulvere peſtis.
Defervet feritas; torpenſque pavoribus, ira
Defrenata; fuga quærit, non enſe, ſalutem.
Muſtapha dilaniat, Mahometica dona, Zebellos,
Hirſutos nivibus, maculæque decôre comantes;
Et trabeam, & multo martes Adamante rigentes:
Et fugit antévolans; ſed lumina torva retorquet,
Grande fremens; vanoque minas meditatur hiatu.
Fruſtra ultor, rabido ore furis, Martemque remugis,
Sanguinolente Draco, & caudâ languente minaris.
Ferrea tempeſtas baliſtarum incubat hoſti:
Terga fugæ caſtigat eques, Lunamque cruentat;
Seque horror pavitat, numeroſaque funera damnat;
Martis opus Mars ipſe ſtupet: proſtrata Scytharum
Agmina ferrato obtritu temerantur equorum:
Oſſibus albet humus: ſunt omnia mortis imago.
Territa barbaries, ſua, mundum, caſtra relinquit;
Dum fugit, exululat, numquam viſura Viennam:
Sic lupus, armenti fulmen, niveique tyrannus
Velleris, armato pavidus paſtore fugatur;
Ingrediturque altas, umbroſa cubilia, ſilvas.
Muſtapha linquit equum, & regale paludamentum,
Excutiens pavidâ totam cervice Viennam.
Præda triumphatos jacet, hoſte jacente, per agros,
Bis quinquaginta tormenta metallica, peſtes;
Aurumque, argentumque, & corpora vaſta, cameli;
Threiciæ pateræ, & baccata monilia, torques:
Pars ave criſtatas galeas Phœnice, tiaras,
Umbones, frameas, peltas prædatur, & harpas;
Picta-

Pictaque barbaricis Sultania signa Chimeris,
Isida: pars Epaphum, Bubastin, Anubin, Osirin,
Et fictas clypeis sphinges, cum gryphibus; adde
Centauros, Arabumque Hydras, & monstra Draconum.
Tolle, Vienna, caput, combustum pulvere, in auras:
Starrenbergiades, laceris de mœnibus exi;
Cæsareo gladium solio substerne cruentum:
Cæsar adorandus Lunis sua sceptra coronet,
Cæsar, amor cæli, Mars invictissimus orbis;
Temporaque infulgens lauro, Capitolia scandat;
Et pede prosubigat Scythicos victore tyrannos.
Amphitheatra sonent Lotharingos, atque Badæos.
Assurgant, Veterane, tibi, & Caraffa, Colossi.
Cum Scherffebergo, pugnax Walæe, triumpha:
Vivite, Bavarici, gens formidanda, leones!
Vivite, Pannonii, gens impigra, vivite famæ!
Dux Schoningus ovat, qui turrigeros elephantos,
Et bullis plumisque suis phalerata, camelorum ——
—— Agmina victor agit, bigâ spectandus eburnâ.
Saxo, leoninis heroibus, inclyte Saxo,
Magnanimas venas, nervosque in bella ministras.
Germanas acies, Craccoo Rege sequente,
Mars de Marte præis, Leo de radice leonis;
Horrisonas vomis ore Draco spumante ruinas;
Et Leopoldinas firmas, virtute, coronas:
Aspicis, ut volitent Getici ad tua signa triumphi?
Læta triumphales lauri de caudice, ramos
Carpit; & è ramis sertum Victoria nectit
Palmato capiti, lemniscatamque corollam.
Ille pavor regum, qui mundi regna voravit,
Sub plantis ululat Mahomet, mordetque catenas:
Ille giganteus, totoque augustior orbe,
Detumuit fastus, Reges regnare professus.
Te victore, suos damnat Babylonia Reges,
Desuevitque minas contemtrix alta Viennæ:

Thracia jam timido lentos crepat ore Gradivos;
Thracia turrigero vellit de vertice Lunas,
Illunes Lunas, crucis admiſſura tropæum.
Capta triumphali, tam ſæva ſuperbia; pompâ,
Inſultanda jacet; collo ſonuere catenæ.
Ilicet, & caudas, Mahomet fabricator, equinas
Terrori oſtenta: tibi cauda fugata flagellum eſt.
At tu, Myrmidonum domitor, ſtirps aurea regum,
Formidande Scythis, bellator Saxo, Georgi,
Peſte tyrannorum exſtinctâ, Mahomete, triumpha:
Exere lauriferas, Dux belliger, exere criſtas:
Auſpicium pugnæ, aſſultum, impreſſumque dediſti.
Admirande Heros, heroum fulmen, & Atlas
Cæſarei mundi, Dux Herculis Europæi,
Marte tuo (ſed habet partem Craccovia laudum)
Marte triumphatus, debellatuſque Ducum Dux:
Magnificas Aquilas, auguſti fulmina ſceptri,
Proſilit è ſolio tibi gloria. Scande curules,
Quos tibi ducit honos, meritis digniſſima merces.
Prona tuis aderit ſignis victoria. Coget
Fauſta ſuam Fortuna rotam tibi currere, Ductor.
Fama tuos, numquam tacitura, loquetur honores.
Vivet, Marte tuo, Germania libera vivet:
Te ſine (nec neſcit) Germania barbara Lunas
Oſmanias, Aquilis pulſis cum Cæſare, ferret:
Numen adoraret, ſine numine, dira Vienna,
Delicium mundi, Europæ regina, Vienna.
Viſtula purpureas, non jam piger, eluit undas;
Nec modò ſanguineo lenteſcit gurgite Dravus;
Fonte retardato, flumen Tibiſcus adurget;
Vincula jam neſcit, neque barbara Savus adorat:
Boſporus, & Tigris, Tanaiſque, & Phaſis, & Hæbrus,
Flumina præcipitata, catenatuſque Scamander,
Imperio, Dux Saxo, tuo, ſine murmure, currunt:

Di-

Disturbant turrita suas gestamina Lunas
Ismarus, & Rhódope, cumque Ossâ, Taurus, & Hæmus;
Assurguntque tuis, submisso colle, triumphis;
Delibantque tuis, dum transis, oscula plantis.
Insere Cæsareæ palmas, Dux magne, coronæ.
In gremium volat, ecce, tuum victoria, Cæsar:
Fulminibus positis, Jovis armiger, omine fausto,
Sceptra, decus Thracum, defert, Scythicamque coronam;
Terque supervolitat niveis tua tempora pennis.
Mars, age, Teutonidum; Budæ obluctantia franges
Mœnia: Belgradum perrumpes, ostia Dravi,
Danubii frenum, rapidique repagula Savi:
Vulcano dabis Ezecci miracula pontis.
Pannonii, cum Silvanis, & Bosnia Jano
Succumbent, Leopolde, tuo: tibi Bulgara claustra
Prosilient patefacta; sagittiferique Geloni
Numen adorati ejurant Mahometis ad aras.
Indue lunigeras, victor Leopolde, tiaras.
Martia dextra globum Lunæ gerat; imperet orbi.
Sub solio jaceat Mahomet, discatque tonantem
Austriacum regnare, & non explodere Reges.
At tu, nate Ducum de sanguine, magne Georgi,
Mars de Marte; patris, Thracum victoris, imago;
Indue belligerum, factis, Dux, indue patrem:
Quem geris ore virum, paribus virtutibus æqua:
Clarior ipse tuos atavos, imitamine laudum,
Vince: triumphales statuet tibi Saxo Colossos:
Antevolabis avos, famâ post terga relictâ.

EPITAPHIUM HELLUONIS.

Vivite, ventres;
ſed prætereat ſobrius;
nihil mihi cum eô negotii eſt.
Ego trium ventrium elephas, eſuriorum pater,
nepotum filius,
abdominis Dominus, Liberi ſervus,
ſervivi accurandæ cuticulæ;
ſed nullis ſatis Bacchanalibus ſatur,
Saturnalia pernox, pervigilque celebravi.
Dum vixi, ſine reſpiratione bibi, ſitivique quâvis horulâ,
bibax piſciculus, madidus anſer.
Menſas ſine menſurâ immenſas, immerſus merô;
lætiores ac lautiores cupedias, cupidiore alvô,
avidiùs, & rapidiùs voravi.
Archimagirus ventripotens, lurconum Hercules,
Phagonum Roſcius,
obbarum ac ollarum Harpyia, ſingula pocula,
gulâ indomitâ, degulavi;
lucelli decoctor, morti nihil ſuperfluitatis,
niſi urnas ſiccas, & oſſa,
meique multivoris vermibus deſiderium relîqui.
Æquè prodigus, & avarus defæcati, delicatique Lyæi,
in Lycæô Bacchicô,
aptiſſimas, apertiſſimaſque páteras,
è lagenis, plenis venis, affundebam:
& ne vinô cumulatô irrigarem tumulum,
hôc in non jejunô ventriculô meô, non ſobriè,
ſæpè ſepelivi.
Comeſſatorum comes, gulonúm & epulonúm cóllega,
unam mihi, dum exlex vixi, ſtatueram legem,
ſine lege vivere, bibere ſine modô.

Cya-

yathiſſabam pancraticè, & ventrium omnium hoſtem,
ſitim debellavi,
robuſtô muſtô.
Potitando exhauriebam flumina,
exgurgitabam Oceanos vomitando,
ſemper perliberalis Liberi pullus,
ve biberem, ſive ſuppellectilem ſtomachi egererem.
Novus Diogenes ex doliô, Academiâ meâ,
non in doliô, vixi.
Genii limpidiſſimi, lepidiſſimique, ingenii liquidiſſimi,
docti, decoctique judicii,
Profeſſor juris, crapulæ diſcipulus,
veteranus Bromii tyrunculus,
ad lampada Apicii, quæ vinum redolebat, ſtudui;
diſputans ad ravim in pateris, ac patinis,
ederâ coronandus:
adfidelâ perpetuà, uti Veſtalis virgo,
ſervabam ad foculum poculum;
poculorum, & porculorum pontifex maximus,
ſacrificabam hoſtias, calices, Libero non illiberaliter.
per dapem adeptus adipem prægravem;
florem Maſſicum, rorem Bacchicum,
medullam calicum,
indulgenter, ùt ſus, exſuxi;
ſiticuloſumque corculum, ebriolus & ſitiens,
ſitulâ corroborabam.
Permiſcebam cántharum, ac cantum;
ſympóſia cum ſymphoniâ,
non illepidè & tripudians, & titubans:
nam malè ambulant, qui benè bibunt:
& podagroſos ſaltus cient lætificæ Bacchi lacrymulæ.
Bibones perrarò canos ſuos numerant,
niſi caveant à cavea, quæ ſanitatis fundamen excavat:
quia prædivinum vinum, juvenum venenum eſt.
Pronus, & promtus

ad pampinorum ac popinonum obbas, arma mea,
exercitus cauponum, & caponum in aciem
eduxi ebrius,
Perbacchantium anteſignanus,
pergræcantium primipilus,
frugiperdarum, bucconum, frontonum coryphæus,
commilitonum vociferantium bombomachides,
digitis decem, quaſi tot lanceis, lances oppugnavi,
lancinatis carnibus:
inediam, ſitimque, hoſtes meas, aviditate duce,
expugnavi:
rationem mentis ad deditionem coëgi,
amentiâ præſide:
rebellionem in obſeſſâ ventriculi arce paſſus,
vappam in mappam eructans,
heſternam crapulam evaporavi;
crebrô ariete, pariete corporis lapſante, ſtrage muſteâ
Bellum in undis exarſit:
in campô ſiccô, infauſtis hauſtibus, naufragus fui.
Plenis ſcyphis, ac ſcaphis, cymbis, ac cymbiis,
in mari Falernô, gurges, navigavi:
ventris onerariam, Bacchicâ ſuppellectili ſaburratam,
numquam ſaturatam,
tamquam ſentinam, inferveſcente comeſſationum
tempeſtate, exonerabam:
ita prægravem venti tumore, & humore ventriculum,
ab aquâ intercute obſtetrix liberavi.
Jactabam coram urnularum amatorculis,
& adoleſcentiantium fraterculis,
gnarum eſſe me, imò gnavum meri in mari
Cæcubô piſcatorem.
Eram crapulæ theſis, ſympoſiorum magiſter,
temulentiæ profeſſor,
juris utriuſque, liquidi in primis, ac ſicci,
in Athenæo culinarum doctor,

artis

rtis bibulæ præſes, decoctorum Rector magnificus,
in ebriolorum collegiô, argumentabar ſtolidè,
non ſolidè;
olens Liberum, non libros;
ſorbillabam, perbibebam, cantitabam, titubabam:
eſurionum princeps, rex combibonum,
vitulantium imperator,
paraſitorum monarcha, zythô permadens,
& identidem cadens,
ſtrenuè & impigrè paraſitabar, comeſſabar,
helluabar.
Titubantium, ac vitulantium chorâgus,
extra chorum & thorum ſaltavi,
garriendo, luſitando, pitiſſando, laſciviendo,
revomendo;
formabam ſigmata Græca, accentus circumflexos,
circulos Mathematicos;
tunc, ut præ vinô aquam declinarem,
me ſubitò erudiit Grammatica;
qui vinum per omnes caſus,
& bibo per ſingula tempora, & modos noram inflectere:
Rhetoricam Sileni callebam ad unguem,
ejuſque aſellô doctior, bis ſapiebam,
juris utriuſque candidatus emeritus, & rude donatus,
thyrſum ederaceum gerebam, coronatus botrô.
Diu, noctuque cácabos, trullas,
& cucullos ſpumantes eviſceravi;
& poculis, & oculis certatim collacrymantibus,
profuſis loculis:
oenophora decumana, promulſide exuberantia,
proboſcide emedullavi;
donec immotis, à ſuis ſedibus, pedibus,
in Bacchidum ædibus,
ex tectô lectôque ad lætum lethum jacens
cucurri.

ſe-

ſepultus merô, ſomnô, nocte, meróbibus,
& multibibus,
adhuc multùm tumultuabar,
& ſorbilia, & veſca ſtomachoſus depoſcebam:
ſed pro mortuô habêri ebrius à ſobriis ſolet:
nec Bacchi porcis, gemmantis vini margaritæ
objiciendæ,
ſed Cereris epulô reſervandæ.
Peractis feſtis Bacchanalibus, Liberalibus,
Saturnalibus,
exantlatis, ex ſaburratâ ventris ſcaphâ, flocibus,
procubui, domum repedans, in oculis fori,
inter luteas roſas ſordidulus porcus,
quievique collutulatus, rhonchiſſans tuba altiùs:
cubile, cui incubabam, erat humus; lectus,
lapides;
cœnum, culcita; pulvis, pulvillus; imber,
plumæ;
vappa, ſtragula; cælum, tentorium.
Hoc, hoc compotorum dormitorium eſt:
iſtic dum quievi irrequietus,
ecce repentè oborta eſt ab oriente,
& occidente meo tempeſtas,
quâ ſuperobrutus, animam vinoſam,
Baccho ſacram,
unà cum ſolemniore vomitu, exhalavi,
navigium meum naufragium in alvi promontoriô
paſſum eſt.
Sic ventrium ſacrificuli,
temulenti, & in multam noctem tumultuati,
& ſomnolenti, vinique vi tumulati vivi,
cadere è cado, caſâ ſuâ, ſolitô caſu,
in obſcœnum cœnum non deſueti,
conduntur in doliô, ebriolorum ſoliô,
Bacchi Mauſoleô.

Ite rectà in viam veſtram, Nepotes,
& temulentiam dediſcite:
nam ebrietas eſt avidior ſaturitas,
illiberalis profuſio,
inamœna hilaritas, ſanitatis inſania,
mendicitatis veſtibulum,
ruina mentis, vivi hominis ſepultura:
ſobrietas eſt & ſanitatis, & ſanctitatis parens;
ſed pauculis liberis læta:
temperantia eſt ebrietatis noverca,
quæ corporis harmoniam, & Mundi ſymmetriam
ordinat:
intemperantia ſolemnem, in humanô,
& Mundanô corpore,
muſicam confundit:
nam popina propinat pœnam; dolium,
cordolium;
liquor, deliquium; caſum & occaſum, cadus;
muſtum, buſtum; poculum, loculum.
Requieſcat in ſiccô, familiæ ſuæ tempeſtas.
Valete, ventres.

Teſta-

TESTAMENTUM EBRIOLI MORIENTIS.

Sus vixi: ſine fine, capacia pocula mille,
Nocte dieque, gulâ ſemper hiante bibi.
Vivere cura fuit Baccho; mihi vivere nulla,
Cura fuit: captus mente, merôque fui.
Decoxi bona cuncta; & poſt exhauſta Lyæi
Flumina, adhuc ſitio; nec moritura ſitis:
Sed bibere immenſos hauſtus, & vivere feſſus,
Ne ſitim, os claudo: venter amice, vale.
Urna ſuprema mihi bibitur, quam, Bacche, propinas:
Urna relinquenda eſt: urnaque, morſque vocant.
Sed pudor eſt inteſtatum decedere: Bacchi
Heſterni hæredes, ebria turba, veni:
Ebriolis calices, & pocula ſicca relinquo,
Et numquam ſaturam, ventre vomente, ſitim.
Vos, Bacchi fratres, pictas has volvite chartas;
Sunt ſiccæ, ſitiunt immaduiſſe merô.
Crapula, dulce malum, voſque, o mea vina, valete;
Lætitiæ & ſomni ſemina blanda mei:
Bacche, vale: indulſi tibi, Bacchanalia vivens:
Finitum feſtum eſt; nec bibiturus eo.
Popotus videor *tototus*; neſcio vocis
Protutuliſſe ſonum: me mea lingua fugit:
Elinguem pateræ linguam fecêre loquentem:
Muſta loqui, quamvis ſint quoque muta, docent.
Gaugaudet loloquela mihi præcurrere balba;
Hæret at in mediô vox *momoleſta* ſonô:
Utere cautelâ (*proproderit*) ebria lingua:
Ne *loloquare*, cave: te *tatacere* decet.
Verba *probabavi*, *ſermomoneſque* referre;
Sed mihi præpropera eſt vox, ſiſilére vetat.

De

Devoveo, capitis peſtem, *Fafalerna* Lyæi
Muſta; mihi claudunt, ſurripiuntque gulam.
Lalapſum peperêre mihi *popocula* crebra,
Peſpeſtem pedibus, mente natante, ferunt.
Me, mea lingua, audi: rectè vis ire, loquique?
Ne bibe: *cacaſum* pocula crebra creant.
A caveis caveas: *Babacchus* muſta propinat:
Si faveat, paveas; Bacchica tigris eris:
Nam podagrâ, chiragrâque, bibax, cerebrôque laboras:
Sæpè tuus caveas pes peragrare ſolet.
Qui benè ſæpe bibit, malè claudicat: anſeris inſtar,
Ambulat; offendit, nec pede certus abit.
Non patitur regem, qui ſternit corpora, Bacchus:
Quem ſi crebrò hauris, qui titubabis, eris.
Quid juvat ebriolos leporinam ducere vitam?
Si lepus ille, vorax porcus, ùt Orcus, olet?
Ore vorant, de more vomunt, & amore Falerni,
Pingue cadaver alunt, pingue cadaver olent.
Ad fontes, Bacchi montes, ſua gaudia, currunt;
Sed nolunt claudi nocte redire pedes.
Ebrius ebriolos quærit, parileſque nepotes:
Pota ſenem potum ſollicitabit anus:
Rana placet ranæ, paſſer cum paſſere cantat;
Alloquitur comites garrula pica ſuas:
Luſcus amat luſcum, bubonem bubo ſalutat;
Anſere cum claudô ſic quoque ſaltat anas.
Vacca præit vaccæ, comitatur aſellus aſellum;
Cum vitulô vitulus, ſus pigra juncta ſui:
Triſtis amat mœſtos, hilaris gens miſta jocoſis;
Cum bove bos mugit; cum pare quisque ſuô.
Non maculas pardus, non mentem ponere ſuevit;
Non animum, aut villos exuit ipſe lupus:
Et natura ſuos ſervat corrupta colores,
Tinctaque teſta diu ſpirat odore malô.

Quos juvat ingenii, juvat & concordia morum;
Se ſtudiis gaudent conſociare ſuis.
Affundit ranis muſtum, qui muſta bibaci
Propinat ſtomacho: plus elephante bibit:
Dat canibus paleas, aſinis dura oſſa voranda:
In ſilvas quercus, in mare portat aquas.
Vis, ut, qui potat, dimittat pocula? Aſellum
Tondes; Æthiopem fonte lavare paras:
Anguillas capta, de pumice prolice fontem,
Fontem hauri cribrô, ſaxa natare doce:
Ire doce rectà cancros, ſaxumque revolve
Siſyphium, placa Tantaleamque ſitim:
Olla tenens pravos ægrè dimittit odores;
Servat homo mores, ebria turba ſuos.
Muſca petit menſas non invitata peruncta;
Invitô dominô, fercula lauta vorat.
Si vènter dapibus, ſi nummis ferveat olla,
Ingeniô ducunt liberiore diem:
Dum fervent epulæ, fervent dum vina, famemque
Debellant, famam, fercla aliena, vorant:
Plura vomunt, qui plura bibunt, quæ dicere nc
eſt:
Ebria amat cantum, nec bene lingua canit.
Teuto bibit tutò, qui verum dicere certat:
In vinô verum, Teutone teſte, latet:
Proditor arcani, lites creat, agmina ſternit;
Et pulſô reddit gaudia tuta metu.
Ebria turba furit, Bacchi ſi ſanguis inundat:
Nam cerebrum vacuum fœta lagena parit.
Sarcina ſunt pateræ multæ: gravis orta procella
Naufragium, & puppi multa ſaburra vehit.
Pinguis ab Occaſu tempeſtas, pinguis ab ortu
Imminet; & geminô fluctus ab ore furit.
Dicuntur, qui muſta bibunt, haurire ſalutem;
Plurima, Bacchô hauſtô, naufraga turba perit:

Nulla ſalus Baccho; jejunia ſacra colantur:
Vivite vos, ventres; nil ego ventris alam.
O monachi, ſtomachi ſunt veſtri dolia Bacchi;
Vos eſtis peſtis; crapula teſtis erit.
Tertia natali celebrat ſacra nocte ſacerdos;
Cur calicem novies evacuare juvat?
Imbibit ille novem Muſas, totidemque Meduſas,
Sacra tribus furiis dum tria nocte facit:
Ter calicem, dum ſacra facit Romana, ſacerdos
Haurit, & ebriolus tres vorat ore deos:
Prima ſalus Baccho; tibi, blande Cupido, ſecunda eſt,
Mercurio furi tertia ſacra ſalus.
Sed Deus eſt ſurdus; non vult audire bibaces:
Vappam animæ pingues (pocula teſtor) olent:
Nocte dieque bibunt, & vivunt, anſeris inſtar:
An cælum anſeribus, cum ſuibuſque patet?
Feſtivi fratres, ranarum more bibentes;
Non ſitit ullus aquas, non bibit ullus aquas.
Ebrius hic animam vinô, non ſanguine Bacchus
Purpuream vomuit; nunc Acheronta bibit:
E Bacchi turbis jacet hic ſub mœnibus urbis,
Plenus erat fumi, qui requieſcit humi.
Plus æquô, qui plus & equô potare ſolebat,
Dum cadit, in vacuô conditur ipſe cadô.
Sic vacuus curis ego Bacchanalia vixi;
Humida rana, meri flumine merſa, fui:
Murmurat hinc venter, neque ventris murmura curo;
Murmurat hinc plenum felle, merôque caput:
Denique nudus opum, cum paupere conjuge, ploro;
Et quæro loculos (perdita cuncta!) meos:
Sobria menſa, focus nullus, domus indiga rerum eſt;
Quodque magis torquet, venter inanis hiat.
Crapula, pœna meri, tu crapula, craſtina peſtis,
Infeſtas cerebrum, dilaniaſque meum.

In gemitus iviſſe juvat; gemuiſſe nepotum eſt:
Pro muſtô, lacrymas, pocula mœſta, bibo.
Vina gulæ noſtræ ſolatia vana fuerunt:
Devoveo noſtræ noxia vina gulæ.
Naufragus in vinô natat ebrius: hauſtaque cymba
In ſiccô: clavô, mens, rationis, eget.
Qui toties potus jacui per compita fuſus,
Non ſurrecturus, ventre gravante, cado.
Vixi par porco; ſed non tumulabor in Orcô:
In caveâ cineri ſicca ſtat urna meo.
Cantharus, opto, meum fac pendeat ante ſepulchrum,
Fiſtulaque, & vacuô pocula ſicca merô.
Spargite, mando, meum muſti liquore cadaver:
Oſſa merum ſitiunt arida, ferte merum.
Hôc tumulô tumulus tegitur (ſubſcribite buſto)
Hic ſitis, & ſitus eſt, qui ſibi venter erat.
Fortè volent ſtulti nomen noviſſe ſepulti;
Sum dictus Janus, qui bibianus eram.

LA

AMSTELÆDAMI.

Adeſte Oculi, ſpeculatores percurioſi,
immenſum in urbe orbem, emenſi admiramini.
Hæc eſt illa oppidorum gemma, aula magnificentiæ,
illuſtramentum ſuperbiæ,
elegantiarum diadema, terrarum cælum,
elaboratæ cælaturæ architectura;
ſupra elegantias inimitabilis,
ſupra amplitudinem ſpatioſa,
ſupra faſtum magnifica, ſupra jactantiam invidenda,
ſupra audaciam inexpugnabilis,
ſupra libertatem ſecura;
mœnibus minax, undis invicta, religioſa templis,
ædificiis perculta,
ſitu amplivaga, Spartana baſilicis, emporiis florida,
mercibus barbara,
nationibus conſtipata, variis una.
Pariſios, Londinum, Antverpiam, Hamburgum,
Venetias, Conſtantinopolim,
principes orbis urbes omnes una continet,
ac ſupervagatur;
gremiô circumplexa ſuô Orientem,
Occidentemque Solem.
Etiamnum ingrandeſcit, & integraſcit indies,
perædificaturque perfectiſſima;
& dum collatatur vaſtitas,
collætatur amœnitatis compoſitura.
Orbis ſphæra eſt;
Belgium annulus orbis aureus,
Belgii Adamas adamatus, Amſtelædamum.
Curiam aſpice, juridicundo conſecratam;
quam qui vidit, Mundum perſpeculatus eſt;
honeſtamentum pompæ inexputabilis,

honoris auguſtale, concinnitatis amphitheatrum.
Hic opulentiæ luxuria,
avaritiei parſimoniam triûmphat.
Hic ſordent Corinthiacæ tabulæ,
Parium marmor evileſcit,
deturget opus Doricum, Thapſicum, Numidicum:
ars tranſcendit artem, famam forma,
ſtuporem ſtupor.
Hic cælum Archimedes ſuum ſolo æquavit,
Belgæ ſidera ſupercalcant.
Incruſtati marmore tholi, picturata laquearia,
penetralium cultura, arcuum fultura,
marmorata columnataque pilatim ſoliditas,
ignavi ſoli impatientiam patienter laceſſunt.
Hic Myronem mirari deſinas,
Apellem ne appelles quidem nomine.
Audax perpolitaque imaginoſæ ac belluoſæ operoſitatis vivacitas
decôrum Phidiacum devenuſtat,
elegantias perraras defloratt,
Unam inter Veneres venuſtam venerantur omnes,
oppidorum reginam coronatam.
Adeò nunc formoſa, ac famoſa,
quàm antea fumoſa baſilica.
Cupit, quam non capit,
gloria ejus ſatiari aviditas avara.
Certant pari Marte & arte ingenii ſubtilitas,
& ſublimitas ſtructuræ:
Laborat ingenii ingenuitas,
ut liberalitatem polituræ meditetur.
Montes Craſſi aureos, in baſilicarum ærariis eruis:
Cælum diceres aureſcens, argenteiſque aſtris radians inter umbras.
Perſia, India, Iaponia, Sina, America,
uterque Mundus, ſibi peregrinus,

Am-

Amſtelædamum, confluxu ſuô, & infundit,
& fundat.
Adorat Barbaria potentiam imperioſam invictiſſimæ
civitatis,
cujus mœnia ſunt arces; fora regiones,
Obeliſci turres templorum, palatia urbes.
Plateas & rivulorum interluentium concinnitas,
& tiliarum interlucentium opacitas perornant.
Ambitioſi maris ac Martis ſecuram coronat fluminum
circum vagorum affluentia;
quam ambit circum ſonans Nereus,
illambitque imperatus, prodigô prodigialiter allapſu;
Neptunum, ac Martem cataphractos refrenant
cataractæ,
fluctuum exundantium domitrices dicam,
an dominatrices?
Totô Oceanô, machinoſis claſſibus imperitat;
exercitus exercitatiſſimos alit ſtipendiis,
Belgii ac belli nervis.
Regna mercibus opulentat,
Mundo ſuô Mundum locuplêtat:
Eviſceratur, ut ſaginet ſingulos; omnibus abundans,
vendax emacitas:
ſe depauperat, ut alios felicitet.
Princeps ſocia aureas utriuſque Indiæ Societates,
in profundis undis, ſolidavit.
Illa, illa præpotens Societas, Imperatrix Iavæ,
Imperatrix Macaſariæ coronata,
Iavanos, Macaſares, Ceilonitas, Bantemios,
Americanos,
ſuos magis terrore nominis, quam ferrô,
ac furore fecit.
Itaque emedullatæ Indiæ indicant,
ac magnificant amplitudinem Amſtelæ:
Prius circumvolantes aves numeraveris,

quàm euntes identidem, redeunteſque ad illum naves.
Forum quotidianum,
æternaſque nundinas percelebrat:
Audi vel hoſtile meritiſſimam urbem collaudans
oraculum:
Mundum divitas una civitas.
Flos oppidorum deſpicit vicina & remota,
ſine deſpectu, ac oſtentatione:
humilioribus tenuitatem non improbrat,
alienæ excellentiæ perſtudioſa.
Invidias ſubit magnificas, quas gloria;
ſed eaſdem benificentia triumphat:
hinc amores invidendos ſibi conciliat.
Promptuarium, γαζοφυλάκιον,
armamentarium Mundi commune,
cui expugnando fatigabitur pugnacitas,
exhauriendo æternitas ſuccumbet.
Expugnat animos ferreos, candore aureæ nundinationis,
Pandoræ ſuæ:
devoraret utrumque orbem,
ſi capiendi libidine tangeretur.
Ardent Reges, procantque Nympham florentiſſimam,
ſine quâ audent fruſtra.
Omnes ſuam volunt, quæ perſôla omnibus eſt omnia,
ut ſit ſua.
Hoſpitanturin ulnis ejus Gratiæ,
quas hoſpitalitas oſculatur.
Præmioſæ Munificentiæ liberalitatem magnificentia
excipit.
Civitatis, ac civilitatis Politicæ dexteritas libertatem
aſſerit.
Agnus vel Leoni populo Magiſtratus,
legum virginitatem, aurei principatus animam,
ſanctiſſimè ſervat incorruptus.
Hic litat Deo religio, ſecuritate aureâ,

quam

quam tyranni libertatem illiberaliter catenant.
In hoc Athenæo, Minervæ ſacrario,
effloreſcit artium encyclopædia.
Parnaſſum ſuum hoc loci tranſtulêre Romanæ Muſæ,
Choro ſuo Apollinem geminum & laureatum
præfecerunt,
Divi! quæ lumina! loquuntur volumina.
Sine Amſtelædamo,
Languet Francia, nutat Hiſpania, Britannia defloratur,
collabaſcit cum Hafnia Stocholmia, riget Riga,
friget Perſia, intabeſcit India, infelicitatur Sina,
mercatura fumus eſt, Mundus funus:
Amſtelædami ope, ac opibus,
Stat Belgium, floret Europa, Aſia collocupletatur,
proſperatur Africa, America fortunatur, orbis vivit.
Opimis, optimiſque terrarum ultimarum exuviis
trabeata apricatur.
Urbium diademâta mater,
divitiarum ac deliciarum paradiſus;
altrix heroarum animarum,
quæ virtute ferreâ auream procudat gloriam.
Militat terrâ marique, laceſſita torvitatem induit:
perdomat domeſticos, externos, æternoſque hoſtes,
quos invidioſa potentia inimicat.
Truces Thraces, indomitos orbis dominos,
ac percontumaces frangit pacis modeſtia:
ſemper facilis, & perpacare dirita[illegible]tem,
& amicare excandeſcentiam.
Religioni flagellatæ, & exſulanti pietati,
molliorem ac meliorem patriam,
Viſcera ſua, redônat.
Citra invidiam audit oppidorum pupilla;
quia ſupra jactantiæ audaciam,
glorioſius libertatem defenſat.
Ite nunc, Quirites, cum perantiquâ Româ;

hîc triumphat novitas, & cum novitate vetuſtas,
ac venuſtas omnis:
Jactate amphitheatra,
quorum nec ruinoſas parietinas erudero:
Hæc theatris triumphalibus, ſcenicas naumachias,
opera muſica, quotidianos ludos repræſentat.
Extollite Capitolia;
una hæc Curia capaciora capit Capitolia:
oſtentate prodigioſam Obeliſcorum altitudinem,
ſtuporis ſtatuas, Gigantæos labores;
quot turrita templa, bellicarumque claſſium malos,
tot Coloſſos, tot Pyramides exertat,
perennaturæ naturæ ac induſtriæ imagines.
Celebrate naumachias Romanas,
ſuis Indias & Americam ſubjugavit.
Romam pudet Romæ,
dum parietinas recidivas interpolat;
Amſtelæque nitelam meditata,
principem humilis deveneratur.
Sed vanus ſim,
qui ſupra famam decantatæ urbis gloriam canam,
quam admirentur omnes, nullæ imitentur.
Unico oraculo oracula claudo omnia:
miraculorum eſt miraculum, urbs urbium,
Amſtelæ architectura.
Hic ædes, ac ſedem figito,
hoſpes peregrine ac domeſtice,
auguſtiorem civitatem non habitabis,
niſi ſupra Lunam,
ubi ſemper diſſerenat,
& vivacis operoſitatis perennitas fundata eſt.

ONDINENSE,

ridie idus Septembris, anno. 1666. 2. *die Februarii.*

Diſpenſat ruinas fatum,
quæ caducam mortalitatem feriunt:
volant incendia, emedullantur urbes,
flagellantur provinciæ, ſonant cum ruinis flagra,
bellorum parricidiis inalbeſcunt campi,
cruentantur maria,
turantur cadaveribus cumulata buſta, laniatâ Europâ:
ſentiunt diritatis flagella miſerabiles populi,
de quorum ſuſpiriis,
ac lacrymis tempeſtates conflantur;
inter lacrymabiles injurias, communeſque planctus,
tyranni laſciviunt;
neque pium arridentis blandæ pacis oſculum
meditantur,
devoratô, flendos inter luſus, orbe terrarum:
Interea dum hominum monſtra peſtibus ludunt,
conſecrantur ſcelera, & effrenis licentia perſultat;
miſeranda eviſceratur Europa,
calamitoſôque involuta fatô collabaſcit.
Londinum
ſentit fortunam, inter fumeos globos,
ac favillas reſidens,
ne ſolatiô deſolata; ferrô durô, ac diro flagellata,
ſcintillantibuſque Brontis incudibus ſubſtrata.
Rapidus ventorum turbo perfurit,
Vulcanuſque rabidus perûrit,
atro, imò atroci incendio, urbem orbis clariſſimam.
Momento floret, & ruit; coronatur, & tumulatur,

civitatum omnium maxima, jam minima metropolis.
Volucris flamma excubantes vigilias præoccupaverat;
jamque ardebat Troja inimico busto,
Troja, securiori fataliter paci indormiens:
Cives sentiebant prius,
quàm videbant ferocientem Mulciberum.
Punctô temporis, cinerum punctum est,
famosissimum emporium;
omnium sæculorum labor, omnium ætatum gloria,
ille architectorum sudor,
illud memoriarum omnium monumentum,
monumentum, inquam, momentum est,
quod penè fuerat perenne.
Exarmando Vulcano Thètidem, cum Pallade,
Nereus exgurgitat;
sed lentescunt Neptuni arma,
violentioribus Ætnæ furiis.
Fallor?
Mille favillarum scintillantium globos,
ac collucentes colles collustro.
Eia, Britanne speculator,
qui depeculatorem ignem vultuosus aspicis,
& tot sudoribus, quot lacrymis permades,
animam agente Londinô, civitatum reginâ matre;
habes affatim cinerum,
quibus insperſa coma impalleat.
Rideat Romanum bustum, spectator lentus,
hostilis Nero,
tyrannicamque sitim,
pabulô flammarum ac lacrymarum, pascat;
neget pietati lacrymulam, pumice asperior;
ipse aridus aviduſque pulvis, ruinarum bibax,
sitit oculorum imbres, Britannorum fontium reliquia
luctuosi funeris analecta,
tam leniendo rogo, quam moerori liniendo.
Ec

Ecce perſultant lætius, ſed lentius,
inflammata recrepantiaque tabulata;
adfremunt,
adgemuntque Oceano affuſo ignei ſpiritus;
ſed undarum animulæ, Cyclôpum præda,
in fumos abeunt prò fugæ:
exſiliunt exultim flammeæ ſcintillulæ, anhelantes,
atque exhalantes.
Pertinax ignium ira pervagatur domos,
degraſſatur per fana,
per vicos debacchatur, dominatur in palatiis,
abſorbet templa, minatur regiæ, involat in navigia,
commurmurante tantum,
neque perdomante fluctûs ignaviâ.
Heu latrocinantem graſſatorem, ignem!
Senſit Scotia gliſcentem peſtem,
quâ afflata eſt Hibernia,
collacrymantibuſque Londinenſibus complorarunt.
Dum loquor, tumultuatur Æolus,
& cum Æolô Vulcanus conſpirat;
avarumque cælum imbres negat,
ventis cum ignibus colludentibus:
animantur ſpirantes, anhelæque prunæ,
quæ è tectô tránsfugæ vicinam ſupellectilem ſpoliant.
Allambunt luxuriantes igniculi, ambiuntque turres;
eliquant aurum; metalla, ac ſaxa dilapidant,
duritie nequidquam obloquente.
quis compita computet funerata?
Pons ille memorabilis, furentis Tamiſis repagulum,
repentinâ flammarum inundatione,
penè naufragium paſſus eſt.
Templorum gigas, turritus obeliſcus, Pauli ſacrarium,
quô nihil antiqua Roma vidit invidioſius,
nihil elegantius invidia,
imò ipſa penè elegantia,

in pulverem ſuum cognatum revolutum eſt:
cinerum cumulus eſt, ruderum tumulus:
ſaxa ipſa igneæ laſciviæ alimenta fuere:
ruinæ ruinam fecêre, parietinæ pariter periêre:
nihil ſuccedanei incendii gulæ relictum eſt.
Nox unica exhibuit civitatem florentiſſimam,
& civitatis cadaver:
ocyus, quam dixi; velocius, inquam,
illa occubuit:
urbs invidiæ, oppidorum princeps, horulâ unicâ,
nulla eſt.
Ubi baſilica iſta, tam ſpecioſa, quam ſpatioſa?
Ubi tot regnorum inſignia,
antiquitatis majeſtate percolenda?
Ubi vexilla illa, ubi apluſtria,
orbis triumphati ſpolia?
Ubi manubialis naumachiarum pompa,
barbarorum exuviæ?
cineres dicent, muti ruinoſæ calamitatis interpretes.
Lapides ſunt ignium lampades; turres,
fumificæ pyramides.
Eradicatum funditus ærarium,
& tot in eô trium regnorum arcana.
Quære marmoris, aurique venas opulentiores;
quære omne, quod in oculis eſt formoſum;
fumoſum, famoſumque buſtum incurres.
Oſtendebat Londinum aurora;
Heſperus Londinum non offendebat.
Ah, qùam præcipites ſunt æternarum molium ruinæ!
eòne deſudat tot moliminum operoſitas induſtria,
ut in cadaveroſi pulviſculi tenuitatem omnis
magnitudo ruat?
Circumtonat Europam attonitam perſonans caſus;
recrepatque (non, ut ſolet,
inanis) ſed immanis terroris echo.

Quid

Quid? qùod quieta regum lipſana, Cyclôpum ignes,
parricidæ, laceſſiverint.
Iacet deplorata vetuſtas,
ac deflorata venuſtas omnis:
Europæ diadema, Mundi pyropus, regum corona,
oppidorum flos & lux,
prodigioſum emporiorum miraculum,
fumus eſt & funus.
Etiamnum flammea obluctatur procella,
quâ elaborata triumphorum memoria obliteratur.
Nec ſupervixit incendio tribunal Aſtrææ,
ſacroſanctum Themidis auguſtale:
forenſis curia, juridicundo conſecrata, excuriata eſt.
Prodiga denique Vulcani avarities avidius populos
perpopulatur;
liberaliùſque audax, integra oppidi viſcera abſorbet:
tota urbs, ſolitudo eſt; in urbe, turbæ ſuffocantur,
ardentibus focis:
neque, in Londinô, Londinum invenire eſt.
In cinere ſedent depontani ſenes,
in hunc diem malè reſervati,
confundunt cineribus lacrymas,
poſtrema oculorum & ſenii dona,
neque diu, fato ſuo, collacrymaturi.
Virgines, pavidum agmen, tam moeſtæ, quam modeſtæ,
in hôc permoleſto incendiô,
cervice, in matris ſinu, reclinatâ recubant;
quas, velut terſiſſimum ſpeculum,
etiam odor fumorum lædit:
O alabaſtra; offuſcantur! O cryſtalla; obſcurantur!
O candidiſſimæ gemmæ; deflorantur!
Illibatæ in mediis flammis nives,
ardore jam non ſuô inardeſcunt:
Ecce paſſis negligenter capillis,
abjectis monilibus ac tiaris,

late-

latebras perosæ,
convolant turmatim in publicam noctis lucem,
ac columbatim gemunt:
jejuniquepueri miserum emendîcant panem,
quem voravit rogus.
Heu ignium ingluvies!
Heu fumorum ac cinerum colluvies!
Nocte unâ, decoquuntur gazophylacia,
quæ Europæ opulentandæ sufficiissent:
horulæ punctô pereunt fortunæ,
quæ regnorum populos poterant fortunare.
Intercapedo momenti interest, inter ruinam,
& gloriam.
O quàm caduca sunt solidarum machinarum fundami
Momentò fidit constantia, præcipitatur magnificen
Aspersæ restinguendo rogo aquæ,
inimicâ amicitiâ arsêre;
& quæ oppido in oppido helluabatur flamma,
eodem funere interiit;
depascuntur ipsi, qui deposcuntur, undarum,
sudorum, lacrymarum imbres.
Sudarunt sæcula elaborandæ Londino,
quam momentum sæculi evertit:
Flamma Lunam præcurrens,
nocturnum citius curriculum suum absolvit:
vidit Londinum nox prævia,
quam Sol sequens frustrà quæsivit:
omnes simul ædes arsêre primæ,
postremæ omnes exarsêre.
domuum millia quadraginta,
sex & octoginta templa igni, cinerique data.
O quam perbrevis nox,
urbium matrem adincitas redegit!
Adeste, semiustulati cives Britanni,
Sudabundi populorum manipuli,

intemeratæ ab incendiô virorum reliquiæ,
intaminata matronarum analecta,
ſpectate anádema clariſſimarum civitatum,
diademate ſuô ſpoliatum:
& vos, capita veterana, annorum pondera,
venerandi ſenes,
bis nudi, & cæci, igne ac ſeniô;
bis ſemimortui, geminâque canitie ſpectandi;
cinerum, & ætatis;
ter ſepulti; pulvere, nocte, ac ſenectutis fatô;
heu ſenes tremuli, perfrigidique, ævône dicam,
an pavore?
ſuper-lacrymate oculorum ſtillicidia
reſtinguendæ depoſitæ Londino,
tam fumum, quàm animam exhalanti;
euntique in pulverem publicum, & ſuum:
Prô maligni ignis inſigne piaculum!
urbem in urbe contumulatam lugetis,
totaſque ruinas contrectatis.
Sic peribit poſt urbes orbis,
cum unum omnia erunt incendium.
Vale igitur, Londinum, nimis ex verô,
flos oppidorum,
imago caducæ formæ, & fragilis mortalitatis:
ah, quàm repentè evaneſcit florida illa gloriola!
Illa tot adoreis coronata aula,
tot tropæis laureata reſpublica,
ignium infame ludibrium, hoſtium famoſa fabula eſt.
inter natalem, ac fatalem diem, quantillum intereſt!
unica nox ortum, occaſumque dividit:
ſed molliori ſæpè, meliorique ſorti viam ſternit injuria,
morti vitam:
ſæpè ruinæ grandiores gloriam fundarunt;
& quæ in non deſuetum pulverem ſuum arſerunt,
ſecundiſſimæ ſæpiùs fortunæ arriſerunt.

Macte animis, Londinum,
insolabiliter desolata,
euge eluge, mœroresque inconsolabiles deple:
nam, pace tuâ, si liceat mihi vaticinari,
etiam è tripode Delphicâ Batavorum,
ardore avidô simul, & pavidô subsidis;
sed ardentiùs resurges, urbs recidiva,
ac rediviva:
è cadaverosô emporii busto, vivet posthumum,
glorioſumque corpus,
cum ex annosis parietinis,
parietes novi eruderabuntur:
casas igni objecit repentinus casus;
succedanea de aurô,
ac marmore restaurabit Carolus II. palatia:
imô ipse, qui Carolinam sedem exstinxit rogus,
illustraturus est:
recoctus pulviſculus surget in magnificentiæ basilicas
perennitatis non interiturae monumenta:
perstabit Londinum,
sempiternum invidiæ machinamentum,
risurum sæcula, visurum immortalitatem.
E Londinô, Londinum renascetur,
de suô Phœnix cinere,
reliquas urbium aquilas supervolatura.
At vos, optimis meliores, Londinenses cives,
serpentem in sinu circumfertis ignem,
qui ruinas spargit; neminique,
ne sibi quidem, parcit;
evigilate impigri,
& etiamnum inter patriæ funera integri;
quà incedit scintilla, incendit;
post omnia consumta, vel semet ipsam deterit.
Tu verò, viator, ecquid inter rudera mœres,
& hæres jam exhæres?

fo

forſan exhorres pulverem?
ipſe pulvis es,
& quieſcens pulviſculus properas in viam tuam,
verè pulverem:
buſtum tuum privatum, & publicum Mundi,
animandus cinis, exſpecta;
repentinum ingruet, & omnia obruet:
Londinum uſtulata, eſt imago perituri Mundi,
& faticinum præludium.
Fallor?
& Londinenſis Mundus, diluviô igneô afflatus;
óccidit;
Londinenſem ſtragem excipiet publica,
quam nullus effugiet;
nullus etiam deplorabit:
nec enim erunt lacrymæ, neque homines;
quia omnes, erunt nulli.

PAX EUROPÆA

1697.

Æternâ fatum diſpenſat lege ruinas;
Criminibus pœnas, quas meruêre, parat.
Bella, neces, clades, ſcelerum ſunt ſæva flagella:
Bellica de cælo virga, cometa, venit:
Ira, furor, Regum eſt; bellum meditatur, & arma:
Hoſtilique urbes, igne furente, ruunt.
Peſtibus armorum fatalibus, orbe voratô,
Monſtra hominum ludunt; utque ſacrentur, amant.
Ambitio ſævit, nullis ſaturata rapinis
(Circuit hic Mundi regna, voratque Draco)
Exedit hæc patriæ nervos, populique medullas;
Hæc populi venas ſanguinolenta bibit:
Crimina bacchantur: ferrô, manibuſque cruentis
Templa profanantur: perdit & ira deos:
Incudes Brontis reſonant; & vulnere crebrô
Saucia, flagrorum pulſibus, ara gemit:
Buſta cruentantur: pro ſemine, ſanguine ſparſus,
Oſſibus heroum pinguis inhorret ager:
Funeribus ludit Bellona, armata flagello;
Et Nemeſis lacrymas flentis avara vorat.
Planctibus indulgent cives; hilareſque tyranni
Laſcivire, miſer dum perit orbis, amant.
Fumoſos Europa globos gemebunda retractat;
Et cineres inter, funeris umbra, ſedet:
Ingemit, & lacrymis ſuffuſa madentibus ora,
Attollenſque oculos, hos dedit ore ſonos:

Munde furens, quid bella vomis, fatalia bella?
Mortibus, & rapto vivere, dulce putas?
Pax veniat Belgis: metas ſignate Gradivo:
Nam furias damnant enſis, & haſta ſuas.
Agmina procubuêre, & centum funditus urbes,
Ignibus, & ferró, vaſta ruina, jacent:
Ecce ruinoſas, exciſis mœnibus, arces;
Arva cadaveribus, collibus æqua, tument.
Omnia ſtant fumô, ſtant flamma, ac ſanguine villæ:
Quas cumulat ſtrages, Mars ſtupet eſſe ſuas:
Strata repentinis aſſultibus oppida ſqallent:
Flamma ſuburbanas perpopulatur opes:
Squallida ſilveſcunt, profugis cultoribus, arva:
Pro Cereris ſpicis, ſpicula fundit ager:
Villicus, armento rapto, laribuſque peruſtis,
Ponit in hibernâ, frigida membra, nive:
Mulciber igne furit; Mars enſe mapalia ſternit:
Pernoctat, nudô ſub Jove, nuda nurus.
Volcani rabie, ruit aurea meſſis Eleuſis:
Pampineus, Baccho flente, labaſcit honos:
Flandria Mulciberi eſt fornax; flamma, omnia flamma:
Per quaſſas volitat dira ruina domos:
Tene ego (nec movear?) mea Flandria, tene, tuaſque
Ut videam flammas, contineamque meas?
Nunc ubi ſunt ſtructi, ſaxi de ſegmine muri?
Flandria, cum muris, pulverulenta jacet:
Pyramidum ſtabant turres, ſunt rudera ſtragis:
Templa ſitu nuper culta, ſepulchra vides.
Baliſtis pavidas muralibus acta per auras
Auſtraſiæ, impacto verbere, ſaxa volant.
Argentoratum (ſtant mœnia rupe) ſubactum:
Porta, Leoninô nomine clauſa, patet.
Tota flagellatur Germania, tota ſub ictu eſt;
Flagraque Bellonæ ſanguinolenta ſonant.

At cui nunc ceſſit Lotharingia? Lilia dicent:
Burgundus Marti colla ſubacta dedit.
Hannonii, Arteſii, Morini, & gens Nervia, Flandri,
Servit, & ad dominum vix reditura ſuum eſt.
Victa cruentati ſub pondere Gelria belli,
Victa repentinâ Belgica clade perit.
Patria, crede mihi, lentô, mea patria, paſſu
(Pace tuâ dicam) ſub juga Franca venis:
Omnia Mars perdit (quot bellum perdidit arces?)
Oppida barbaricâ ſeditione ruunt.
Heu, Dixmudanæ (quod abominor) exitus urbi
Imminet? Hoſtili ſternitur illa manu?
Hei mihi, Cortracum tibi mœnia nulla videbo,
Mœnia, quæ Muſis ſunt habitata meis?
Cortracum fuerit? Neque caſtris cincta tuebor
Oppida? Vix ſuperat nominis umbra tui?
Murus ubi ſteterat, ſulcos inducit arator,
Et dicit lacrymans: hic locus urbis erat.
Et juvat arma ſequi? Nudetur caſſide Pallas:
Frondis Idumææ mitia ſerta gerat.
Prælia Mars damnat, campôque excedit anhelus,
Militis in vultum qui ſua tela jacit:
Indolet ipſa ſuis victoria feſſa triumphis:
Fama triumphali ſubtrahit ora tubæ.
Per ſtrictos pietas gladios irrumpit, & haſtas;
Cum gladiis, haſtas quæ pede ſternat, adeſt.
Militibus pax occurrit, galeaſque reſolvit;
Loricaſque humeris exuit, arma manu.
Miles, io, patriam aſpirat, ſuſpendit & haſtas
Pro Jani templis, quæ modò clauſa manent.
Ite tyrannorum peſtes, Mavortia ſigna,
Signa juvat pacis proſperiora ſequi.
Quis furor eſt, Reges, bello confundere regna?
Sunt odio Reges; quodquè minantur, habent:

Ponite, bella, minas: vixit ſat mortibus orbis:
Pax vivat; Belgis pandat amica ſinum.
Non benè pax belli motu, malè quæritur armis;
Hæc pulſô conſtat Marte, quiete ſalus.
Opto, catenatis miteſcat peſtibus orbis;
Ducat inoffenſos, auſpice pace, dies.
Mundus amat pacem, clamat Germania pacem:
O, nimiùm Belgis, pax, aliena, veni.
Bellô exhauritur reſpublica; fœdere creſcit:
Dira fames Martis! Quanta tributa petit?
Sumptibus immenſis Europæ membra gravantur:
Utilior, belli fœnore, pacis honos.
Quid tum, ſi fœdus pretioſô pignore conſtet?
Fœdere ſtat regnum; Marte furente, labat.
Pax cultas æterna domos, pax incolat aulas,
Pax oleâ niveam cincta virente comam.
Noxia res, bellum: dea mitior arva reviſat:
Compeſcat furias, Gorgone matre ſatas.
Diſcordes bellis Reges dea dulcis amicat;
Et raptas, cornu divite, reddit opes:
Quæ gravidat vites, ſuccos felicitat uvæ;
Et promit ſaturo Maſſica muſta lacu.
Gaudia pax hilarat; celebrat convivia plauſu:
Aurea nympha, ſuis luxurioſa bonis!
Pila laboratis aptata ligonibus æquat:
Lenta fatigatos ſub juga ducit equos.
Arbore frons floret, florent ſua germina Faunis:
Veſtitur lætô gramine cultus ager.
Tunc formoſa Pales feſtiva Palilia viſit:
Tunc gaudet Chloris, luxuriatque Ceres.
Denique mercatus dives floreſcit in orbe:
Pacis inoffenſum carpe, viator, iter:
Rideat hæc, Belgis ſomnus ridebit amicus:
Veſtiet & villas gratia culta ſuas.
Naſcere, pax, vivaſque diu, pax maxima cæli

Gloria; quæ Charites, cunctaque dona paris.
En ſpicis incincta redit: Concordia juncta eſt,
De niveis annis aurea ſerta gerit.
Hoc cinctu trabeata novo, diffundit olivas;
In Vulgus, Cereris prodiga, ſpargit opes:
Haſtili miles poſito prætendit olivas;
Pro Martis criſtis, laurea ſerta gerit.
Armaque conglomerat, bellatorumque tropæa
Ponit oliviferæ, Martia dona, deæ:
Exhorrentque, fugantque hoſtes, bella, impia bella;
Otia Saturni, plena quietis, amant.
Fœdus amicitiâ ſcandit comitante curules:
Pone quies bigas, nunc operoſa, movet.
Cum Muſis artes, atque artibus otia miſta,
Parnaſſi repetunt, rura relicta, jugum.
Libertas ſequitur, pacis comes, aurea cultu;
Prodit ab exſiliô, triſtia regna, ſuô;
Libertas ſacrum Belgis, & amabile nomen,
Nec, niſi pòſt longo tempore viſa, redit.
Ter jungunt palmas, concordia pectora, nymphæ;
Oſcula dant paci, luxuriantque choris.
Eia reguſtemus, Saturnia commoda, pacem:
Odimus, ingratum ſanguine, bella, malum.
Pace tuâ, Mavors; deus es nimis impius orbi:
Turba tuas aras, ſanguine dira, colit.
In pacis gremiô dormi, Mars ferree, dormi;
Conciliet ſomnos Gallus, ametque tuos.
Carolus Europæ, bellorum pondere feſſæ,
Aurea qui pacis ſæcula pandat, erit:
Fœdera conciliat; lituiſque ſilentia, & armis
Imperat; & populos vivere poſſe, facit.

COMETA PRODIGIOSISSIMUS

Per Europam, Asiam, & Americam apparens, septimo Calendas Januarii 1680.

Belli communis, ac calamitatum portentum.

Nox erat, & tacito vigilabant sidera cælo:
Ecce coruscabat Boreali sidus ab Arcto,
Ostentum immensum; monstrum, admirabile monstrum
Exspatiabatur: crinale paludamentum
Latè exporrectum, lambebat Olympica regna.
Sanguineam palam, scintillantesque medullas,
Vasta gigantêo de vortice virga vibrabat:
Alta vagabatur, per inania, barbara flamma,
Quæ dominabatur, stellata per atria. Primùm,
Viscosus fumus, compactaque massa vapore,
Fax ingens, fax fatalis, Vulcania fornax,
Multa foco fomenta tulit, Steropisque procellas,
Sulphuribus constipatas, oleôque recoctas:
Ætnæis fabricata, & Brontis pulsa caminis
Flammea congeries, per terras, Sole tepente,
Vecta; Autumnales, mox inflammata per auras,
Progrediebatur; pestemque per aëra latè,
Húmoresque ferens, vitiabat odoribus orbem.
Crassum exhalabat, fumo exundante, calorem,
Prodigiale rubens, ferali crine, tremendum
Mole capillatâ, formidandumque videnti
Sidus, ut attonitum terreret fulgure Mundum:

Exſurgenſque mari, veſtigia pigra trahebat,
Diffundens tremulô non muta incendia cælô,
Corruptura domos Superûm, afflatura malignis
Halitibus nubes, humanaque corpora tabe.
Igne tumeſcebant hoſtili viſcera virgæ;
Flammigeramque comam, ſpatioſo tyrmate, ducens
Cauda, flagellabat cælum, terriſque minata
Bellorum motûs; & qui ſua bella ſequuntur,
Peſtiferos caſus ſignabat, funera regum.
Aſtra minis terrent; clarant divina flagella,
Ploranteſque deos, humanæ crimina mentis:
Signa monent, cladis prænûncia ſigna ſequacis.
Huc oculos, huc attollant capita alta tyranni:
O Reges, liceat præſago pándere luctûs;
Quoſque Deus loquitur ſignis, evolvere caſûs,
Horrendos caſûs, portentoſoſque dolores.
Eventura canit fatorum provida flamma:
Hæc Echo eſt cæli horrificans, vox alta tonantis,
Vox præſaga mali: muta hæc oracula clamant
Numinis indignantis, & improba corda moventis
Ardentes æſtus, hæc crebra piacula damnant.
Lugûbris cælo vultus fatalia prodit
Omina, dirorumque irritamenta pavorum.
Scintillæ eructant iras, immania damna,
Fulmineumque Deum, & turbantes regna tumultûs:
Bella cruenta, famem, atque afflantem corpora peſtem,
Cæleſtes furias, glomeranda cadavera campis
Portendunt, totoque volantes orbe ruinas;
Adde procellarum fremitus, Boreæque furores,
Et balliſtarum mugitus, dira ſonantes;
Morborumque greges, & fulmina magna tonantis.
Imminet exitium, quod abóminor, urbibus. Ignis,
Regna voraturus, patulô graſſatur Olympô,
Bacchaturque globûs ſpumans, lentumque minatur
Europæ excidia, & periturum cladibus orbem.

Mor-

Morte ſecuturâ pallet mala lucis imago,
Térritat auguriis pavidas atrocibus arces:
Bellonæ formidandum ſonat orbe flagellum:
Sanguinolenta ſeges cæſorum ſurget in arvis.
Litora ſudabunt ſpumantia ſanguine; & altis,
Drave, cadaveribus, ſuperincumbentibus armis,
Lenteſces; ſaniem volvens, & Thracis honores.
Auſtria cum Véneto, ac Craccôo milite juncta,
Ante coronatam, proſternet cæde Viennam
Muſulmanicolas: & barbara mœnia ſcandet
Belgradi, tumidô Mahomade in vincula raptô.
Dalmáticas Aquilæ laniabunt roſtra phalangas,
Et Leopoldînos cantabit Teuto triumphos.
Luna Leopoldo ſupplex, nulli antè, ſuperba
Luna petet pacem, pacem Germania reddet.
Pannoniique triumphabunt ſpoliata Scytharum
Agmina, & exuvias révoment, male parta tophæa.
Morte repentinâ, ſublati Principis umbram
Heidelberga gemet, quæ relligionis honores,
Florentes olim, ſub eodem marmore condet.
Inclyta ſint quamvis, quaſſabit mœnia Francus
Auguſtæ, Hercyniis florebunt lilia ſilvis.
Mutabit dominum cum relligione ſubactum
Argentorátum, fumos adolebit ad aras.
Diruta Marte tibi, & vulcano Flandria, Galle,
Serviet, & dominum fruſtrà implorabit Iberum.
Mulciber ignivomâ Genuæ miracula peſte
Cónteret; atque Ducem, majeſtatemque jacentem
Alta triumphabit criſtato Gallia faſtu.
Relligionis amor fortunis coget avitis
Cedere Bentemios, Alemánica pectora, fratres;
Cum Duce Cimbrôrum patria éxſule regna reviſent.
Francia fulmineis armata Draconibus, atrox
Francia, cultores fidei proſcribet; ad aras
Sternet adorandas; miſerandâ morte necabit

Cri-

Criminis inſontes agnos, paſtore fugatô.
Luneburgiades, Europâ Marte gravatâ,
Infeſtis armis Hamburgica regna laceſſent.
Sarmáticas Ruſſi convellent cládibus urbes.
Roma propinabit tibi, Cárole, tincta veneno
Pocula: Roma armis invâdet ſceptra Britanna,
Aſſertura ſibi, fundandum ſanguine, regnum.
Infelix Jacobe, brevis tuus ille triumphus
Teque, tuoſque pari fugitîvos, turbine belli
Involvet; cogetque, alieno vivere regno
Exauctoratum, fideique & panis egentem.
Fallâci ſerò diſces non fidere Franco.
Scotia ſpondet opem, ſtructæque in rupibus arces?
Expugnabuntur ſtructæ cum rupibus arces.
Ut leges, ſperas, ac jura Britanna revellat,
Illa rebellatrix Hibernia, fulta tyranni
Auxilio Tirconêlli, Franciſque maniplis?
Aſpice fatalem (portendit dira) cometam;
Ille ruinarum teſtis, Jacobe, tuarum:
Tunc Stuartânas inter tot denique ſtellas,
Dire cometa, micas? Tu nominis ultimus hæres,
Occiduuſque petes, tot nubibus ábditus, umbras?
Quot pugnas, male caute, ſeres; ubi Boina, tuorum
Cæde retardatus, galeaſque, atque arma reſorbens,
Lemrîco referet miſerandæ nuncia cladis?
Non probrum, fugitive, tuum Scombérgica cædes
Abluet, aut manans Gulielmi vulnere ſanguis.
Londonderrînos perrumpes agmine muros?
Invictos caſſo cinges molimine muros.
Cedet Atlonêis Lemrîcum dedita tandem
Agminibus, pugnaxque Hibernia mándere frenum,
Súbmiſſura ſuam eſt, Gulielmô Rege, coronam.
Sceptra Britannorum, Romano Rege fugato,

Rex

Rex pietatis amans, admittet Arauſius hæres:
Tunc Roſa, tunc Aquilæ, bellatoreſque Leones
Lilia decerpent, Namurci rupe ſubactâ;
Fœta viris, auroque, timéndaque nomine claſſis,
Solo auro pugnax, Solemque hoſtemque laceſſens,
Contumulanda mari famoſi Solis imago;
Et diviſa mari fumoſa ruina jacebit.
Imperium pélagi cedes, Ludovîce, triumpho
Auriaco: Auriacam recidîvis mœnibus, urbem
Hærêdi reddes, ſancîtæ munera pacis;
Mille urbes arceſque vomes, qui regna bibiſti.
Prodigioſe nimis, belli mortiſque comêta,
Phoſphore, quo Mundum motu ſub Tartara volves!
Sidera ſanguineum vertant, precor, omen in hoſtes;
Béllaque vaneſcant, vaneſcit ùt ille comêta.
Pax Martem æternis it frenatura catênis;
Vándalus auctor erit pacis: rex ille coronis
Mille coronandus, quiſo-lus plantat olîvas.

RE-

RERUM VANITAS.

Fata regunt orbem. Fatorum adamantina lex eſt.
Terrea, ſint quamvis ſaxea, pulvis erunt.
Cuncta ſitus mutat; conſumit cuncta vetuſtas.
Sit fragilis caſus; tempore, robur habet.
Pompa animat faſtum; ſtruit alta audacia faſtum:
Detumet, invidiâ ſubruiturque ſuâ.
Illudunt oculis oſtrum, & pretioſius aurum:
Quid gemmæ, ut radiis diſtinearis, ineſt?
Sunt oſtrum, vermes; &, terra venuſtior, aurum;
Gemma, maris ſpuma eſt: mens, pretioſa facit.
Si quis opes jactet, trabeaſque, & marmor, eburque;
Quod vanum eſt, laudat; quod ſtupet eſſe, perit;
Gemmatique gradus, ſolidataque mille columnis
Atria, quæ niveo ſtant elephante, cadunt.
Quid ſpirat de tot turritis urbibus? eſſe,
Fama; fuiſſe brevi, dira ruina, ſonant.
Bubaſtis lapis eſt: flammis ſtetit alta Saguntus.
Illud Athenarum tam grave nomen, ubi eſt?
Hoc Solymes templum, regum labor, aurea moles
(Sacrorum vatum perdite ſcripta) quid eſt?
Gleba, Syracuſæ; Byſantia culmina, valles:
Depaſcit Patras tigris, & urſa Tyrum.
Roma, triumphorum ſedes; Roma, inclita Martis
Regia; luxuriâ, merſa palude, ſuâ eſt;
Illa, coronata eſt quæ ſeptem montibus olim,
Montibus, heu, ſeptem contumulata gemit!
Veſtaleſque ignes, & lapſa Ancilia Olympo,
Et ſacra Palladii pignora, flamma vorat.
Oppida quaſſa, ſuis nutant denata ruinis;
Aurea regna, boum paſcua facta, canunt:

Cædua murorum fragmenta, abrupta theatra,
Saxaque adhuc ſpirant imperioſa minas:
Alta ſtruis. ſtruis invidiæ; rapit invida tempus:
Altius immani grandia mole labant.
Dic ubi Pyramides, miracula barbara, Nili?
Urnaque Mauſoli luxurioſa? fuit.
Fana ubi, quæ ſtellis humana potentia finxit,
Æmula? per turres collabefacta ſuas?
Tanta coloſſorum portenta, palatia regum,
Mœnia, de Pario marmore ſtructa, jacent.
Audax Sparta ſtetit: fudit Bellona Cyrenen;
Nec rogus, aut fumus, ſumma ruina, manent.
Quære Corinthiacas, ſunt fabula vatibus, arces;
Cadmææ Thebæ, nomen inane gerunt.
Vaſta tot imperiis, tot inexpugnabilis annis
Urbs, Memphis; terris, & dominata mari;
Quinquaginta altis quæ turribus aëra riſit,
Corruit; & Reges pulveris urna tegit.
Magnus Alexander Darii caſtra ſubegit;
Qui docuit Porum, regia ſceptra rapi:
Bactra, rebellantes populos, & Perſidis enſes
Contudit; armiſonas fregit Amazonides:
Armorum vis illa fuit; ruit, obruta bello,
Gloria militiæ; ludibrioque ſibi eſt.
Vaneſcit, caſu, faſtoſa potentia Mundi:
Strage repentinâ procubuêre duces.
Quære, age, fucatâ laudatas fronte, puellas:
Ille color roſeus, lactis honore, ſtetit:
Forma, roſa eſt; roſa prima perit; citò culta venuſtas
Deteritur; fuco digna perire ſuo.
Nil eſt, ſub ſolido, ſolidum quod perſtat, Olympo:
Fortunæ rabiem, quantulacumque, ferunt.
Ducta Semiramidos ſpatioſo mœnia luxu,
Et turris Babylon, mole colenda, ſolum eſt:

Tam

Tam validas claſſes, Regina, tot agmina duxit;
Tot regum mater, nominis umbra ſibi eſt.
Carthago, Delphi, Salamis, Numantia, & Alba,
Argos, Cumæ, Epheſus, Suſa, Fidena, Rhodos;
Tot loca conſtabant fundamine fulta perenni;
Quod ſteterint, audis; ſed locus ipſe latet.
Invidiam meruêre ſuam florentia regna;
Mars rapit; ambitio perdit, opumque ſitis.
Ite laborati faſtus, immania tecta,
Ardua porticibus pondera; quaſſa vides.
Tot lapidum cumuli, pretioſi inſania luxus,
Invidiæque, arcus, ſemina; rudus erunt.
Amphitheatralis ludorum publica pompa,
Ludus Olympiacus (gaudia vana) fuit.
Cum Thermis, Baiæ, Capitolia, Curia, roſtra;
Cum Circo, ac ludis, ſæva Palæſtra, ſuis;
Naumachiæ, lauri, tractique leone curules;
Nomina ſunt, faſtu turgidiora gravi;
Præterière tamen; buſtum, ſunt omnia buſtum:
Ferrea mors ſaxis, nominibuſque venit.
Stat tumidis ſua meta: ſupervolat ardua pompæ
Gloria; ſed faſtûs præcipitanda gradu.
Caſtra, tubæ, gladii, tormenta ſonantia, pugnæ;
Singula ſunt furiis verba tremenda ſuis;
Quæ Mars convellit, quamvis ſint terror, & horror;
Fortia, ſint quamvis vi metuenda, ruunt.
Non ſtabunt, ſint magna; ſit ære perennior orbis,
Non ſtabit; probrum lugubre ſtragis erit.
Humanum eſt, quodcunque ſtruunt, fatoque caducum
Tempore nil longo, quod ſibi conſtet, erit.
Pigmalionis opes narrant, aurumque Phraatæ;
Eſſe putas aliquid, quod rapit una dies?
Scilicet eſt aliquid, partus virtute, triumphus?
Eſt ſonus, & plauſus, dum volat, ille ſilet.

Scilicet an tanti eſt probroſæ gloria mortis?
Naufragiis noſtris, hei mihi, vela damus!
Oppida clara ſtupes? Stant ſacra cadavera cladi:
Magnarum rerum, magna ſepulchra latent.
O quoties Luſtro ſqallentes oſſibus agros,
Arva ruinoſâ ſordida cæde terens;
Illacrymans damno miſerandæ peſtis acervos;
Purpureum damno, quod pede calco, ſolum.
Ah, nihil æternum eſt! Quid inania vota fatigant
Pectora noſtra? Urnæ gens pretioſa ſumus.
Intereunt levibus, quæ ſtant ingentia, damnis:
Mole fatiſcentis ponderis, alta labant:
Vaſtavitque ſuas carioſa ruina ruinas:
Relliquias miſeræ ſtragis arena bibit.
Pella ſibi cinis eſt: ſunt Pergama Lucus, & herba:
Palladium, quô nil ſanctius, enſis habet.
Mortales! & adhuc nos vivere poſſe putamus?
Nec caſus noſtros damna, viceſque docent?
Vivimus; ad miſerum properamus, turba, ſepulchrum.
Et juvat, ut corpus grandior urna tegat?
Vive diu, moriêre diu: mortalibus Orci
Eſt ineunda, eadem nec relegenda, via.
Segnius, aut citius punctum tranſimus ad unum:
Huc rex primus; & huc ultimus Irus eunt.
Admittit totam totô rex corpore mortem:
Cætera diſponat; non ſua fata regat.
Fama perit, fortuna jacet, ruit ipſa vetuſtas:
Omnia vi, ſeniô, tempore, Marte cadunt.
Viſe ſacros cineres, tenuis veſtigia famæ!
Omnia ſunt, dices, ſomnia; nomen habent.
Cuncta vetuſtatis monumenta perennia rerum,
Vana venuſtatis ſunt documenta brevis.
Obruimur fatô; auferimur fallacibus umbris:
Heu, magnum, & vanum eſt, quod fuit omne, nihil!

SIMIUS

ſe in ſpeculo miratur.

Simia, delicium domini, quæ venit ab Indis,
Ludit, & incâute luditur ipſa ſibi.
Fortè petit ſpeculum, ſua Simius ora petebat
Neſcius: hunc ſpeculi mitis imago refert:
Hæret, & alterius meditâtur læta figuram,
Se ſpeculo monſtrans Simia, ſeque ſibi:
Annuit arridens, palmaſque extendit ad umbram;
Umbra ſuas palmas tendere viſa fuit:
Dum videt, illa ſuô viſu erubuiſſe videtur;
Tunc oculis cœpit forma placere ſuis:
Miratur ſeſe, quam nota morâtur imâgo;
Altera vita, ſibi viſa figura, placet:
Membra ſui laudat; neque ſordent tergora nuda:
Ipſa ſibi plaudit, blanditiaſque facit:
Se cupit; & quod adeſt; quærit; queriturque carêre,
Quô fruitur: præſens corpus, abeſſe putat:
Se capit, & fallit: dum captat, imâgo recêdit,
Hic formam ſequitur, gaudet & illa ſequi:
Illa pedem referens, fugientem fingit, abitque;
Nec fingunt facilem non ſimulacra fugam:
Hic redit, illa redit: rivâlis uterque ſalutat,
Et ſe, dum blando murmure clamat, amat:
Viderat, & viſam, ſpeculi ſub imagine, amîcam
Et ſtupet, & tractat Simia læta, ſuam:
Hanc amat, hanc optat, ſuſpîrat, & oſcula jungit:
Invitat ſeſe, quæ ſibi viſa loqui:
Se ſimulans ſimulare docet, quæ fingere imâgo
Neſcit; & interea fingere cuncta docet:

Nec

Nec ſimulat, ſimulâta ſibi ſe monſtrat imago;
Sed ſimilata ſibi, ſe ſimilâre cupit:
Saltat, & arrîdet; placet arridêre figuræ:
Tangitur, & tactu gaudet utèrque ſuo:
Ipſe movet caudam, caudam ſimulâta movêre
Effigies cœpit: cauda gemella fuit:
Et ſibi dum blandîtur amans, ſit amoribus ardens;
Conſortem thalami ſe putat eſſe ſui:
Oſcula cryſtâllo dum Simia libat; imâgo
Oſcula Simiolo viſa referre ſuo eſt:
Et dolet, & gaudet: propius furor admovet ora;
Admovet os ſpecies, gaudia vana capit:
Dicere viſa ſibi eſt: humâni corporis artus,
Majeſtas hominis, convenit alta mihi:
Grandibus armentis præeo, gravitâte ſuperba,
Et fera ſim quamvis, regia ſceptra gero:
Os ſublîme fero; humânô quoque gaudeo vultu:
Sunt homini ſimiles cum digitiſque manus:
Cauda feram prodit: ſi caudâ fortè carêrem,
Dicerer (hæc fama eſt) ingenioſus homo.
Se vocat; & raucis clamoribus excitat umbram,
Ut properet: ſpecies, territa voce, filet.
Dente fremit, caudâque ſuâ, ſimulâcra flagellat:
Umbra flagellantem, caudaque dira ferit.
Poſt ſpeculum forſan latet abditus: aſpicit; & heu,
Nil videt à tergô: nil reperiſſe dolet:
Ingemit, & ſævit, furit, indignâtur, & ardet:
Seque ſibi ſimilem, diſſimilemque putat.
Ille dolôre amens, & amans ſe quærere, perdit;
Se nimis impatiens ardet utêrque procus.
Dum reperit ſeſe, repetit ſe quærere ſtultus:
Quam tenet effigiem pene, tenêre negat,
Stulte, fugax umbra eſt; mentitaque decipit umbra,
Quam captas: ſpecies, oris inânis adeſt.

Nil ago : fertur amans, ſimili colludere gaudet ;
Et ſibi delêctat poſſe vidêre parem :
Invâdit ſpeculum, furiis animôſus, & irâ :
Irâſci ſpecies tunc quoque viſa ſibi eſt.
Se petit, & pugnax ſibi dimicat hoſtis amîcus :
Sed ſpeculum fractum eſt ; dulcis imago fugit.
Dum ſpeculum, & ſpeculi formam, & ſe quærere quærit,
Omnia perdiderat; Simius unus erat.

EPIGRAMMATA.

In Romam.

Roma venuſta fuit ; ſed non niſi Roma vetuſta :
Nunc caput errorum eſt, orbis inane caput.

In Romam.

Concubuit cum Marte Venus, quæ munus amoris
Poſcit ; & hic Romam, Martia regna, dedit :
Martia Roma fuit, Veneri nunc ſacra virili eſt :
Se claves cæli jactat habere Venus.

Epigramma, non Epigramma, Principi Walliæ, non Principi Walliæ, ſacrum, & profanum.

Emblema, pyramydatum ſterc..... Epigraphe :
Regia progenîes.

Hæc *mola* molitur, molitum de furfure, Regem :
Eſt epigramma, nec eſt ; finis acumen habet.

Homo, ros, & flos.

Ros, & flos oritur ; moritur, vix natus, uterque :
Guttula roris, homo eſt, vitaque floris ; eunt.

In Cupidinem,
fontanas aquas, Bruxellis Brabantinorum ejaculantem.

Urit

Unable to display this page

In ſeditioſum civem à populô occiſum.

A turmâ, ob turbas, manibus, ſub mœnibus urbis,
Cæditur, immâni cæde; quieſcat humi.

In Paulum II *Pontificem Romanum, Veneri déditum.*

Non ego te *Sanctum*, te *Patrem* dicere poſſum,
Cum veneror prolem, Paule ſecunde, tuam.

In detractores alienæ famæ, per vocem, niſi.

Vox, *niſi*, fac ceſſet, Mundus neque garrulus eſſet;
Sunt rari viſi, qui caruere, *niſi*.

Epitaphium omnis hominis.

Hanc urnam cernas, ut terrea gaudia ſpernas:
Sôrdidiore domô conditur omnis homo.
Vivere dum conor, nudus ſub marmore ponor:
Hic cineri donor: ſic jacet altus honor.

In bibonem, merô, in tumulo, ſepultum.

Plus æquô, qui plus & equô, potare ſolebam,
Hic cado; & in vacuô condor, *humorque* cadô.

Podragroſi Popinonis tumulus.

Ex Bacchi turbis, jacet hic ſub mœnibus urbis:
Plenus erat fumi, qui requieſcit humi.

In Craſſum.

Ventre ſaburratô, te, ſarcina, Craſſe, gravabas:
Sit tibi terra levis, quæ gravis ante fuit.

In ſympoſiarcham.

Nocte, dieque bibis; vivis, pater, anſeris inſtar:
An cælum *anſeribus*, nocte, dieque patet?

Vituli, & Aſellæ conjugum.

Mors rapit ante diem, Vitulô cum conjuge, Aſellam:
Nec ſinit eſſe aſinam, nec ſinit eſſe bovem.

Binis ſubmerſis ſororibus.

Hic recubant binæ, quas hauſerat unda, ſorores;
Nec gemis? Hic pietas, tertia virgo, jacet.

Procuratoris, rabulæ minimè garruli, urna.

Hic Procurator, nec garrulitatis amator (
Succus ut in pomô) pacis amicus homo eſt:

Ho-

Hoſtis erat litis, qui mitis, militis, hoſtis:
Hic jacet, & ſuetus vir reticere, tacet.

Bibonis urna.

Ætas læta fluit: nec Mors mea territat ora:
Nam corpus fumô, menſque ſepulta merô eſt.
Amphora dicta fui vini; nunc amphora buſtum eſt:
Non urnâ licuit commodiore tegi.
Dum vixi, ſine fine bibi: nam grandia plenâ,
Cum Bacchô, bucca pocula mille bibi.
Cantharus, opto, meum, & fac pendeat ante ſepulchrum:
Vivite vos ventres; hôc requieſco lacu.
Spargite, mando, meum, muſti liquore, cadaver:
Oſſa merum ſitiunt arida; ferte merum.
Hôc tumulô tumulus tegitur (ſubſcribite buſto)
Hic ſitis, & ſitus eſt, qui ſibi venter erat.

In Germanorum mores.

Gens Germana valet cunctos tolerare labores.
Gens Germana valet non tolerare ſitim.

Sacerdotis Pontificii ebrii ſacrificantis elogium.

Plenus adhuc Bacchô heſternô, dum ſacra ſacerdos
Intonat, in ſomnum labitur ante deos:
Excitus à ſervô, profit, ſi verteris, inquit:
Inter bacchantum ſe, ratus, eſſe greges.
Quis modò ſacrificos, ſervos neget eſſe deorum?
Nec meliore cupit Bacchus honore coli.

Pace inter Francos, & Iberos ſancitâ, menſe Martio, 1660.

Martius eſt menſis, cum Martius exſulat enſis.
Gallus amat pacem, pacem quoque clamat Iberus.

In Benedictum Spinoſam Atheum.

Sic vixit, veluti ſemper victurus, in orbe:
Mortuus eſt, tamquam mortua vita foret.
Spina nocens homini: ſibi plus Spinoſa nocebat:
Qui Benedictus erat; jam maledictus obit.

In Gallum adulterum.

Non ſatis una fuit conjux, uxorie Galle,
Cur tibi? Gallinas Gallus adulter amas.

Armando Richelio, Cardinali Franciæ.

Mars erat Armandus, niſi ſic armaſſet, amandus;
Marte fatigatus, morte quieſcit humi:
Quem ſi Mars ſolus, vel ſi Mors ſola petiſſet,
Jam ſine Marte orbis, vel ſine Morte foret.

Mendici epitaphium.

Non cocus, aut focus eſt; neque culta eſt, curta ſupellex:
Pro loculis, loculus corpora nuda tegit.

In velivolum, in litore, Principis Arauſionenſium, currum.

Velificatur ager: venti vexere quadrigas
Per campos, navis dum volat, inſtar avis.

In Pſittacum caveæ incluſum.

Non volo, quando volo: me carcer ſepit honeſtus;
Sit carcer mutus, me docet ille loqui.

Pictori uxorem ducenti.

Ne pingas alios, te finge; en ſponſa tabella eſt:
Sic tibi naſcêris: vir, puer alter eris.

Caduceator poſcit pacem à Ludovicô XIV. *Francorum Rege.*

Tot cecidêre acies acie, rex bellice, ferri:
Belgica pax bellis ſurgat amica tuis

In centurionem Scotum, ſub cujus vexillis, ſui quatuor & viginti filii meruere ſtipendia, duce Fredericô Arauſionenſium Principe, 1644.

Dux, pater eſt; nati, qui ſigna paterna ſequuntur,
Sex quater: una fuit, caſtra timenda, domus.

In maritum, qui vegetiſſimam primam uxorem ſuam ductam (quæ duos & viginti maritos habuerat) ad tumulum comitabatur. Hironymus epiſtolâ ad Gerontiam de monogamiâ vidiſſe ſe narrat: conſule Maſenium.

Ad thalamum, & tumulum qui ducere corpora gaudent,
Vir viduus, conjux an viduata fuit?

Gau-

Gaudia ſunt luctus; Libitinæ jungitur Hymen:
Mortuus, & viduus vir, mulierque fuit.

In militarem feminam, Draconem, partu proditam Bruxellis, ſub Monteregiô, Belgii Prorege, 1673.

Militat, & Martem ſuperat dum maſcula Pallas,
Fit mater, telis victa, Cupido, tuis.
Emeritô abſolvi dum poſcit Marte, negatur:
Exonerat partum, militiamque Draco:
Exauctorari ſic exonerata meretur,
Blanda Draconigenam miles amore fovet.

In Cteſippum filium, qui lapidem paterni ſepulchri ludô dilapidavit. Diphilus in Expiantibus.

Conſumis lapides tumuli, Cteſippe, paterni,
Luſibus. His ſtructa eſt uſibus urna patris?
Dilapidas lapides: ne Manes, opto, quieſcant,
Saxee; nec cineri ſtet lapis, urna, tuo.

Leopoldo Ignatio, Germanorum Imperatori, geſtanti in annulô aureô lapillum, præſente venenô ſudare ſolitum.

Gemmeus ex aurô ſudor, præſente venenô
Profluit. Hoc conſtat Cæſaris orbe ſalus.

In Avarum.

Condit avarus opes, qui nil ſibi fundit amarus:
Cuncta, nihilque tenet; fit ſibi dives, inops.

Adoleſcenti, literarum ſtudioſo, præmium ſecundum referenti, cum primum ſperaverat.

Palma ſecunda tibi; non eſt fortuna ſecunda:
Si tibi palma foret prima, ſecunda foret.

Urna conjugum.

Excepêre duos unæ, domus hoſpita, cunæ:
Una dies natalis, erat fatalis iiſdem:
Corpora pura, vides, urnâ conduntur eburnâ.

In egenam nubilem virginem exſtinctam.

Nubilis eſt virgo; ſed non eſt nobilis; illa
Tantum dotis habet, mendîco ut nubere poſſit:
Dum thalamum quærit, tumulum defuncta maritat.

Medicus Britannus, proclivis in furtum, crucem in arcâ suâ indies videndam, terrori suo proposuerat; oblitus sui crucisque, furatur, & suspenditur.

Ne rapiam, monitor crux est, feralis imago;
Sed rapio: est finis, funis, dum pendeo funus.

Ambrosio, magistro suo, Augustinus hoc epitaphium P. C.

Ambrosium, linguâ roseum, patrem, atque patronum,
Hinc abiisse meum, non obiisse, fleo.

Matri puerperæ exstinctæ.

Dum pario, pereo: superat mihi posthumus infans;
O vivat longum; tunc mea fata gemet.

Mors Ludovico XIV. Francorum Regi.

Lude vices, Ludovice, meas, rex Martie; Morti
Ludibrio vires sunt, levis ira, tuæ.
Martis, crede, alia est; alia est, rex, alea Mortis;
Post ludum, nudum perdere cuncta jubet.

Apostrophe ad passerem, à fele discerptum.

Fossa tibi est venter, felis tua devorat ossa:
Incolit Elysium, siqua sit umbra, nemus.

In mulierem, crebrô vini haustu exstinctam.

Non hæc, quæ Bacchô est exstincta, virago; vorago est:
Degulat hæc Bacchum, quam modò terra vorat.

In hominem seditiosum, mortuum.

Cui multus placuit, dum vixit in urbe, tumultus;
Terreus hic cumulus nunc, tumulusque tegit.

In Apes.

Mella, dapes, largimur apes, fragrantia mella:
Prædamur flores, dulcissima præda futuræ.

In conjugium.

Conjugium, mellis guttam; sed felle propinat
Pocula plena: odium est connubialis amor.

Ad Lectulum apostrophe.

Lecte, fatigati solamen dulce laboris,
Corda sopore gravas, corda sopore levas:

ui neſcis lacrymas, vireſque laboribus aptas :
Funera mentiris, nil tua mortis habent :
on te ventorum circum volitantia terrent
Murmura : nec tangunt, anxia turba, metus.
ecte, quies hominum, fons pacis, & aula quietis,
Commoda pax vitæ, deliciumque meæ :
xhilaras mentes, aſpergine membra ſoporas :
Lumina, qui furtim limina, clauſa ſubis.
ecte, Cupidineis, furtive, caloribus ardes :
Nox ignes tenebris, & tua furta tegit.
e Charites, te, lecte, novem ſtravêre ſorores,
Compoſuit digitis gratia caſta tribus.
u facis, ut curis vacuum caput otia captet :
Dormio; cycnæas tu mihi ſternis aves.
ectule, te Charites, caſtiſſima numina, ſervent:
Sterno tibi corpus; tu mihi ſternis aves.
u facis, & facias, ut dulcia ſomnia captem,
Somnia venturæ mortis imago meæ.

Auri, & Lauri analogia.

Arboribus rex, Laure, præis; Aurumque metallis:
Nomina conſpirant, atque omine, Laurus, & Aurum:
Fulmine non Laurus, non Aurum læditur igne:
Vult Lauri, atque Auri ſervire medulla medelæ;
Cauſidicis Aurum arridet; ſed Laurea vati:
Sic trahit aura Auri, ſic aurea gratia Lauri.

Viator ſepultus.

Hoſpes eram, Mundo peregrinus, ſoſpes eundo;
Mors, peregrina dies, non peregrina quies.

Epitaphium Muſcæ, in melle naufragæ.

Parva, & prava tegor, molli urnâ, melle, vorago:
Fuſca ſuò tumulô Muſca ſepulta jacet.

In Léporem, qui curſu ſequentes canes effugerat, & in latibulô ſuô feſſum, quieſcentemque, è veſtigiô manu meâ captum.

Eri-

Eripitur rabidis rapidus lepus ipſe moloſſis;
Incurrit noſtras præda quieta manus.

In Ratiſlaum Leſci, Polonorum Regis filium, qui Larvatis ſpectris in lapicidinâ territus, unâ nocte incanuit. Chronicon Polonorum, Engelgrave. &c.

Vita Ratiſlai brevis eſt, quæ nocte ſeneſcit:
Nox longa eſt, juvenem quæ facit una ſenem.

In Monachos.

O Monachi, ſtomachi veſtri ſunt dolia Bacchi:
Vos eſtis (cadus eſt teſtis) non ſobria peſtis.

In Herodem, filii ſui parricidam.

Herodis porcus malim, quam filius eſſe:
Filius (hôc nihil eſt vilius) enſe perit.

In Dæmonem.

Dæmon languebat, Monachus tunc eſſe volebat;
Sed cum convaluit, manſit, ut antè fuit.

Nautæ, mari ſubmerſi, epitaphium.

Hic atavis ortus Batavis, ſubmerſus in undis,
Orbe peragratô, nauta ſub orbe jacet.
Marmore ſub liquidô, non durô, nauta ſepultus;
Debuit hôc condi marmore, vixit aquis.

In Morionem.

Per riſum, ac viſum, multos cognoſcite ſtultos:
Ipſe tibi cultus, ſtulte, placêre ſoles.

In legem Juttæ Pontificiæ.

Palpentur (lex ſacra jubet) ſub ſede cavatâ,
Juttiadæ: regnet Roma: præeſte mares.
Maſcula Roma regit: Venus eſt nunc maſcula, Roma:
Orta Mari Venus eſt; ardet amore maris.
Fallor? An ardoris Roma eſt oblita prioris?
Ardet amore maris poſteriore Venus.

In milites.

Quiſquis amat lites, qui Marti militat heros,
Militat & Morti, ſe patriæque litat.

In cycnum, in morte canentem.

Eſt niveus mihi corde color, lac ludit in undâ:
Fata gemens, ſolus carmine ſolor olor.

Echo.

Muta loquor, neque multa; prior nec verba profundo:
Mentis inops, expers vocis, & ore carens.

In Romam.

Roma *Lupas* prima, at præpoſtera terga virorum
Poſterior (facinus!) quæ redamaret, erat.

In Montes, & fontes.

Conveniunt Montes, & Fontes nomine: uterque
Quæ fugit alta ſuis curſibus, alta petit.

In flores viſos.

Pulchra placent oculis: oculis pulcherrimus ipſe:
Plus cunctis oculus floribus ipſe placet.

In flores odoratos.

Arrident flôres, & roris ſemen, odores;
Flos oculo arridet, naribus unus odor.

Homo foenum.

Floret, & elanguet citò foeni forma: perimus;
Turbaque, mortales, foenus amare placet?

In Tonitru.

Cæli Echo, fragor horrificans, vox alta tonantis,
Perterrêre ardet corda, reoſque movet:
Sed neque corda movent oracula tanta tonantis,
Quamvis multa; tonant, ſed quoque muta ſonant.

In Thraces, & gallos effeminatos.

Cum gallis, Thraces numeroſâ conjuge gaudent:
E Gallis Thraces quîs neget eſſe ſatos?

In Gallos, Vulpes.

Fallere amant Galli; falli indignantur, in arma
Proſiliunt: falli decipientis erat.

Mulierecula cantatrix Vitanda.

Si cauta es, fugias cantus, ſunt, femina, cautes:
Semina mellis enim mollis amoris erunt.

Leges Cauſidicis, & Medicis ſcriptæ.

Non furtum facies, juris lex ſcripta peritis:
Ne cædas, medicis lex ſacra ſcripta fuit.

In jus.

Bis jus, bis ſapio, libris & lance recondor:
Abſolvo, damno; paſco, creoque famem.

Venetis in Thraces bella gerentibus.

Retibus ex ratibus Venetus Venatur in alto:
Muſulmanicolas, barbara monſtra, capit.

In filium,
paternæ vitæ, hæreditatis cauſâ, inſidiantem.

Nare, patris vitam, vitem cupis uva ſecare;
Heu, pugnant ramum rumpere poma ſuum!

In Annam Mariam à Schurman, linguarum peritam.

Aurea virgo jacet, virgo admiranda, virago eſt;
Lingua virum loquitur, loquitur lingua unica linguass
Quarta Charis, decima eſt Muſarum, maſcula Pallass

Bonfrerii Abbatis ſepulchrum.

Alter Barabbas cubat hic, Bonfrerius Abbas;
Natum Quintini ſubmerſit copia vini;
Ille diem clauſit; quia pocula crebrius hauſit;
Et, niſi vana putem, vina exhauſêre ſalutem.

Homo pulvis.

Turba ſuperbimus, nos cum fæx terrea ſimus:
Ad limum limus, cinis ad cinereſque redimus:
Eſt caro, cum fulvis trabeis de murice, pulvis.

Ad Lucam Verienſem edentulum.

Lac cum lactuca manduca, edentule, Luca;
Divinô te lacte ſenum, te prolue vinô:
Maſſica ſi libes, ut Neſtor, ſæcula vives.

Harlebecæ Flandrorum, lupus ovem perſequitur fugientem in caſulam, cujus oſtiolum vi luctantium clauſum, captô ab ove lupô

Perſequitur lupus acer ovem; fugit illa; foreſque
Quas ſubit, occludit: prædæ lupus obvia præda eſt.

Cic

Cepit ovis fugitiva lupum, paſtore fugatô;
Jam celebret partos, Parthorum more, triumphos.

Gallæ uxori ſterili.

Galla fuit Gallo, gallinaque nupta marito:
Non parit ova ſibi, neque pullos Galla, puellos.

Grunnio Londinenſi.

Grunnius, humanus porcus; deſcendit ad Orcum
Corpus; cor vermes, pus putre terra vorat.

In mulierem litigioſam.

Jurgia quæ vivenſque viro, morienſque locuta eſt
Litigioſa; ſibi relligioſa ſilet.

In Petrum pætum.

Eſt Petrus pætus, qui bellis lætus ocellis
Subridet; limus quod videt hirquus, habet.

In Linguam.

Nobilis eſt bona lingua, ſolet mala mobilis eſſe:
Utilis illa bonis, futilis iſta malis.

In Alexandrum VI. *ſanctiſſimum patrem Cupidinis.*

Piſcatorem hominum, quis te non, Sexte, vocabit?
Piſcantur natum retia ſacra tuum.

In Julium Pontificem R. *bella moventem:*
Oratio Julii.

Me Pauli gladius Francos armabit in hoſtes:
Non clavis Petri, quæ tueatur, erit.

In Leonem X. *Pontificem* R.

Cur malè Romano conſultum eſt, quæris, ovili?
Rex, Leo, nunc homines, non regit ille feras.
Si fulvum mirere aurum rapuiſſe Leonem;
Diſce Leoninis unguibus eſſe feram.

Roma in Paulum III. *pontificem* R.

Sum Medico maleſana, meo ſum præda Leoni;
Noſtra fame lanias viſcera, Paule, lupus.

In Alexandrum VI. *pontificem* R.

Vendit Alexander mitras, ſacra cuncta; Deumque;
Romanos Stygias cogit adire domos.

Par-

In arrogantem.

Parvule judiciô, ſed probris magne magiſter;
Magne ſuperciliô, parvule conſilio:
Parvule divitiis; vitiis, vir magne, rapinæ;
Parvus eris reliquis; ſed tibi magnus eas.
Parce (nec impediam) magnum te reddere quæris
Te ſtudeas humilem reddere, magnus eris.

Quinque Senſus.

Rex aper auditu, lynx viſu, ſimia guſtu,
Vultur odoratu, dominatur aranea tactu.

In vini & fumi potatorem.

Et vinô, & fumô gurges, benè paſcimur, inquit:
Exhaurit fumus pectora, vina replent.

Galli canæ, & ſanæ fidei hoſtes.

Galle, canis fidibus: non aurea conſonat auri
Cana fides: aurum non bene, Galle, ſonat?

Heroum Speelmano apud Batavos in Indiâ Generali.

Occiduis oritur, moritur Spelemanus Eois
Solibus; hoc hominis, cætera Solis habet.

In Innocentium XI. *pontificem* R. *nummos prodigentem in bellum Thracium, Romanis fame laborantibus.*

Suſcitat hic flammam belli, dum prodigit aurum
Ferreus, & famam fert ſibi, Roma famem.

Julius Cæſar, ex uterô extinctæ matris cæſus.

Cæditur, heu! cæſô Cæſar de ventre parentis;
Quem non jam mater, poſt ſua fata parit.

Alluſio ad Tiberium Neronem, & Tiberim, hunc undis, illum furore exundantem.

Tiberius, Tiberiſque exundant fontibus undæ
Fontibus, & Romam mergit uterque ſuam:
Tiberio, & Tiberi vis convenit: obruit alter
Sanguine Romanos; perdidit alter aquis.

In Barbaram virginem.

Barbara ſum, non ſum; mitis ſum virgo, virago;
Tu ſed, amice pater, barbarus hoſtis eras:

Tu florem vitæ, non Virginitatis, amanti.
Tollere sanguineâ, barbare, cæde potes:
Est mihi barbaries décori: mea nomina ludunt:
Barbara, barbaric sum celebranda meâ:
Ut Parcæ parcunt, ut luscus lumine splendet,
Ut bellum est bellum, Barbara talis eram.

In Episcopum Aquensem ebrioſum.

Ebrius es præsul, quia Bacchi ventre gravaris:
Sic benè nomen aquæ, Præsul Aquensis, amas.

In unguem carpentem violas.

Cur violas Floræ violas, violentior unguis,
Exhalant animam quæ tibi sponte suam?

Urna Nullius.

Conditur hôc Nullus tumulo, quô conditur Omnis:
Omnibus omnis erat, qui sibi Nullus, homo.

Alexandri magni buſtum.

Optat Alexander, quos perdit in urbibus orbes:
Orbis Alexandrum jam minor urna capit.

Heroum Michaelis de Ruiter, Archithalaſſi.

Murus eram Batavis, muralis machina murum
Pectoris invicti sternere sola potest.

Morionis, cum ratione insanientis, epitaphium.

Marmore sub solidô stolidus sine mente quiescit:
Hoc olidum vermes, heu fuge corpus olet!

Oppiâ Vestalis incestæ, humi defossæ.

Vestalis virgo, non virgo, vendo pudorem:
Nuda nimis tumulo, non tumulata, tegor.

Gurgitis Manibus urna sacra.

Condidit in ventrem gurges tot vasa Lyæi,
Quem sub ventre suô terra gulosa tegit.

In Missam (ut vocant) Pontificiam.

Fac missam Missam; Missæ, res barbara, nomen:
Si missam facias, non iteranda tibi est.

In hypocritam.

Nocte, dieque vacas precibus; ſacra templa frequentas;
Largiriſque Iro, ſi videare, ſtipem:
Non inhias auro, neque delectaris honore;
Non tamen eſt aurum, quidquid ubique nitet:
Omnia fraude tegis, mentitis omnia fucis:
Mors ſimulatorem non ſimulata rapit.

In Romanos Pontifices.

Pontifices finxit tantos malè credula Roma;
Ut nihil eſſe Deum, ſimplicitate, putet:
Pontificem eſſe Deum fingit qui præſidet orbi
Romano; panem quæ facit eſſe Deum.

Ad fortunam.

Sede quieſcentem fortunam pinxit Apelles:
Inſtabilis pedibus, neſcia ſtare locô eſt.

In pulicem mulieris.

Eſt ex oſſe viri mulier; ſed ſanguine partus
Humanô, melior dicitur eſſe pulex.

Qui cum cane dormit, cum pulicibus ſurgit.

Cum cane quiſquis amas de nocte quieſcere ſolô,
Cum pulicum ſurges agmine; multus eris.

Epitaphium Jacobo Wallio, magiſtro meo, poetæ laureato.

Vita Maronis eras; Naſonis, Wallius, umbra;
Mens Flacci: Flaccus, Naſo, Maroque jaces.

In jactatorem natalis ſuæ urbis.

Quiſque ſuam celebrat patriam, quô prodiit ovo;
Gentis, & urbis ovat nobilitate ſuæ;
Urbs ſed clara nihil, non gens, non patria refert:
Eſt aliquid, patriam ſi mereare tuam:
Sic patriam fures, patriam jactare latrones
Indigni, digni morte perire, ſolent.
Eſt hominum totus, communis patria, Mundus:
Omne ſolum forti patria terra viro.

Cor

Coriolanus urbem natalem obsidet.

Coriolanus erat patriis iratus amicis,
Hostibus. Ingratos ense, minisque premit:
Sacra sacerdotum majestas vana precatur:
Exarmat furias patria, mater erat.

Pauper ubique jacet.

Pauper ubique jacet, qui pauper ubique vagatur;
Nil, in quô jaceat, vel requiescat, habet:
Erige, ne jaceat, nec ubique vagabitur Exsul;
In thalamô, dives, fac jacuisse tuo.

In peccatorem pœnitentem.

Clam peccas, fateare palam, veniamque mereris,
Flagitii decuit poenituisse reum:
Culpa levat poenam, cum sontem poenitet acti:
Erubuit; veniam, qui mereatur, erit:
Et lacrimis flentes abolêre piacula norunt:
Gaudia, ne doleant, qui doluere, ferunt.

Princeps clemens, imago Dei.

Mox Deus ignoscit; citò Princeps parcere gaudet:
Principis hæc pietas mitis, imago Dei est:
Ars divina fuit, tam posse, & plectere nosse,
Quam scelerum indigno parcere velle reo:
Quanta Dei pietas, nihil est divinius illâ;
Hæc pietas nullum novit habere modum:
Læditur, ulciscî justum est, & fulmine læsus
Armatur: flectunt fulmina mota preces:
Indignis, atque ingratis hic parcere suevit:
Adde, quod invitis ira benigna fuit:
Invitus plectit, misereri gaudet, & ultro
Ipse suos hostes, qui scelus odit, amat:
Excipit & profugos, quos nescit pellere: pene
Se miserum, miseros dum videt, esse putat.
Principis est virtus peccantes perdere nolle;
Plectere cum possit, dissimulare nefas.

Eſt Deus exemplo; populo favet ille nocenti:
Principibus turpe eſt parcere nolle reo.

In cupientem ſemper vincere.

Vincere vis hoſtes: alienâ poſſe ruinâ
Vivere vis ſemper: quod cupit alter, amas.
Si cuncti ſuperent alios, tunc perdere cunctos
Eſt opus: ex lucrô quid, niſi damna petis,

Beneficium citò dandum

Eſt ingrata nimis, quæ lentè gratia currit:
Sed citó quæ properat gratia, grata venit.

In Bruxellenſis aulæ fontem, qui eſt Magdalena lena lacrymans

Saxea fonticulô lacrymantur lumina dulci:
Mollitiem exſudant marmora falſa ſuam.

Pietas eſt regia Virtus.

Fax regum eſt pietas: nam relligionis honore,
Floret honos regni; quô ſine regna cadunt.

Dicit piger, cras, cras; & ſemper eſt hodie.

Cras benè, cras vivam, dicis: Lux craſtina numquam
(Ut vivas hodie) Lentule lente, venit.

Sera nocentem poena invenit.

Non reus effugiet; properat vindicta; repente
Vel pedibus claudis pœna venire ſolet.

Magnus prædo non eſt vili prædâ contentus.

Fur aurum, Lupus armentum petit, inclitâ præda eſt:
Præterit exuvias furque, lupuſque leves.

Nemo potentes aggredi tutus poteſt.

Aggreditur quicumque audax, læditque potentes,
In tutis latebris, quod vereatur, habet.

Virtus regia.

Principis eſt virtus, patriæ ſuccurrere lapſæ;
Se populo patrem jungere, noſſe ſuos:
Parcere ſupplicibus; ſed debellare rebelles;
Et poſitò belli fulmine, pace frui:

Præmia det meritis ; ſed lente plectere curet ;
Et Superos cultu candidiore colat :
Ille Deus, Deus ille creat de pulvere Reges ;
Pulvereos Reges ſi placet, eſſe facit.
Regia laus eſto, non faſtidire minores :
Odit, & extorquet ſceptra ſuperba Deus.

Ruſticuli ſunt Reguli.

Stat caſa ruſticulis, ſed regibus aula pareſcit :
Aula ſcatet vitiis, crimine caula vacat.
Aula nec eſt felix ; felix tamen aula videtur :
Gaudia ſub caſulis candidiora ſonant.
Ludite, ruſticuli, gens inſons, vivite Reges (
Nam ſibi ruſticulus, regulus eſſe ſolet)
Aula vale, ſcelerata dolis, & amara voluptas
Eſt tua : caula mihi, vita ſerena, placet.

Dimidium facti eſt coepiſſe.

Incipe, & inſiſtas operi : coepiſſe, tuliſſe eſt
Dimidium : peraget, qui benè coepit, opus.

Vitæ probitas, immortalis honor.

Fortunam vitæ probitas, & fata triumphat ;
Immortalis honos ex probitate fluit :
Improbitas vitæ cantatos durat in annos ;
Os populi meruit ; ſed meruiſſe pudet.

Felix multos numerabis amicos.

Sors tibi læta canit ? tecum grex ſaltat amicus ;
Luget ? amicorum claudicat ille chorus.
Sors fluit ad nutum ? tua terga ſequuntur amici ;
Oſtendent plantas, hâc fugiente, ſuas.

Stulti malitia, & Sapientis prudentia.

Stulte, tuum eſt, non poſſe bonis, & lædere velle :
Cum poſſis, Sapiens, lædere, nolle tuum eſt.

Tutò equitat, quem prudentia portat.

Tuto equitant homines, quibus eſt prudentia frenum :
Hâc ſine, præcipiti tramite fertur eques.

Prudentia cauta triumphat.

Æstus ubique valet, plus viribus ille triumphat:
Vi tacitâ terret; nec quod aberret, erit.
Utere consiliis, rationibus utere cautus;
Successus felix dexteritate venit.

Obscoeni dici gaudent pudici.

Quam multi gaudent dici sine fronte pudici:
Sordida sus porco, lota, venusta suo est.

Juvenilis amor, effrenis.

Non juvat invitam custodia moesta puellam:
Currentem sequitur luxuriosa procum:
Frena pudor nescit, semel inflammatus amore;
Quò magis est vinctus, plus citò currit amor:
Quos semel urit amor, furit ardens, vincula rumpit:
Ut potiatur, amat, quod patiatur, amans.

Redire nescit, cum perit pudor.

Qui fugit, & periit roseæ de virginis ore (
Ah frustrá revocas;) non redit arte pudor.
Fama pudicitiæ decori est, famam illa meretur:
Sæpe pudicitiæ fama maligna nocet.

Pudor vitæ præferendus.

Et decet, & fas est animæ præferre pudorem:
Vita, bonum tenerum est; vita pudore minor:
Odimus effrontem (vivit sine laude) puellam;
Se perdit, frontem perdere sueta suam.

Dulcis quies à labore.

Aspirant homines, securam pace, quietem;
Siqua quies homini, parta labore, venit:
Nulla quies; parit ipsa quies, labor ipse Laborem:
Cum somno, vita est, irrequieta quies.

Operosa quies, & quieta operositas juvat.

Vult labor alternum reparare quiete laborem:
Sic alterna quies, fessa labore, juvat.

Dat

Dat veniam corvis, vexat censura columbas.

Vivitur ex furtis: parvo crux, sponsa, latroni est;
Prædones magnos præteriisse solet:
Jam magni magnos fures absolvere gaudent;
Magnificos fures est tetigisse nefas.

Prædonum plena est patria.

Plena rapinarum sunt oppida, plena luporum:
Quis nescit longas furibus esse manus.

In prædones etiam uxorum alienarum.

Vivitur ex præda: nec sola pecunia prædæ est;
Jam prædatori fit nova præda tori.

Vitæ Voluptas brevis est.

Indulge genio; floret citò temporis ætas:
Gaudia carpe; diem vix fugitiva vident:
Vita fugit; veluti raptò vixisse memento:
Utere temporibus, deliciisque datis:
Quantula sunt vitæ properantis gaudia nostræ?
Cras cinis, & populi fabula vana sumus.

Qui sibi novit imperare, Rex esto.

Esse putas regem; quisquis dominatur, & orbi
Imperat? Hic Regis nomen inane gerit:
Rex suus est, quisquis mentem ratione gubernat;
Se sibi qui subigit, regia sceptra tenet.

Imago Dei, rex est.

Mens majestatem decet alta, capaxque coronæ:
Sceptra metus firmat, quem moderatur amor:
Exemplum populo fit vita regentis honesta:
Res sacra, majestas Regis, imago Dei est:
Qui regit, ut calcet populos, quos perdere bello
Ardet, & exhaurit regna, tyrannus erit.
Quod decet, hoc cives facient, cum regnat honestum:
Visque, metusque hodie, quod dominentur, habent.
Ferrea nunc Reges dominantes secula cudunt:
Est incus populus; quod patiatur, habet.

Unable to display this page

Sapientia cælebs eſt, quia nullus homo ſapit.

Mulciberi Venus eſt, Hecate Plutonis, & uxor
Juno Jovis; nulli ſponſa Minerva fuit:
Nata Jovis cerebrô prodit Sapientia, nulli
Sacra homini nympha eſt: non ſapit ullus homo.

In cacorhetorem.

Ultima vox: *dixi*, dicens, mihi viſa placêre eſt,
Orator nullâ cum rudis arte docet.

Philippi. II. Hiſpaniarum Regis, Ocquendô Architha-laſſô, claſſis victa.

Vectores ſunt victores, qui claſſis Iberæ
Rectores ſternunt, naumachiàque fugant:
Terruit Oceanum, nunc naufraga claſſis, & orbem;
Et totô pelagô quærit, & orbe fugam.

Cædes violentâ, cum luſu in literis ſævis S. & R.

Obſeſſos ſævis aggreſſus ſtragibus hoſtes,
Horridus ore fremit, certus proſternere caſtra
Perfurit; in turmas furor irruit, enſe trucidat
Corpora crebra: agris proſtrata cadavera ſordent;
Graſſatur triſtis per regni viſcera peſtis,
Et paſſim ſerpit; ſilviſque, arviſque viiſque
Funera funeribus congeſta, atque oſſibus oſſa:
Mortis oberrat odor, terra horret tetra ſepulchris.

Golias à Davide Victus.

Immanem molem, formidandumque gigantem,
Magnanimum Goliam, victum ſuccumbere morti
Impulit, armatumque virum mactavit inermis
Ieſſeides, fundâque levi gravia arma repreſſit:
Dux admirandus, mileſque metallicus armos,
Occubuit debellatus puerilibus armis.
I, Solymæa, puer, Capitolia ſcande triumphans.

Cædes, rapinæ, incendia.

Cæde furit ferrum; ſibi militat aurea præda,
Dividit & dominos, prædas quoque decoquit ignis;
Mulciber igne vorat Cererem, Bacchumque, lareſque,

Templaque ſubvertit: diis incubuere ruinæ,
Ferrea tempeſtas ruit obvia, & omnia mitcs.

Qui præceptores ſint deceptores.

Præceptor medicæ, medicæ deceptor habetur:
Nam quoties, *recipe*, & toties quoque, *decipe*, ſcri-
bit.

Vix ægrum ſanat, numeroſa pecunia manat.

Infans mordet ubera.

Sanguinis eſt avidus, non lactis, atrocior infans;
Ubera, quæ mordet, ſanguinis imbre fluunt:
Infantus infandus parvus, pravuſque vidêris;
Inter vagitus, ore furente, fremis:
Nil tibi candoris; ſi ſit tibi candida ſindo n,
Dente cruentabis lintea, Lacque tuô.

Extrema regni tranquillitas extremam cladem minatur.

Imperium pax extrema, & pax alta coronat,
Extremam cladem, quæ minitatur, erit.
Tunc altæ, tacitô motu, ſonuere ruinæ,
Cum regno clades nulla timenda ſuo eſt.

Urbs R. condita, & moenibus cincta.

Roma tibi muri naſcuntur; clauderis illô
Carcere, quô muris undique cincta tuis:
Cincta quidem murô, ſed eôdem carcere vincta es:
Hi mortes muri, quas minitentur, habent.

Solidum virtutis fundamentum, Deus eſt.

Principium fingens virtus, operoſa laborat:
Lenta rudimenta, & magnarum exordia rerum
Ducuntur: primô conſtant fundamine jactô:
Ad ſua ſæpe redit dum fundamenta reſingit:
Durat opus, virtus perſtat, quæ numine fulta eſt:
Fine triumphali Deus aurea coepta ſecundat:
Si nitatur opus cæleſti robore ſtructum,
Sæcula ridebit, cui nulla ruina nocebit:
Meta coronatô perfecta labore triumphat:
Aſtra petit virtus, & mortis neſcia vivit.

Homo

Homo eſt vivum Dei templum.

Divus homo, templum eſt æternò numine dignum;
Ah furor eſt aulam contemerare Dei!
Impia ſed quoties in templò crimina regnant:
Majeſtas ſceleri penè ſuperba ſacro eſt:
Peccat homo, templòque ſuò Deus exſul abire
Cogitur: & miſerum gens facit eſſe Deum:
Pondera tot ſcelerum ſenſit, templi impia moles,
Cum templò in cineres it ſceleratus homo.

Miles ebrius extinctus.

Ebrius hic animam vinò, non ſanguine miles
Purpuream vomuit; nunc Acherónta bibit.

Gallicus latro aurò viatorem ſpoliat Gallum.

Pallida ſunt auri, nec tuta metalla latebunt;
Latronum inſidias, quas vereantur, habent:
Cura aurum, cum fraude, fameſque, metuſque coronant:
Aurea nam dominum ſarcina tanta gravat:
Aurò liber eat dominus, vel ferrea portet
Vincula: per prædas aureus eſſe velim:
Laurea militibus placeat: magis aurea præda,
Quam rapio (levis eſt ſarcina tanta) placet.
Ilicet, & vacuus, ſaltante latrone, viator
Exequias loculi jam cane, Galle, tui.

Veritas nec facilè ſcribitur, nedum auditur.

Difficile eſt digitis, calamis, quoque ſcribere vera:
Difficile audire eſt, dicere difficile eſt.

Decorum eſt, honeſtè mori.

Solvendum ſemel eſt vitæ irrevocabile penſum:
Annorum illaqueant pondera dulce caput.
Nemo fugit mortem (fac velle & poſſe) volamus
Ad Parcas homines; vertere terga nefas:
Non corrumpenda eſt pulcherrima fabula vitæ:
Intactum nullum præterit illa dies.

Fato

Fato occurrendum eſt; fato gens naſcitur omnis;
Virtuti, pulchrâ morte, perire juvat.

Senes cani, & fide utrâque candidi.

Non ſe, non linguâ ſimulat ſincera ſenectus:
Ficta fides juvenes fingere plura docet:
Candida canities, fidei præferre colorem
Novit; at, ut fallat, non pilus ullus erit:
Relligio non eſt meretrix: pigmenta doloſa
Reſpuit; & fucos, quos amat iſta, fugit.
Peccat non fictè, qui fictè peccat; & ille
Non ſimulat mendax, qui ſimulare docet.

Viduæ Conſolandæ.

Quiſquis adeſt viduis, gentem ſolatur egentem;
Et facit, ut lætô turturis ore gemat.

Pupilli juvandi.

Pupilli, populi pupillæ divitis, orant:
Affer opem tutor, ne populentur opes:
Agmina deſolata, miſerrima turba, clientes,
Vos conſanguineus tutor, opeſque vorat:
Accipitres ſunt tutores, qui ſemper in armis,
Semper in inſidiis, ut populentur, agunt.

Fugiens miles tucidatus.

Spiritus á tergo, depulſus vulnere foedô,
Exit; & erubuit, cum fugit, umbra fugâ.
Conſpexit cæcis oculis á tergore mortem:
Non aliter profugus debuit ille mori.
Naribus, in matris fuit illi ſpiritus alvo,
Inditus; ex profugi naribus ille fugit.

Nullum patrimonium citius decoquitur, quàm virtus.

Tam citò decoquitur, quam patrimonia, virtus;
Tres vix hæredes poſteritatis habet.

In Curatorem gymnaſii Guſani exauctoratum, & ab amicâ Delphenſi repudiatum.

Non bene conveniunt Veneres, molleſque Camoenæ;
Cur Curatori ſit tibi cura tori?

Pro-

Procul ſis Muſas, nullam patiere repulſam:
Sæpè nimis mollem pellit amica procum.
Pro tenera tibi ſit ſtudioſa Minerva puella?
In gremiô jaceat pulchra Minerva tuô.

Irati Ethopoeia.

Stant oculis iræ, torvique è fronte furores
Proſiliunt; odio quis neget eſſe faces?
Barbaries ſcelerata micans, ſe ſanguine gaudet
Prodere; quô peſtem, quam meditatur, alit.
Ira, dolor gravis eſt? dira ira incendia magna
Suſcitat; ardet homo; cunctaque, ſeque vorat.

Mollities emollit amantem.

Mollis amans molles aditus ad mollia amantis
Pectora habet: molli molliter arte ſubit:
Mollities nulli eſt, molimine blanda, moleſta;
Nec lædit; facili calliditate placet.

Peccatoris pœnitentis ſpeculum.

Offendi, ſcelus, & læſi, quod torquet, amantem:
Debita criminibus pœna tremenda meis.
Debueram coluiſſe Deum, quem turpiter odi:
Heu, potui tantum demeruiſſe bonum!
I, dolor, ex oculis: mea culpa dolore pianda eſt;
Quamvis nec lacrymis culpa pianda ſatis.
Læderis, o pietas, & gaudes parcere læſa;
O majeſtatis prodiga facta tuæ!
Pro majeſtatis ſoliô provolvor; & acti
Flagitii Veniam, ſupplice voce, peto:
Pro me flagitium, pro me mea culpa perorat;
Flagitii, & culpæ vox animoſa meæ eſt:
Donec erunt lacrymæ, lacrymæ mea crimina flebunt;
Et juſti fletus cauſa perennis erit;
Sim lapis, aut mihi ſit cor Thrace ferocius omni,
Si lacrymas ſiſtam, contineamque meas.

Princeps, imago Dei.

Vera Dei Princeps orbem moderantis imago,
Quod dominetur, & à plebe colatur, habet.
Principis eſt populos belloque & pace tueri;
Et regere auxiliô, conſilioque ſuos:
Fulmina, quæ nollet, mittit. miteſcere gaudet;
Ut Deus, invitus cogitur eſſe ferox.

Principium ſapientiæ, timere Deum.

Res timor eſt probroſa; Deum timuiſſe decôri;
Hic prodeſt, hominum ſed timor ille nocet:
Exitio timuiſſe fuit, timuiſſe ſaluti:
Utilis hic timor eſt, noxius ille fuit:
Intutos facit ille timor, dum cuncta timentur;
Terrores terret, numinis iſte timor:
Hic metus audentes, metus arguit ille fugaces;
Hic metus ardentes, indicat ille pigros:
Sed timuiſſe ſcelus, melior timor omnibus iſte eſt:
Securos reddit ſanctior ille timor.

Non benè perpetuus fertur labor.

Membra fatigantur, quæ nocte dieque labori
Irrequieta gravi, continuoque vacant:
Sit modus, & requies operi; durabit in annos:
Laſſatur virtus, otia poſcit opus:
Apta quies oneri: duros levat illa labores;
Apta dies operi, noxque quieſque juvant:
Otia poſt curas quæ mens ſibi captat, & aptat
Mens operi ſeſe, non grave ſentit onus.

Conſtans in adverſis.

Læta favet, ſors mœſta premit, tu major utrâque
Fac conſtes; vinces, ſi tuus eſſe velis:
Si fortuna tuis velis inimica repugnat;
Omnia confidas te duce poſſe Deo.
Dum patitur virtus, Deus indit robora; dura
Tempora qui mittit, candidiora facit.

Virtu

Virtus humilis, glorioſa.

Altius adſcendit, qui proterit altius omnem
Imperii faſtum ſuſpiciendus honor:
Celſior ille loco eſt, qui nititur infimus eſſe;
Ut jaceat, virtus nulla jacêre poteſt;
Altior hæc ſoliis, hæc Solibus altior ire
Viſa ſibi, quò vult eſſe minore loco.
Eſt humilis mens alta Deo, præ rege ſuperba;
Et ſuperat faſtum, quò minor illa, ſuum.

Amica ad amaſium lacrymantem.

Dura fui tibi, mollis amor; lacrymaris, amantis
Corda moves; lacrymæ ſunt mea flamma tuæ:
Sunt in amore faces, lacrymæ, quæ fortius igne
Pectora ſuccendunt, frigidiora gelu.

In tiaras, capitalia mulierum geſtamina.

Matronale caput ſuperintegit alta tiara:
Femina magnificas jactat ad aſtra comas:
Vertice cornigero cœloque, viriſque minatur:
Imponit conjux cornua ſæpe viro.

Latro ad crucem damnatus.

Quem crux expectat, crux mortes mortibus infert,
Mille neces patitur fur reus, ante necem:
Somnia nam torquent, veras ſimulantia pœnas:
Dira oculos triſtis terret imago crucis:
Supplicium debere pati reus horret, & optat;
Qui citò vult lentam poſſe venire crucem:
Durior hæc crux eſt; ſed mors cruce dirior omni:
Si mortem ſpectes, crux fera, blanda reo eſt:
Lignea crux aliis, damnato ferrea crux eſt;
Mors ligno, & ferro ſævior una reo.

In ducem ſiniſtrâ manu dexterè dimicantem.

Dimicat enſe ferox dux dexteritate ſiniſtrâ,
Emicat hic lævæ ſic levitate ſuæ.

In

In vitium honeſtæ virtutis ſpecie coloratum.

Hoc ſceleri proprium; velum virtutis honeſtæ
Induit; hâc larvâ facta nefanda tegit:
Appingit vitiis ſpeciem probitatis; & inde
Eſt vitio virtus, gaudet honore ſcelus:
Sic inſons peccat, qui, vult peccare: voluntas
Commiſſo nullùm crimine crimen habet

Pica ſitim fonte ſedatura imaginem ſui videt.

Pica petit fontem ſitiens, ſeque ipſa petebat
Neſcia: nam picam fontis imago refert:
Miratur ſeſe, quam viſa moratur imago;
Altera viva, ſibi viſa fugura placet:
Se cupit; & quod adeſt, quærit; queriturque carere,
Quo fruitur; præſens corpus abeſſe putat:
Se capit, & fallit; dum captat, imago recedit;
Quam ſequitur, formam turbida Lympha tegit.
Alloquitur ſeſe, cum fonte movetur imago;
Conſortem thalami ſe putat eſſe ſui:
Et dolet, & gaudet; dum roſtrum jungere roſtro
Ardet amans, roſtrum, gaudia vana, capit.
Advocat hæc ſocias, picarum turba vocata
Advolat; & picas plenior unda refert:
Garrula turba canit, furit, & petit unguibus undas;
Pars undis hauſta eſt; altera turba fugit.
Pica dolore amens, & amans ſe quærere, perdit:
Eſt tumulus picæ fons, & imago ſuæ.

Optimates peſſimi, ſunt hodie regum reguli.

Nemo coronatas, felices eſſe, tiaras
Dixerit: excipiunt regia colla jugum.
Eſſe putes regem, ſupplex quem ſuſpicit orbis?
Sub pede qui Mundi frena, globumque tenet?
Fulget adorandâ qui majeſtate ſuperbus?
Et gaudet ſolô qui minor eſſe Deô?
Cura regit Reges, & millia multa pavorum,
Et circumvolitant regia tecta doli:

Nemo

Nemo minus regnat, quam qui regnare videtur:
Nunc regum ſervi regia ſceptra rotant.

Dives inops.

Omnia adhuc quærit, qui poſſidet omnia, dives;
Fit ſatur, ut ſitiat Craſſus & Irus eget.

Deus homo pro homine.

Credis, homo; potuiſſe Deum, pro crimine naſci,
Nec dubitaſſe pati; ſed voluiſſe mori?
Si pietas divina hoſtes miſeratur, amanti
Quid faciat; Corpus dat tibi; redde tuum.
Felix impietas! Abſolvit culpa nocentem;
Fit reus ipſe inſons, crimine nata ſalus.

Peccator poenitens.

Nulla venit ſanctis lacrymis (fac velle) repulſa:
Si reus es, facti poenituiſſe, ſat eſt:
Da gemitum, gemituſque pios ad ſidera mitte;
Gratia de cælô commiſerante venit:
Invitat ſontes facilis clementia cæli;
Sontibus, è cæli fontibus, unda fluit.
Flere juvat crimen lacrymis: nam flebile crimen
Eluitur lacrymis; quodque pietur, habet:
Ah vermis! Nec me pudet irritare tonantem;
Nec me flagitii poenituiſſe pudet?
Peccavi, doleo; Deus hoſti parce; nocentes
Tendo manus, lacrymas fundo, piamen erunt:
Me piget errorum; mea tot, mea crimina damno;
Devoveo culpam (ſunt ſacra damna) meam:
Sum ſceleris, poenæque meæ crudelior auctor;
Elicit hæc lacrymas cauſa pudenda meas:
Me fugio facinuſque meum mens horret, & odit;
Et dolet errorem plena pudore ſuum.
Ille mihi numquam nocuit, quem lædere patrem
Ingratus toties filius auſus eram:
Sed, ſcio, dum vivam, culpas pergam addere culpis;
Et ſcio, dum vivam, nil niſi flere ſciam.

Filius hoſtis ero patri, ſed amabilis hoſtis;
Filius, & peccans hoſtis, amicus ero.

Laboris merces jucunda.

Ut roſa de ſpinis flos eſt jucundus odore;
Sic fructus, proles, matre labore, venit.

Laude digno laus vitanda.

Tu, quod es, eſſe velis: quod non es reſpue dici:
Tecum habita: os populi tunc meruiſſe potes.

Indefeſſum Muſarum ſtudium poetas mactat.

Muſa ſuas veneres habet, illeceboſa voluptas;
Dulce malum, capior, dum mea damna peto:
Vana ſuo cultu, tumulo mea Muſa laborat:
Heu, tumulo vates, gens operoſa, ſumus!

Silent leges, regnante pecuniâ, & extremâ fame.

Lex, & jura jacent, ubi cæca pecunia regnat:
Pauperies leges ultima nulla colit.

In Militem, amatorem Veneris.

Lude die; ſit nocte tibi pugnare voluptas:
Eſt pugnatori Ludicra pugna tori.

In morte tyranni.

Annus adhuc ſupereſt, periit quô morte tyrannus;
Infelix pereat; fauſtior annus eat.

David gigantem Goliam fundit, & unô lapide Reipublicæ Iſraëliticam fundat.

Funditor hic, jactu lapidis, fit conditor urbis,
Fundatorque David, gens, Solymæa, tuus:
Nam fundit fundâ metuendum mole gigantem;
Et fundat muros, urbs Solymæa, tuos.

In militem Cupidineum.

Cypri, tuo (ſint regna licet duriſſima Martis)
Sunt regnatori mollia regna tori:
Arma armatorum ſunt tela; Cupidinis arma
Mollis, amatori, quæ gerit, arma tori.

Optima libertas pacis.

Aurea libertas ferrô corrumpitur: odit
Bellica, libertas, prælia, pacis amans.

Difficile eſt, rectè loqui; difficilius, noſſe tacere.

Aſſueſcunt plures delinquere multa loquendo;
Vix tamen, ut peccet, dum tacet, unus erit:
Noſſe loqui rectè, res eſt, mihi crede, moleſta;
Ardua ſed virtus poſſe tacere, fuit.

Laus ſilentii.

Multa loqui vitio eſt; ſervare ſilentia, virtus:
Diſce ſilêre; ſcelus turpe, ſilenda loqui.

Fames extrema urbis obſeſſæ.

Obſidet ægra fames homines, urbem obſidet hoſtis;
Sed furit inviſo ſævior hoſte fames.
Multatæ rugis frontes, jejunaque labra,
Et queruli ventres, deciduæque genæ:
In vultu vultum, ventremque in ventre requiras:
Non faciem, maciem corpora mortis habent.
Exhorret fratrem frater, quaſi turpe cadaver:
Exequiæ prolem non tetigêre patris.
Sunt in deliciis feles, convivia mures;
Et, pro pane, canes, quos gula mandet, habet.
Mors vicina fugit, tam præſens illa, remota eſt:
Vivere difficile eſt; nemo perire poteſt:
Funera funeribus denſantur; & ipſa ruina,
Umbræ hominum vivunt; nec mala vita fugit.

In effrenem licentiam.

Proruit in luxum, Veneremque licentia ſuadet
Effrenis: poenas nulla timere ſolet:
In pejora ruit, cui plus permittit: habenas
Nacta cupido, ſibi cuncta licere putat.

Ars loquelæ, & taciturnitatis.

Cuncta loqui culpa eſt, culpa eſt quoque, cuncta tacere:
Pauca loqui, virtus; pauca tacere, ſcelus.

In Venerem, quæ à Philosophis vocatur, virgo latè dicta.

Hæc virgo latè dicta est, ex parte pudica:
Omnia claustra patent, & penetrale domûs.
Se lenociniis vendit, studiosa placere:
Subjacet, infra omnes secupit esse procos.
Palla sinum pretiosa tegit; speciosa videtur:
Brachia in amplexus sunt spatiosa suos.
Foetus ager, toties fotus, sua semina fallit,
Nec parit: in gravido est ventre puella levis.

Principio cautè ludendum, ut incautum emungas.

Principiô ludi ludentem vincere certas?
Perde prior: prodest perdere pauca prius:
Prima nocent tibi lucra: avido tua lucra remitte:
Damna priora feras: lucra suprema vehunt:
Tunc arti incumbas; tunc damna minora repenses:
Tunc loculos (oculos testor) opesque feres.
Lucratus loculos, non cessat vincere lusor,
Donec, qui ludens omnia perdat, erit.

In Medicum.

Sæpè rapit medicus, quam reddit sæpè, salutem;
Sæpè nocens prodest; qui juvat, ipse necat.

Pontifices Romani, servi servorum, & domini dominorum scilicet.

Pontifices, servos servorum, Roma vocavit:
Hoc se Pontifices more vocare solent:
Pontifices dominos dominorum Roma creavit;
Qui gaudent, domini nomine posse frui:
Sed tales servi dominis servire recusant,
Qui domini calcant regia colla sui:
Et tales domini cælo servire recusant:
Hi plus quam domini, nam deus esse volunt.

Spartanis Corinthum segnes obsidentibus, effugit vallô lepus.

Tyndaridæ segnes muros languente Corinthi
Marte petunt; vallô prosilit ecce lepus;

Ir

Imbelleſque vocans, præeo hoſtes, inquit, & haſtas,
Nec canis, aut miles, qui ſequeretur, erat;
Dux Lyſander ait: lepores pro moenibus audent:
Stertere; & hic hoſtis, quem timeamus, erit?

In Avarum.

Nummus amat ſonitum: numera, fugit otia, nummum:
Ille ſuum pretium, cum numeratur, habet:
Stulte, quid argentum prodeſt, quod condis in arcâ?
Omnia ſi teneas dives, egenus eris:
Parcior ipſe cares aurô, quô plenus abundas;
Inter opes, inhians, quæris avarus opes:
Vivis inexpletus, congeſta talenta reponis:
Qui nummos hæres dilapidabit, erit.

Sæpè ex ignobili parente præclari oriuntur.

Clarus ab obſcurô bellator ſæpê parente
Emicat; & generis cauda, caputque ſui eſt.

Quis Princeps optimè regnum ſervare poſſit?

Qui paucos onerat; multos, qui regnat, honorat;
Et paucis credit, ſceptra tenêre poteſt.

Facilis deſcenſus Averni.

Non eſt ire labor: Manes via ducit ad umbras
Ipſa ſuos: illuc, dux ſibi, cæcus abit.

Amici pacifici.

Mutua pax jungit, junctos ſibi ſervat amicos:
Ambitio junctos diſſociare ſolet.

Ad Petrullium, ancillariolum.

Ad latus ancillæ recubas (eſt pulchra) Petrulli:
Officioſa tibi, gaudia nocte coquit:
Suſcitat, ut jaceas, non hæc ut ſurgere cures;
Et ſibi Petrullum, quem gerat, illa petit.

In poëtam ſuperbum, mea, ut aliorum Vatum, carmina contemnentem.

Muſa, Meduſa, tua eſt; nimiumque ſevera Megæra;
Romanis culta vatibus, arte caret:
Noſtra Camoena tibi eſt: inamoena (ea fama vagatur)
In vatum latras, ſæve catelle, choros:
Non latrare viri eſt: cinnis es mollis Erinnys:
Garrula ſi latret femina, nemo furit.

Ad Invidum.

Invidus (o mores;) alienos odit honores:
Laudes fraude tegit: cur? quia laudis eget:
Livor eda✗ mordet tamam, cui gloria ſordet;
Et laniat mirum, dente fremente, virum:
Nobile nomen edit, benefactaque ſplendida lædit:
Hinc malè ſemper olet, carpere clara ſolet.

In Carteſium negantem bruta ſentire.

Bos dominum, dominique aſinus præſepia novit;
Tune aſinum brutum noſſe, bovemque negas?
Ver ſentit, revolatque Ciconia nuncia veris;
Quam nil noſſe putas, ſacra tabella docet.

Ad Invidum.

Dux titulos jactat, titulos gens invida mactat;
Illa decus ridet, nec benefacta videt:
Laudibus obtrectat, quas inclita gloria vectat
(Fruſtrà inſons orat) nomina clara vorat:
Odit, & explodit lauros, quas livida rodit;
Virtutemque metit; nil niſi ſumma petit.

Heroes incliti invidiæ ſubjacent.

Nil timeat fortis, qui cuncta pericula vincit:
Fallor? & hic multum, quod vereatur, habet:
Invidiam timeat: ſolet hæc capita alta ferire:
Invidiâ heroum colla ſuperba ruunt.

Ira, furor brevis eſt.

Frena pati non ira poteſt, calet impetus, & ſe
Non regit effrenum, qui malè cuncta gerit.
Da ſpatium, permitte moram: brevis ira furoris;
Mox, quæ componi ſe patietur, erit.

Cervus

Cervus.

Cornua fronte gerit, ſunt arma minacia, cervus;
Imbelles animos, ſed ſine fronte, gerit:
Cornibus arboreis, cælo capita alta minantur:
Scilicet ignavæ ſunt, ſine felle, minæ.
Hic Aquilone volat velocior; ocyor arva
Tranſilit hic Aquilis; & juga celſa petit.

Audi partem alteram.

Audiat & partem judex cognoſcat utramque:
Forma vetus juris, non nova norma, fuit.

Senex moriens.

Illaqueat me canities annoſa, virumque
Pono; ſenex videor, quod piget, ante diem:
Adrepit mors lenta ſuo, violentaque curſu:
Claudo oculos, tumulo condor; amice, vale.

Pontificiis ſacrificulis vetitum eſt manibus laborare.

Cur labor eſt vetitus tibi dic, Romane ſacerdos?
Quas natura dedit, vis, nihil eſſe, manus.
Otia pinguis amas: decori eſt tibi turpior uni
Segnities, veneres quæ fovet ægra tuas.

In leporem hoſpitibus ſacrum.

Effugit ille canes hominumque lepuſculus ungues;
Incurritque jacens, præda voranda, gulam.

In Aſellos marinos, & bubulam carnem coctam.

Véſcere non ſegnis (pelagus propinat) aſellis;
Tunc bove veſcaris: bos, nec aſellus eris.

In grandinem.

Ingruit è cælo, faciens lapideſcere campos,
Saxeus imber, aqua eſt; quod ſata ſternat, habet.

In potatorem vini.

Ebrius hic, vivens moritur; ſpiratque cadaver,
Quod Bacchum, atque animam nocte dieque vomit.

In Philoſophum, heſternum argutatorem, aſſerentem, nigrum eſſe album.

Candidus eſt corvus? Sic argutaris, Hylactor?
Hinc ſequitur cycnos eſſe, fatere, nigros.

Candida ſi pix eſt; ſequitur nix nigrior eſſe;
Sed tibi non mens eſt candida, nocte micat.

Omnibus moriendum.

Eſt ita; trita via eſt vitæ, citò tendit ad umbras;
Ipſe ſibi cæcus duxque, comeſque viæ eſt.

Vis Ignis.

Terrea conſumo, turbo aëra, tartara fundo;
Sum Deus, exſtinguam cuncta, nec ignis ero.

In Somnum.

Si mortis ſomnus, ſomni mors dicitur eſſe;
Dormis ſæpè; ſcias te quoque ſæpè mori.

In claſſem auream Solis Franci.

Aurea claſſis erat, Solemque hoſtemque laceſſens;
Terribilis navis nomine quæque ſuo:
Terror erat terris; diviſa ruina per æquor;
Tanta jacet, variis ſparſa ruina locis.

Germana veritas, ubi?

Teuto bibit tutò, qui verum quærere certat:
In vinô verum, Teutone teſte, latet.

In puellas, fucô tinctas.

Forma puellaris fucata, & ab ore fugata eſt:
Umbræ hominum dicant: pulvis & umbra ſumus.

In ſenem, tinctô capillitiô cultum.

Cane pater, pilus ater abit; tangitque capillos,
Qui pingit, fucus: te quoque finge virum.

In Mulieres.

Mollior eſt mulier, melior pietatis amore:
Non de carne Eva eſt ſæva; ſed oſſe viri.

In nomen ſocietatis Jeſu;

Bos, aſinuſque fuit ſocius naſcentis Jeſu;
Latrones ſocii, cum moreretur, erant:
Vos, Jeſu ſocios cum dicitis, eſſe neceſſe eſt
Latrones, aſinos aut ſine mente boves.

Im-

In leonem, belluarum Regem.

Imperiosa, leo, majestas, bellua princeps,
Dat primas homini; cætera Regis habet.

In Patrem, Judocum Andries Brabantinum rusticum, Jesuitarum Provincialem, à quo Calvinus stigmate notatus fuit.

Rustice, Calvinum, probroso stigmate, signas?
Carnificem insontis te fateare viri.
Stigma quid est aliud Patrum, nisi nomen Jesu?
Tu facis, ut vertas nomina sacra probro?

In calvum.

Cur crines fugêre? Caput fugêre, superbum
Crimine: nam crines, & coma crimen alunt.

Decoctoris ad furem cavillatio.

Omnia decoxi: fur nocte irrepis in ædes?
Ut nihil invenias, Sole micante, veni.

In conjuges.

Vir tenet uxorem, litem tenet, atque dolorem;
Quique carent uxore, carent lite, atque dolore.

In Invidiam.

Carpitur, & carpit; lacrymis lætatur amaris:
Extenuat laudes, ore venena vomit:
Sordida, quos ambit, mordet virtutis honores:
Felle intabescit, suppliciumque sibi est.

In Jonam Mari mersum.

In tumulô vivo: tumulus quoque vivere gaudet:
Non mergor, totô corpore mersus aquis.

Iris.

Ille coloratus, pacis signum, emicat arcus,
Nil hostile minans: orbis in orbe micat.
Quisquis amas pacem, pacis circumspice signum:
Hæc bellô potior tessera pacis erit.

Labyrinthus.

Nulla via est, ubi mille viæ; sed in avia ducunt:
Qui currat gyrus, quique recurrat, erit:

Error ubique latet, ſed inextricabilis error:
Exitus hic nullus: quod placet, error habet.

Apoſtrophe Medici inexperti ad ægrum, neſcio quo morbo laborantem.

Si vis ſanari, ſed morbô neſcio quali;
Accipias herbam, ſed qualem neſcio, vel quam;
Ponas neſcio quô, ſanabere neſcio quando.

In laurum.

Laurus amat vates; laurus deſignat honores:
Floreat, ut lauri, ſic quoque vatis honos.

In Piſcium capturam.

Incautos piſces, quos allicit, hamus & eſca,
Fallit: &, ut fallis, fallere falſus amas.

In Lagenam.

Nocte dieque, mihi libat genialis amator
Oſcula; ſed vacuum foeta lagena creo.

In Lectulum.

Limina dum claudis, ſerô tibi veſpere claudo
Lumina: tu gremiô dulce quieſce meô.

In Lilia Gallica.

Candida, quæ florent, ſunt mollia lilia odore:
Gallica, cur non ſunt candida? cæde rubent.

In Limacem.

Neſcio Majores; neque me genuere parentes;
Clara tamen ſignat linea ſtemma meum:
Sum dubii generis, ſine ſtirpe, graduque ſuperbus;
Conjuge dum careo, cornua fronte gero.
Sole ſub apricô gradior: mihi captus, & idem
Liber; ubique meam, meque, domumque fero.

Uxoris Lothi metamorphoſis.

Se ſtatua hæc finxit; nunc muta ſtuporis imago;
Noverat ire olim, noverat ore loqui:
Aſpicit hæc patriæ flammas, ſua lumina perdit,
Et formam properat dilapidare ſuam.

Se modò mentitur, mentiri ſueta, ſiletque,
In fatua ſtatua contumulata ſua.
In lapidem converſa ſalis, ſale viva carebat:
Si ſapis, hunc fugias (turpe videre) ſalem.

Imago in ſpeculô.

Eſſe hominem credam ne mei? Non ſpirat imago,
Momentô genita eſt: unus, & alter homo eſt.

In Oculum.

Eſt oculus ſpeculum, ſibi pingit imaginis umbras:
Multa videt; ſed plus, quod lacrymetur, habet.
Lumina dum plorant mala plurima, flumina ſpargunt;
Corda movent, produnt gaudia, amare docent.

In Cycnum.

Cycnus amat fontem, ſuetus colludere fonti:
Dum ſe tingit aquis, vix quoque tangit aquas.

In Panem.

Me fingit ſibi Roma Deum, qui ſtercora fio:
Sum panis; mutus ſed tibi, Roma, Deus.

In Ferrum.

Quam bene ſub terrâ latitabat inutile ferrum!
Qui prior effôdit, ferreus ille fuit:
Inde globos, cædis peſtes, multô igne crepantes,
Et gladios fingit, cum gladiisque, necem.

In Nummos.

Quisquis amat nummos, pretioſa pericula, nummos
Poſſidet: eſt nummis dives, inopſque ſuis.
Hic fit avarus opum, nummorum prodigus ille:
Quam multi nummis, heu, periere ſuis!

In Calamum ſcribentem.

Candidus eſt calamus, ſuetus cur pingere nigra?
Pulcrius in nigrô candidiora micant.

In Philomelam.

Quæ modò ſuavis avis, fuit olim muta puella;
Dulcius humanâ jam canit arte melos.

In eamdem Philomelam.

Gloria tu volucrum, tu gloria carminis una,
Dulce canis, dulci carmine digna meo.

In Phoenicem.

Ut vivat, moritur; vivit quoq e mortua Phoenix:
Mors alibi, hic cineri posthuma vita suo est.
Felices o Phoenices, gens docta, poëtæ!
Vos quoque, post mortem, vita beata manet.

In Pulverem coloratum Pictorum.

Pulvere quid levius? Res est viliſſima, pulvis.
Pulvere (pinge) nihil pulcrius esse vides.

In Puellas.

Blanda puellarum facies, & amoribus ardet:
Quot facies, juvenum tot reor esse faces.

Michael Ruterus, Maris domitor.

Gallus inerrabat cum Pardis æquora; Gallos
Cum Pardis pepulit classe Ruterus eques.

In Psittacum.

Iam rident (quis credat?) aves, hominemque salutant
Obmuscat homo: namque loquuntur aves.

In Pupillas oculorum.

Pupillas oculi, scintillas solis, amantis,
Queis nihil in pulcrô carius orbe, vocant.

In Adamantem.

In pretiô est Adamas, rarus caruſque lapillus;
Hunc qui non adamat, cor adamantis habet.

In Puerum.

Quô te, parve puer, compellem nomine; parvum,
An pravum fallor! Nomen utrumque tenes.

In ventos, & fluctus.

Flamina sunt nautis hostilia, flamina amica:
Quæ nautas perdunt flumina, sæpè juvant.

Tempestas.

Horrida tempestas quot fluctus excitat, illa
Tot nautis luctus, exitiumque parit.

Non licet incautis in classe quiescere nautis:
Lassa carina gemit, quassa ruina fremit.
Vector in incerto est: Rector cum nave fatiscens,
In mare jactat opes; numinis optat opem.

In Ranas.

Stagnicolæ per prata equitant, & saltibus altis
Transiliunt tumulos, bellaque rauca canunt.
Emicat, & ranam (nihil est, nisi venter) hiantem
Ventre suô condit lucius; illa silet:
Sic in ventre fuit venter: quæ læta canebat,
Exequias cecinit rana voranda suas.

In Rosam, rore tinctam.

Flos Veneris, rosa, Veris honos, rosa nectare tincta:
Est roris nectar gratia, floris odor.

Nobilitas sanguinis.

Nobilitas pretio est, emitur quæ sanguine fusô.
Servatô constat sanguine vita suô.

Salus quærenda.

Cur plerique suam quærunt, perduntque salutem?
Cui sordêre potest, est malus, una salus.

In Senes morosos.

Morosus dormire senex solet: excitet infans
Per loculos oculos, evigilare solet.

In Tumulum.

Nil mihi cum vivis; mors hic, non vita, recumbit;
In tumulô est cumulus, putrida massa, cinis.
Vermibus armatur; mox est sed inerme cadaver:
In vermes ibis, sordida turba, tuos.

In Hydram à me visam, quindecim pedes longam, in silvâ Amandinâ ad Valencenas.

Sibila dira Hydræ latè nemora alta replebant:
Allicior: subeo vix nemus, hydra fugit:
Noxia res, cantus: blandè movet, illice voce;
Mordet & incautos: carmina virus habent.

In Lacrymas.

Dicite, vos lacrymæ, quis vos genuiſſe videtur?
Non oculi: lacrymas caſus ubique parit.

Conſolatio lacrymantium.

Sunt luctus, fluctus; in flumina lumina manant:
Qui dolet, & lætus tempore fletus erit.

In Blattam.

Librorum ſtudioſa, mihi neque litera nota eſt:
Quos voro, ſum libris contumulata meis.

In tormentum bellicum.

Ferrea vox regum, furias vomit: alta ruinas,
Commotô totô funditus orbe, ſonat.

In Vinum.

Proditor arcani, lites creat, agmina ſternit;
Et pulſô, reddit gaudia tuta, metu:
Corrumpit juvenes, celebrat convivia, prodeſt,
Et nocet; & curas ſolvere Bacchus amat:
Ebria turba furit, vini ſi copia fuſa eſt,
Et vomit; ut ſapiat, tunc ſine mente ſapit.

Virginitas.

Virginitas juveni decori eſt, & honeſta puellis;
Hoc peperere ſacrum, qui caruere, decus.
Sunt juvenes hoſtes, omnes quos ſentit amicos:
Tactu horret minimô, nec reditura fugit:
Perdita it in luctus, auctôque timore, tumorem.
Floſculus hic rarus, quem cito carpit amans.

In Viſum.

Viſus amat formam: res, viſus, amabilis, ardet;
Hæc placet, & multum, lux quod ametur, habe
Nos, gens cæca, ſumus; viſuque nocente, perimu
Optima res, viſus, pernicioſa ſibi eſt.
Perdita virginitas oculô, quô perditus orbis;
Ah; operæ pretium eſt luce carere, nocet!

In Umbram.

Umbra viatori requies placidiſſima feſſo;
Picturis, ſilvis, arboribuſque decus:
Corpus amat, corpus ſequitur, fit luminis umbra,
Corporis umbra ſui eſt; ſed placet eſſe nihil.

Sine Deo vivere mors eſt.

Vita meæ vitæ es: ſine vitâ vivere vitam,
Mors, ſine morte, mori eſt; mortua vita mea eſt.
Vive Deo, mea vita; Deo cor amabile cordi eſt:
Ah, ſine corde mihi eſt cor, niſi numen amo!

In Organum.

Organa plauſibili clangunt, reſonantia, flatu:
Pulſa melos blandum, quod modulantur, habent.
Vos agitat multis, homines, impulſibus hoſtis?
Eſte Deo grati; reddite dulce melos.

Æternitatis meditatio.

Annule, principii properantis imago per orbem;
Annule, prima viæ meta, ſuprema meæ:
Tu mihi pandis iter, quô tutus tramite curram:
Non peritura meus præmia curſus habet.
Scit bene, quò properet, qui cæli currit amore:
Nil mortale peto: gloria, palma mea eſt:
Quod petitur virtutis iter, via regia honorum eſt:
Siqua fides, merces illa perennis erit.
Currite; principium, Deus eſt, & ſemita vitæ:
Eſt Deus æternæ (currite) meta viæ.

Fide, ſed cui Vide.

Æquora quiſquis amas, ventis confidis, & undis;
Sæpè tamen ventus mergit, & unda rates.
Si pelagus tumeat, timeas: fiducia damno eſt:
Hei mihi, nauta ſuâ credulitate perit!
Quos malè ſanus amas, blandis te credis amicis;
Fide (nec invideo) cui ſed, amice, vide.

Va-

Vacare Deo, eſt negotioſa quies.

Otia quiſquis amas, operoſa negotia tractas,
Si tua mens cælo ſola, ſibique vacat.
Eſt operoſa quies; labor ille, corona laboris:
Mens ſe, mens gaudet numine tota frui.

Divitiarum Vanitas.

Stulte, quid eſt aurum, niſi fulvæ pondus arenæ?
Non aurum, mentem quod ſatiabit, erit:
Dives opum curas, cum curis mille timores
Congerit; & miſeras, quas timet, auget opes:
Vitat egeſtatem; ſed non eſt turpis egeſtas:
Qui poterit nummos ſpernere, dives erit.
Mens contenta ſuo, facit, ut ſit dives egeſtas:
Affluit hæc, nec eget, quæ quoque rebus eget.

Pavo, ſuperbiæ imago.

Jactat honoratam volucris Junonia caudam;
Oſtentatque oculos, aſtra ſuperba, ſuos:
Invidioſa tumet, ſpiratque ſuperbia faſtum;
Alta ſibi, loquitur grandia, colla levat.
Stemmata, cum proavis, ac turgida nomina jactat:
Omnibus eſt vilis, ludibrioque ſibi.

Peſſimum bonum, divitiæ,

Quæris opes, & opem lucro? tua damna requiris:
Exitio domino ſæpè fuere ſuo.
Sarcina, divitiæ multæ: gravis orta procella
Naufragium puppi, divitiiſque vehit.
Projice, tutus eris: bona ſunt inimica ſaluti.
Ne perimant, pereant, quas malè quæris, opes.

In loquaces,

Garrula nunc verè ſunt ſæcula: regnat ubique
Pſittacus; humanâ garrulitate placet.

Virginitas.

Virginitas, virtus princeps, virtutibus illa
Prima præire, eadem prima perire ſolet.

In ſuperbum Romanorum ſacrorum cultum.

Cur oſtrôque, auroque micant fana, ara, ſacerdos?
Ludius his ſcenas exhilarare ſolet.

Cur ſacerdotes Romani veſte atrâ ſub candidâ induti?

Veſte nigrâ gaudet, ſub candidiore ſacerdos;
Mente niger, gaudet candidus eſſe foris.

In Bellarminum Cardinalem, controverſias ſcribentem.

Bellarmine, nihil proſunt bella, arma, minæque:
Nam tua bella nocent, arma, minæque tibi.

Miles impudicus.

Cur nocturna geris, furtivaque prælia miles?
Sunt bellatori dulcia bella tori.

Cælum quærendum.

Ut potiar cælô, patiar: cæleſtia quæro:
Hæc via non mollis; nil quoque mellis habet.
Divitiis, vitiiſque ſtudet quicumque viator,
Ad cælum facili non amat ire viâ.

In leonem, belluarum principem.

Imperioſa, leo, majeſtas, bellua princeps,
Dat primas homini; cætera Regis habet.

Ad Leonem Belgicum, Bellô Gallicô laceſſitum.

Bellicus arma canat Gallus, Leo Belgicus ardet:
Gallorum cantum non timet iſte Leo.

In cometam.

Nocte cometa micat, fax ignea, nuncia luctus:
Cauda vomit flammas, cælum terraſque flagellans:
Bellorum motus, peſtemque, ac funera ſignat:
Fata ruinarum loquitur vox muta tonantis.

In murem, à fele devoratum.

Muſculus infelix, tutus latitabat in antrô:
Emicat è latebris præda voranda ſuis:
Invigilat felis, felis tua devorat oſſa,
Parve; ſed infelix muſcule, præda jaces.

Perdix, præda accipitris.

Unguibus, & roſtrò, accipiter prædator, & alis
Inſtat; & in prædas, dum fugit illa, volat:
Perdita ſed perdix (ſuperat ſpes nulla ſalutis)
Inſidiatori præda cruenta ſuo eſt.

In fontem.

Emicat è ſcatebris animâ fons virgine gaudens:
Currit & ad matrem, quæ maris unda, ſuam:
Excipit hunc gremiò, poſita dulcedine, natum;
Sole calente petens aſtra, cadente redit.

Oppida, & agri.

Agricolis agri, ſunt civibus oppida curæ;
Oppida ſed turbis, turbinibuſque ſonant:
Pacem ſiquis amas, à turba & turbine liber,
Rura beata colas, rura quiete ſilent.

In alaudam.

Gens cæli, volucres dominum modulamine mulcent;
Dulcis alauda canit, laudat alauda Deum.

In ancillam laborantem.

Penſa trahit, lenitque canens ancilla laborem;
Feſſa ſed aſſiduò membra labore gemit.

In novercam extinctam.

O pueri, pueri, lugete: extincta noverca eſt:
Sed lætos ducunt (fallor?) in orbe choros.

In Lupum extinctum.

Occidit armenti terror, pavor ille ferarum;
Paſtor ovat; timidus non timet agnus ovi.

In matronam, liberalem in egenas Viduas,

Turturibus, viduis, gemitum abſtulit, æra miniſtrans;
Jam dantis laudes turtur ubique canit.

Roma vetat lectionem ſacræ ſcripturæ.

Roma vetat, ſacras populum volviſſe tabellas;
Cum populo, ſtupida eſt bellua, Roma ſuo.

Roma reliquias colit

Relliquias Divûm, quas impia fingit, adorat
Roma: ſuperſtitio templa beata tenet:

Excrementa colat ſic Divûm ſordida, pulſô
Numine: nos colimus, lege jubente, Deum.

Aves, bubone ſtipiti inſiſtente, viſcô capiuntur.

Inſidet infelix in vertice ſtipitis ales,
Bubo; quem volucres, gens inimica, petunt:
Garrula turba ruunt, majeſtatemque laceſſunt;
Sunt quoque, quæ roſtrô non pupûgiſſe timent:
Stipitibus gaudent incautæ inſiſtere; lentô
Laſcivæ viſcô decipiuntur aves.

Ranæ panni purpurei lacinià capiuntur.

Fallere ſiquis amat ranas, de nocte canentes;
Purpureus pannus, quem vorat illa, capit:
Illa vorat pannum, pannus capit ipſe voracem:
Ranaque ſic prædæ præda fit ipſa ſuæ.

Peſtis.

Tabida graſſantur contagia, ſparſa per auras:
Corpora anhela jacent: manat per viſcera flamma:
Filius aſpectum patris fugit: aſpice paſſim
Peſte afflata cadunt, inhumataque corpora ſquallent:
Exhalant animas, vitiantque cadavera cælum:
Silva rogis, tellus tumulis, medicina ſalute
Sana caret, populis urbes, nuda arva colonis.
Quis memoret ſtragem? Sunt omnia mortis imago.

Vita hominis, octoginta anni.

Vivit homo bis octo (hæc cæli eſt gratia) luſtra;
Ex quibus ille decem Cereri, Bacchoque propinat,
Et totidem ludô; viginti perdere ſomno
Vita, novemque ſolet; ſeptem puerilibus annis,
Otia dum captat: morbo quoque quattuor addas:
Viginti poſcunt Muſæ, variique labores.
Debita tota Deo vita eſt, annuſque negatur.

Armentorum tyrannus, lupus.

Contentus vili vix eſt lupus acer ovili;
Impetit armentum, metuit nec cornua centum:
Triſte ululat; cernit pecudum vaſta agmina, ſternit:

Turba molossorum fugit ora impasta luporum:
Terror silvarum, lupus est, horrorque ferarum:
Quid pastor jactat vires? Lupus obvia mactat.

Diis omnia curæ.

Sunt cordi curæque Diis homo divus, & illis,
Ut gens bruta, boves; sic & oves, & aves.

Aves canunt, quadrupedes gemunt.

Musica gens cæli, volucres cantu aëra mulcent:
Ignorant cantum terrea bruta, gemunt;
Terrea bruta gemunt, quia terræ pondere pasta;
Libera sed terræ pondere, cantat avis:
Gaudet avis levitate suâ, quia semine pasta est;
Semina nil oneris, plus levitatis habent.

Lappia vulgo dicitur ventos vendere.

Quisquis amas ventos, ventos tibi Lappia vendet;
Sed tibi, cum ventis, Lappia verba dabit.

Clavus figit feras, clavis; aperit.

Vis firmare feras, opus est has figere clavis;
Sed claves solitæ sunt aperire feras.

Repudiatio scorti.

I procul hinc, scortum, de fonte Cupidinis ortum;
Fer scortatori sordida scorta tori.

Sol unus est in omnibus omnia.

Sol pingit Floram, Cereris Sol germina tingit;
Gramina Sole virent, gemma nitore micat:
Ardet Onyx, Adamas scintillat, ridet Achates;
Phœbus, ut herbescas, culte Smaragde, facit:
Solari gaudet flammâ radiare pyropus;
Et cum Beryllô ludere, Phoebe, soles:
Arborei florent rami, sed Sole calente;
Cui Gremium pandunt lilia læta suum:
Ut rosa candorem, sic flavos caltha colores
Ducit; & herba æstu, quod revirescat, habet.
Lude calore tuo, Sol ignee, lude colore;
Ut radiis vivat terra renata tuis.

Venator, & miles conveniunt.

Venator, mileſque ſuâ ſpectandus arenâ
Gaudet; uterque armis bella animiſque ciet:
Hic ſcandit muros, ille ardua culmina collis:
Obſidet hic arces, cingit at ille feras:
Perſequitur prædam; prædâque exultat uterque:
Mars ſpoliis gaudet, læta Diana ſuis.

Speculum.

Oſtendit tibi te ſpeculum: ſpectantis imago,
Hæc tibi, quæ ridet, quæque renidet, adeſt:
Tangitur, & tangit; tu ſi moveare, movetur;
Teque gemente, gemit; teque loquente, tacet.

In tigridem, quæ ſe demulceri paſſa eſt.

Aſpera contactum tigris intractabilis odit;
Blanditiis coepit mitior ire meis:
Ut tango, fera molitur, miteſcere diſcit;
Et fera dedidicit, quod ſolet eſſe, fera.

Pſittacus levis, femina levior.

Pſittacus, & lætos facili pede femina ducit,
Mobilitate ſalit quæ leviore, choros:
Pſittacus eſt levior, volat ocyor, aëra ſulcans;
Femina mobilior, quæ levitate ſalit.

Muſca circumvolans candelam uritur.

Ludere cum flammâ gaudens, circumvolat ignem
Muſca; ſed hæc ignis proximitate perit.
Luditis, ardentem tutò tetigiſſe puellam
Creditis, o juvenes; quô vocat ore, vorat.

Tympana cum lituis conſonant.

Tympana cum lituis animant in prælia fortes;
Ferrô hoſtem fortes exanimare ſolent:
Non benè conveniunt litui cum fortibus; una
Tympana cum lituis conſonuere ſuis:
A fuſô fortes derivant ſanguine nomen;
Sic fortes, fontes erubuere ſuos.

In adulatorem.

Fallere blanditiis, & fumos vendere noſti;
Ad nutum ſervis, crimina facta probas:
Te vendis, ſimulator, & omnibus omnia fingis;
Inter adulantum progrediere greges.

Libidinoſi ſunt ſues.

Obſcoenô volvit coeno ſe ſordidior ſus;
Delicias, limum, ſus putat eſſe ſuas:
Quid grex porcorum, niſi foetida turba procorum?
Sordibus illa ſuis nam, ſuis inſtar, olet.

Remedium contra icterum.

Recipe urinam ægri icterici recentem, quantum vis; affuſam carni bubulæ, ex collô ſanguinolentô bovis recèns mactati (quantum vis) quæ ſimul include teſtæ novæ; quam in hortô inhuma, duobus ſub terrâ pedibus: die ſextô æger per ſympathiam perſanabitur.

Icterici quiſquis morbi languore laborat;
Urinæ ſanat bubula miſta caro:
Corruptela putris, terræ, defoſſa malignos
Attrahet humores; quæque repurget, erit:
Nam color ictericus melli fellique propinquus,
Cum niveis roſeas tinget, aletque genas.

Vinum perniciosum

Sole calente, botrus turgeſcit ſanguine Bacchi;
Quàm multum ſanguis ſanguinis ille trahit:
Vina creant lites, cædes, & bella cruenta;
Quæ faciunt, vitiis erubuere ſuis.

Lites, milites, litui.

Lite forum reſonat, lituis & milite campi:
Miles agrum & litui, lis ruit omne forum.

Libertas.

Aurea libertas multis eſt ferrea; mentis
Aurea libertas, ferrea Martis opus.
Quidlibet audendi libertas libera frenô
Suadet, & in præceps hæc ſine lege ruit

Lucta-

Luctatores duo vincentes, & victi.

Hic linguâ, ille manu pugnat, qui vincit uterque
Vincitur: hic ſuperat pugnis, magna ille loquendo:
Verberibus verba, & verbis quoque verbera certant.

In macilentum.

Conveniunt oculorum acies, facieſque colore,
Et macies; glacies pallida in ore ſedet.

Magnes.

Magnetis vis magna, trahit virtutis amicum
Illecebris ferrum; duraque flectit amor.

Terremotus imago.

Murmure terriſonus fragor increbreſcere grandi
Coepit, ut immani motu, gemituque remugit
Machina terrarum: montes ſonuêre, cavernæque
Intonuêre gravi fremitu; commotaque Mundi
Viſcera mole ſuâ, diſturbant oppida, & alta
Fundamenta ruunt: circumtremuêre ruinæ
Impulſu graviore: tumultibus arva redundant.
Tartara jurares, tonitru concuſſa, tonare.

Araneus.

Conſtipat telæ telam, de ſtamine ſtamen
Nectit, diſcreti naſcuntur ab orbibus orbes;
Conditur ille orbis punctô, non amplius, horæ.

Saccharum.

Dulce favus mellis, ſunt dulcia cinnama, vina
Dulcia; ſed ſacchar dulce ſapore præit:
Sacchar edas, omnem ſuperat ſapor ille ſaporem;
Veſceris ambroſiâ, nectareâque dape.

Dux agmini exemplô præeat.

Sint quamvis trepidi, ſequitur victoria cervos,
Si præit exemplo dux leo bella ſuo.

Procus, & puella amantes;

Blanda puella ardet, juvenis procus ardet amari;
Sed caveat, ne forſan amor quid gignat amari.

Invidia carpit inclyta facinora.

Maxima feciſti, ſpiras majora minora,
Invidiæ turbo maxima, ſæpe facit.
Plus fuerit, feciſſe minus: decreſcere crebrò
Magna ſolent: fallunt maxima ſæpè fidem:
Ne ſpires igitur, neque ſperes alta; ruinas
Alta petunt altas: ima, ſuprema, ruunt.

In naſum ſimum.

Eximium jactat fronto ſine acumine naſum;
Exiguum (fallor, ſit modò naſus) habet:
Nec video naſum, pars eſt milleſima naſi:
Siqua fides, naſi vix levis umbra fuit.
Viderit hunc, gaudet qui nomine Naſo, canetque;
Naſutus vix eſt hic homo: naſus ubi eſt?

In deum Romanum triticeum.

Relligio Romæ floret; naſcuntur in agro
Numina: plura gulæ numina Roma ſerit:
Numina Roma vorat, nec Romæ numina deſunt;
Sed ſi Roma vorat numina; numen ubi eſt?

Pontifices R. creant Sanctos, & novum Deum.

Roma creat Sanctos homines, & denique tantos,
Pontifices ipſos dicat ut eſſe deum.

Carmina perennia.

Scripta ferunt annos; annorum ſæcula vincunt
Priſca; novi fructus poſteritatis erunt.
Carminibus Thebæ ſuperant, his Roma triumphat;
Quid ſine carminibus Troia, quid Alba forent?
Carminibus Divi (ſit fas mihi dicere) vivunt;
Majeſtaſque Jovis laude canentis eget.

Gloriam umbra ſequitur.

Gloria, lux brevis eſt, tenues vaneſcit in umbras:
Laus abit in fumos, cætera pulvis erunt.

Poe-

Poëtarum vita perennis.

Oceani prius immenſas exhauriet undas
Formica, ac vaſtas percurret cochlea terras,
Quam moriare: poëta, perennia ſæcula vives.

In militem fortem extinctum.

Marmore candidior, recubat ſub marmore miles:
Candida ſtare ſuper marmora dignus erat.
Pectus in adverſis oſtendit durius omni
Marmore: mens hominis marmora pulchra fugit.
Extincto ſudans lacrymatur milite marmor:
Marmor, ſi cæſum non lacrymaris, eris.

Ludentes morimur

Vivimus, & morimur: non Parcæ parcere norunt;
Quæ dum fila ſecant, corpora noſtra necant.
Vita, brevis ludus, morti devota voluptas;
Quæque fluit tacito tramite vita, fugit:
Nata ſuis gaudent, dum ſpirant, corpora fatis;
Et repetunt circum vitaque morſque ſuum.
Quam cito nos hominem dediſcimus: imus; eunti
Nulla mora; ad lethum currit & ipſa quies:
Ludit homo, & ſcenas implet, gaudetque theatro;
Scenica vita diem claudit; & actor ubi eſt;

Elephantes falcatô curru militantes.

Monſtrum immane, Elephas, turris ferrata, feriſque
Machina foeta viris, bellua bella movet:
Falcatos currus, armamentaria Martis
Dira trahit; vaſtâ mole ſuperba fera eſt:
Impoſitas arces, & propugnacula dorſo,
Martia quæ pugnat ſarcina, tela gerit:
Barbara monſtra docent homines ſævire; ſed armis
Jam ſuperincumbit bellua ſtrata ſuis.
Pondere magna ſuo eſt victoria: Mauſolæum
Debellata fera eſt: cæſa miniſtrat ebur.

Etymologia nominis, Pontifex, in gratiam pontificum Romanorum.

Humano Venus orta mari, dea creditur esse;
Romanum, *ponti fæx*, caput, esse deus.

In aleatorem.

Lubrica naufragiis, nautis male fida Malea est;
Alea sed domino ludicra, damna parit.

In Simiam.

Æmula cur homini, dum fingit cuncta, putatur
Simia? Non fictum fingere cuncta docet.

Loiola, anagramma, o lolia!

Infelix lolium, dux o Loiola nigrorum;
Pestiferi folium floris ubique seris.

In alaudam (accipitre mari persequente) ad gremium meum fugientem, & servatam.

Milvius in prædam super æquora fertur alaudæ:
Me simul, & vitam, dum fugit, illa petit.

Thylii Ulenspigelii, scurrilis ventilatoris, Dammonæ, Flandrorum extincti urna.

Tullius, orator, stultus fit Thylius orbi:
Pabula vana, sales, rabula hic & fabula, vendit:
Otia Mundus emax, operosa negotia, nugas
Credit; & his homines & tempora fallere gaudet.

In eumdem.

Vita hominis, ludus; ludus fit Thylius orbi:
Nos homines flendi, ludicra turba sumus.

Apostrophe ebrioli ad vacillantem pedem suum.

Sta pes, mi stipes; via lubrica; ne cade, mi pes;
Ni steteris, lapides hi tibi lectus erunt.

In catellum dominæ extinctum,

Parva domus parvo tibi corpore, parve catelle,
Convehit; urna brevis, quæ breve carmen habet.

In juvenes effrenes.

Mens ratione caret juvenum, nisi fervida paret,
Hanc plectes pœnis, cum frenis stringe catenis.

In mortem.

Mors odit legem, mactat cum paupere regem:
Lex est trita mori; mors est fatalis honori:
Parcere mors nescit; sternit, quodcumque senescit:
Quam nemo exorat, frustra sua funera plorat.

In aleatores, lucri avidos.

Spes metit hæc punctò, quæ totâ severat horâ;
Perditur & puncto, quod vix lucraberis anno.

In Arnemudanum Valachrorum portum exarescentem.

Portus aquam quærit: terra est, ubi luserat unda:
In portu portus naufragus ipse suo est.

In eumdem.

Qui fuerat pontus, portus sine flumine terra est:
Flumina naufragiis sicca fuêre suis.

In principem maris portum Veris Valachrorum.

Zirizæa patet, Fliffinga, & Gusa carinis;
Oppida sunt portus singula, Vera, tuus.

In Ferdinandum Toletanum, Albæ Ducem, colossæam statuam in Antverpiensi arce sibi erigentem.

Vivis adhuc, fingis tibi, Dux Albane, colossum?
Extincto pietas nulla datura fuit:
Te populi passim certant extollere in altam,
Quam colis, innocuis quam struis ipse, crucem.

Cur desertô Ignatiô, claudô Jesuitarum duce, Calviniano dogmati adhæream?

Calvinum sequimur, deserto cur duce claudo?
Non cælum hic rectâ, sed petit ille viâ.

In præcrassum ventripotentem.

En Marcus Crassus sua pulvinaria secum
Ferre solet; sentit, sarcina quanta caro est.

In Lentulum præpinguem.

Pondere quam caro valeat caro, Lentule, sentis:
Progrederêre lepus, si sine carne fores.

Crasso-

Crassorum in mensâ musica.

Vivite, grex Orci, porci, prædivite ventre:
Nos toti ventres, gens macra ventre caret.
Lautius in mensis, & lætius ore voremus:
Crassa caro crassis convenit, ossa macris.

In præcrassos tardipedes.

Quantæ molis erat crassorum incedere gentem!
Vix passu incedit piger, & procumbit humi bos.

In Leopoldum Austriacum, Cæsarem, Mahometem Thracem ad Viennam triumphantem.

Sol minor occubuit: Cæsar, Sol magne, triumphas
Nocte: dedit plenam Luna subacta diem.

In canem domesticum, offâ contentum.

Offa canem panis pascit, quæque ossa supersunt;
Hinc vigilas domino, fida Lycisca, tuo.

In malleatorem, aleatorem.

Alea res alia est, & malleus: iste laborat
Lucro (dum damnis alea nocte) die.

In singularia certamina.

Læsus honos verbo est; petit ocyus excitus hostem,
Ense ferit; sed honos, cum pereunte, perit.

In apes.

Mellea dona, dapes, roseæ convivia mensæ:
Fundit apes, flavi digna favore favi:
Veris opes prædatur apes, bellaria Floræ;
Dulcia de cellâ divite mella parit.

In ovum.

Ecce novum foetæ gallinæ nascitur ovum:
Nascitur hinc pullus; vescere, nullus erit.

In fungos.

Nullius frugi sunt blanda pericula fungi;
Hâc pungi fungi vult gula nostra fame.

Ad chorum pontificium canentem.

Ecce lignum crucis, in quâ salus Mundi pependit, venite adoremus.

Numen adorandum, non signa, carentia sensu:
Ligna carent linguâ; ne cole muta, stupent.
Numina bruta silent: lædis? Non fulmina mittunt;
Quæ nec opes, nec opem saxea ferre valent.
Oscula (quæ pietas?) crucibus præpostera libas:
Infamem, cultor stulte, merere crucem.

In gemmam puellarem.

Auroræ lacrymas libo, rore ebria gemma;
Et molles digitos durior orno tuos

In annulum, æternitatis signum.

Annulus immensos designat parvulus orbes:
Par brevis æternis orbibus esse potest.

In mulieres garrulas.

Lubrica gens pisces; gens, femina, lubrica linguâ:
Tot mutos inter, garrula turba, tace.

In linguam mensæ appositam.

Has inter linguas elinguis lingua loquaces,
In mensis solita est sola silêre; sapit.

In vinum, largius haustum.

Omnia, vina vomunt; effusaque verba profundunt:
Vina tacent; multum, quodque loquantur, habent.

Vinum parcius hauriendum.

Dicuntur, qui vina bibunt, haurire salutem:
Plurima, Bacchô haustô, turba perire solet.

In illud Pontificium:
Crucem tuam adoramus.

Roma crucem merita est, quam supplice poplite adorat:
Ligna nihil sacri, quod veneremur, habent.

In purgatorium (ut vocant) ipsi Deo ignotum.

Flamma vorat Manes: sub flammis mortua vivit
Umbra; sed hæ flammæ sunt levis umbra mihi.

At fatuos ignes, patientes credula Manes
Roma, umbris amens, fingere ſueta, facit.

Epitaphium neſcio cujus.

Hoc jacet Albinus ſub marmore, vel Corvinus:
Non eſt Martinus, memini, neque Laurentinus;
Sed neque Juſtinus, novi, neque Marcellinus;
An Landelinus, cum conjuge, Bernardinus,
Aut Victorinus? Melius puto Conſtantinus;
Exciderat nomen; tamen exit in inus.

Serô venientibus oſſa.

Dicite vos ſaturi, ſerô venientibus oſſa:
Dicere nos ſoliti, ſerò venientibus offa.

In ſenem tinctô capillitiô tectum.

Vive, ſenex, ſanus; ſed canus tinge capillos;
Et dicam, ſalve, tunc tibi, calve ſenex.

In Quæſtores avaros.

Paſtor oves, quæſtor populos, tondêre laborant;
Lacte famem paſtor, ſanguine quæſtor alit.

In impoſtores.

Fallere fallentes, laus eſt non ſordida, vulpes:
In laqueum vulpes quem poſuere, cadant.

Mens immortalis.

Ingenii ſemper florent monumenta perennis:
Cætera fac perant: mens ſine morte manet.
Exciderit corpus, terræ pars debita corpus:
Mens, ſua quæ vivax fata triumphet, erit.

Damnorum plena ſunt omnia.

Damna gravant hominem: cunctis ſua damna ferenda:
Regnaque ſub fragili florida ſorte jacent.
Nemo fugit damnum: naſcuntur ſponte ruinæ:
Pendet & ex unô magna ruina virô.

In paſſerem, candidum plumis, Cortraci à me viſum, 166
Filius hic albæ gallinæ, candidus ovô,
Et pennâ paſſer candidiore, canit.

In tres Mures albos à me, Mechliniæ Brabantinorum, repertos.

Candidiore pilô, mures tres muſculus unô
Protulit in nido: maſculus ille fuit.

In tres glires ſubrufos, à me, Mechliniæ Brabantinorum repertos, totam hiemem (ut vidi) dormire ſolitos.

Vidimus hibernô glires pingueſcere ſomnô:
Dum ſtertunt, ſpirant; cætera mortis habent.
Tota pigris dormitur hiems: æſtate vagantur:
Quos, ubi ſævit hiems, nil niſi ſomnus alit.

In geminum Solem à me viſum, 1688.

Vidimus in cælo geminum, miracula, Solem:
Occidit hic; alter, luce micante, nitet.
Et geminos Reges hôc terra Britanna regentes
Tempore quos meruit ſola vidêre, capit:
Hic roſeos terras radios diffudit in omnes:
Altera lux brevior, flamma maligna, fuit.

Fides ſanctè ſervanda.

Pacta fides, tenera eſt; robuſtos exigit annos,
Ut conſtet; nummus, quô temeratur, habet.

Fides aurea.

Priſca fides nummos ſprevit: nunc aurea regnant
Sæcula: qui nummis, gaudet & ille fide.

Scelerata conſcientia ubivis intuta.

Mens rea, cur facinus latebris, ſine teſte, recondit?
Lux, Deus eſt, tenebras qui ſine luce videt.

Quæ formoſa, ſuperba ſunt.

Faſtus amat formam; nexuque ſuperbia utrumque
Copulat: hinc pulchris faſtus ineſſe ſolet.
Non humilis ſortunâ, formoſa puella, ſuperba es;
Quæ faſtu turges imperioſa tuo:
Torva ſuperciliô, ſed luxurioſa furore,
Allicis, ut pellas, ambitioſa procos.

Forma

Forma caduca.

Forma, decus tenerum, ſpeculôque micantius ipſô;
Floret; &, hunc florem quæ citò perdat, erit:
Perpolit hanc juvenis, quam percolit una, puella:
Forma puellaris, flore caduca, perit:
Forma decôra, procis eſt norma venuſta placendi:
Fallit; in exitium ſeque, procoſque rapit.

In Roſam.

Flos reginarum, florum regina, venuſta
Eſt roſa, quæ formâ plus, & odore valet:
Huc oculos concede tuos, nareſque juventus:
Naribus atque oculis, quos amat una, placet.

In meretricem.

Hæc pellax pellex, alienâ in fronte pudorem
Perdidit; & juvenes, quos malè perdat, amat.
Se gaudet vulgare; nihil ſub pectore clauſum:
Tota domus (dictu turpe) cubile patet.
Jactat opes, genus, & formam; caret omnibus illis:
Omnibus illa locis, illecebroſa procis.

Virgo nubilis.

Quæ ſibi majorem formam optat blanda puella;
Optari faciem gaudet, amatque ſuam;
Quam vetat optari: tangi fugit illa, cupitque:
Quodque timet, quærit: friget, & ardet amor.
Blanda venit, mitiſque procos dulcedine lenit:
Blanditiis odit non niſi torva ſuis.

Juvenum, & puellarum converſatio periculoſa.

Tolle (quid illudunt?) molles ex orbe puellas:
Illecebris lædunt cor juvenile ſuis.
Perdite, qui Mundum, juvenes, mala ſemina, perdunt:
Omnia corrumpunt; deliciiſque nocent.
Sancte pudor, jam nulla ardet ſecura puella:
Talibus à fucis quæ roſa tuta fuit;

Et juvenes levitate gravant, & amore puellas:
Et caſtum vitiat blanda puella procum.

In Pſittacum.

Vertice ſubmiſsô dominum, gyrôque ſalutat:
Et ſiquis placeat garrulitate, placet.
Nil habet humani; tamen eſt humanus; amatque
Humanô docilis pſittacus ore loqui.
Contentus minimô tolerat jejunia: ventri
Vivite vos, ventres; nil ego ventris alo;
Sic ait; & verum eſt, quod nos docet ille magiſter:
Nec peccat cantu garrula lingua ſuo.

In luſtralem aquam; quâ frontem Pontificii inſpergunt:

Vim ſibi non minimam luſtralis vindicat unda:
Stricta gelu mactat; nil reſoluta nocet:
Nil etiam prodeſt: cur frontes ſpargitis unda?
Ut tergat gravius pérlevis unda ſcelus?
Cur precibus fuſis non æquora vaſta ſacratis?
Obruet inſanum crimina, voſque fretum.

In conjugium, ſacramenti amenti nomine apud Pontificios inſignitum.

Conjugium ſacramenti quis nomine ſacrô
Signat? Romanus, nempe Cupido, Deus.

Ad jejunum ac pingue illud Pontificiorum adagium: omne liquidum non frangit jejunium.

Potus, & ebrietas ſi non jejunia ſolvunt:
His anſer, cælum quod mereatur, habet.

Homo doloſus, & ſuperbus.

Ut vulpes aſtum, volucris Junonia faſtum
Spirat; & ille tuus faſtus, & aſtus, homo, eſt.

In dormientes.

Infelix nil lucratur, quem ſomnus inertem
Occupat: & ſomnos hic ſua lucra vocat?

Mulieres, ut vites, vitandæ.

Eſt mulier vitis, ſapit utraque, dulcis amanti:
Utraque tacta nocet; luxuriare ſolet.

Sæpè viro vitio eſt mulier, cui noxia vitis:
Hic vir, hic eſt, quiſquis vitat utramque, ſapit,

Dos conjugii.

O mores hominum! Quamvis quoque fama laboret:
Nubitur; & nummi, probra pudenda tegunt.
Non vitium vitio eſt: dum dos ſit, nubere gaudent:
Dos matronalis, vita pudica, placet.

Duci vigilandum eſt.

Mars ſomnos neſcit: vigili ſtant bella magiſtro:
Turpe fuit totâ ſtertere nocte duci.

Amiſsô Duce, grex fugit.

Amiſsô grex Rege fugit, paſtoribus agni;
Miles, & amiſso Rege, vagantur apes.

Sponſa opulenta.

Nupta puella viro, ſi dos opulenta parentum eſt,
Ruſtica ſit quamvis, bos quoque pigra, placet.
Conveniunt igitur dos, & bos nominis, atque
Corporis, ut nubant, cum gravitate, ſui.

Pauper ubique tutus.

Saltabit nudus, præſente latrone, viator:
Nulla, miſer rerum, quæ bona perdat, habet.
Mercatorem aurum gravat, approperante latrone:
Plus auro pallet, dum timet ipſe, ſuô.

In vinô garrulitas.

Elinguem pateræ linguam fecêre loquentem:
Vina loqui, quamvis ſint quoque muta, docent.

Omnes morimur.

Forma perit ſenio, ſenio conſumitur ætas;
Sæpe ſed & primo flore juventa perit:
Sit roſeus, niveuſque puer qui floreat annis;
Eſto infans; omnes, ut roſa, nixque, cadunt.
Una via eſt lethi, facilisque; volaſque quieſcens;
Qui, dum ſtas, curris: nam fugit ipſa quies.
Vive diu, moriere diu: citò ſera ſenectus
Deteritur; puncto temporis illa ruit.

Nemo-

Nemo cogitur ad edendum, ad bibendum omnes.

Ut veſcare cibo, nemo compellit edentem,
Sæpius invitant, hoſpes ut ipſe bibas:
Vis cauſam? Dapibus congeſtis corpora torpent:
Affuſô fervent gaudia plena merô.

In adoleſcentes, vino deditos.

Affuſum vinum ſi non patiare, juventus;
Quî feret affuſam vita ſenilis aquam?

In Bibones, vino deditos.

Quiſquis vina bibit, muſcas imitatur, & haurit:
Fiſtula pro linguâ eſt; fugere muſca ſolet:
Vina bibunt homines, multô libamine vivunt:
Sunt muſcæ; refugit muſca vorare dapes.

In illiberales erga pauperes.

In loculis, inopum ſepelis, opulente, ſalutem;
Pauperis in tumulô vita ſepulta jacet.

In Pſittacum.

Cur magis humanam ſimulas, tu Pſittace, vocem?
Eſt carnoſa magis, lataque lingua tibi.
Non eſt humanæ linguæ ſimulantior ales:
Gaudeat ingeniô, tunc erit alter homo.

Vivitur ex raptô. Ovidius libro 1. *Metam.*

Raptor in orbe volat; graſſantur ubique luporum,
Corvorumque greges: pingue cadaver olent.
Sanguine luxuriant, & paupere carne graveſcunt
Carnivoræ tigres, ſanguineique lupi.
Ventre crepant gravidô; raptô diſrumpitur aurô.
Plena alvus; ſcelerum nec ſatianda ſitis.
Conveniunt, epulaſque ſtruunt de paupere cenſu:
Laſcivire, lacer dum ruit orbis, amant.
Exuviis pupillorum ſaturantur; hiantque
Depoſitas viduas dente vorare ſuo;
Horrea tota vorant, avidi patrimonia ſorbent;
Servandas patriæ, depopulantur opes.

Quære, age, nunc ubi ſint æraria publica? Dicent,
Qui magis anſeribus, ventre vomente, bibunt:
Forte rogas, ubi ſit ſudore pecunia parta?
Ruſticus ignoret, qui peregrinus erit:
Novimus hos Craſſos, Croeſos, pingueſque Lucullos,
Aurea qui regni viſcera ventre coquunt:
Quos noviſſe ſat eſt, & quos odiſſe decorum eſt:
Namque gerunt avidos ventre gravante lupos.
Impia gens regnat; gaudet, vivitque ruinis:
Et patriæ lacrymas, ſanguine læta, bibit.
Quid? quod adoretur gens imperioſa, triumphat
Perfidiâ, & felix impietate regit:
Simplicibuſque Deum, & quæ rident templa, relinquunt;
Et curas hominum, pars negat eſſe Deo.
Se ſolos regnare putant, ſe numina jactant:
Imperiô populos, fraude, metuque premunt.
Obloquitur nullus: quicumque obmurmurat; exſul
A tergô patriam reſpicit ipſe ſuam.
Si nutent Reges, populum quis ſtare, ruinis
In tantis regni, numine flente, putet?
Belgica, flos terræ; populorum, Belgica, cælum;
Florebas, Mundi prima corona tui;
Sceptra ubi, nervoſisque æquata potentia regnis?
Majeſtatis ubi eſt hoc diadema tuæ?
Dic, ubi ſunt aurumque tuum, gemmæque ſuperbæ?
Deſolata, opibus nuda, gemenſque ſedes.
Oſtentas vâcuas arcas, æraria nummis
Cuncta exhauſta ſuis; paupere pane cares.
Tune coronatas reginas inter, & urbes,
Barbaricis populis invidioſa, jaces?

Ah

Ah lacrymis confecta tuis, & ſordida luctu,
Squallentes velas, plena dolore, genas!
Quæris honoratos (rapuerunt omnia) cinctus;
Non radiat collo dulce monile tuo:
Mitra ubi, cum bullis, turrîta tiara, peplumque,
Et trabea, & multo palla adamante gravis?
Orba taces, gazis ſpoliata, exutaque cultu:
Heu, gaudes lacrymis, pulveribuſque tegi!
Spes ſuperat tenuis: nullo ſolamine gaudes:
Immorière tuis, mortua ſæpe, malis:
Nam tibi pace frui, bellô pejore, licebit:
Pax inimica, bonis pax aliena tuis!
Donec erunt tigres, tigres patriam ore vorabunt:
Ah, jaceant populo præda voranda ſuo!

In Giſlenum Perduin, Ieſuitam, me quærentem prodere, quem Dii perduint.

Perdere me profugum, Perduyne, & prodere certas:
Non tu de Pyrrhæ prodis; ſed ſemine Judæ.

Pſittacus omnis homo eſt.

Pſittacus omnis homo eſt: garritu peccat uterque;
Quem decuit memorem nominis eſſe ſui:
Pſittace, nomen habes, cui cauda ſilentia mandat;
Quæ monet, ut taceas, Pſittace, cauda; tace.

Ad invidum.

Iſte canis latrat; ſed nullum mordet hiatu:
Nil patrat; ore vias qui modò turbet, erit:
Impete latrantem morſu; mora nulla, latrator,
Dum latras, latebras, antra quieta petet.

Cardinales R. in conclavi, pugnis inter ſe certarunt, ut Pontificem ſummum eligerent, annô 1670. ut ad me Româ ſcripſit Jeſuita Manderſcheit.

Res ſacra, Pontifices, cæleſti voce creantur:
Extundunt pugni Pontificale caput:

Roma ſonat pugnis ; ſunt hæc oracula cæli :
Quiſquis es, has pugnas, Pontificeſque colas.

Sacra colenda dies, & Deus.

Sacra placent Superis : Superi pietate colantur,
Luce ſactâ : mandant hi ſua feſta coli :
Plebs hilaris vacet una Deo ; feſtiſque diebus,
Mente litet purâ, dum requieſcit ager :
Non benè farre litat mens impia, ſacra profanat ;
Sit procul à ſanctis impia turba focis.
Numen adorari precibus, ſanctôque receſſu
Mentis honoratæ gaudet odore coli.

Qui captat otia, aptat membra labori :

Danda quies feſſo ; ſunt otia amica labori :
Debilitat longus membra, virumque labor :
Bos oneri, tauruſque gravi ſuccumbit aratro :
Non arcum ſemper tendit Apollo ſuum :
Cura remittenda eſt ; aliquando curia clauſa
Lite vacat ; poſcit terra novale ſuum :
Res oneroſa, labor, qui tempore membra fatigat :
Res operoſa, quies, corpora feſſa levat :
Membra quies duris aſſueta laboribus aptat ;
Otia dum captat, tunc benè fervet opus.

Vita ſolitaria tuta, deliciis fluit.

Libera vita, carens vitiis, aſſuetaque priſcis,
Quæ procul urbe, colit rura relicta, placet :
Non ſilvas, monteſque furor, non crimina vulgi
Exagitant ; ſilvas ſpeſque metuſque fugit :
Non illic regnant, qui regna ſequuntur, honores ;
Non favor, & fragiles, quem comitantur, opes :
Pro ſtrepitu belli, ſolito turbare quietem,
Cantat avis, rivi murmure ripa ſonat.
Felix, cui licitum ruri conſumere vitam ;
Mens ſibi tota, metu tuta, Deoque vacat.

Offen-

Offensus Deus ture placatur.

Si quis fortè Deum delictô fecit iniquum,
Iratum mollit victima blanda Deum:
Victima taurorum cæleſtia numina placat,
Quæ purô gaudent turis honore coli:
Vidi ego commotum, cum fulmina mitteret ardens,
Fulmina, ture datô, frigida facta Dei.

Senex ſceleratus, & avarus.

In ſene, flagitium quodvis, de more ſeneſcit,
Omnis avarities, quæ juveneſcat, erit.

Senes ſunt mortis primitiæ.

Defluit ore color; fugiunt, cum dente, capilli;
Nec vigor in vultu, qui fuit antè, micat:
Stat tremulus, dubiuſque adrepit greſſus euntis:
Primitiæ mortis (nox venit) ite ſenes.

Senex amans.

Ardet amore ſenex; arridet fronto puellæ:
Ignibus ardentes incaluere nives.

Loqui audent juvenes, ſenes gaudent ſilere.

Plura loqui juvenes audent, petulantia cogit:
Pauca ſenes, gaudent utiliora loqui.

Prægravis ſarcina, ſenectus.

Terga voluptati vertit, quæ floruit ætas;
Adrepit tremulô pigra ſenecta gradu:
Sed comitata malis, non ſola venire ſenectus.
Suevit; onus quantum eſt, multa querela docet.

Similis ſimili gaudet.

Quos juvat ingenii, juvat & concordia morum;
Se gaudent ſtudiis conſociare pares:
Navita navarchum ſequitur, gaudentque colonis
Agricolæ, miles cum duce bella ciet:
Triſtis amat moeſtos; hilaris gens juncta jocoſis,
Dux piger ignavo; cum pare quiſque ſuô.

Deus,

Deus, mens eſt, homo divinæ mentis imago.

Forma Dei mens eſt, noſtra immortalis imago
Numinis: hæc igitur numine digna gerat:
Humanas habitat divina potentia mentes:
Quod reveretur, homo, quodque veretur, habet.

Omnia ſunt vana ſomnia.

Credule, fallaci te ludit imagine ſomnus,
Vis ſomno ſtultam conciliare fidem?
Dives, inopſque ſibi eſt, regem de paupere fingit:
Rex vigil hic, pauper, qui fuit antè, manet.

Spes præmii, ſolatium laboris.

Spes non vana fovet; quamvis ſit longa, colonum
Lenta laboratis ſemina credit agris:
Glutine ſpes volucres, ſpes fallit arundine piſces:
Spes facit, ut dubiis navita credat aquis:
Credula ſpes cæcô ſolatur carcere vinctum;
Spes ægros melius, quam medicina, juvat:
Dum canit, una meos recreat ſpes blanda labores;
Et fore cras melius, quæ mihi ſpondet, adeſt:
Spes, comitata fide, æternæ mihi certa ſalutis,
Ut carpam mentis gaudia, monſtrat iter.

Tempus edax rerum.

Omnia dat tempus, tempus rapit omnia ſecum;
Et curſu properans, itque, reditque ſuò:
Se fugit, & ſequitur; renovat, quos deſtruit, annos:
Ne pereant, menſes, qui periêre, parit:
Se reparat, perditque ſibi, ſecum omnia perdit;
Quod cum perdiderit cuncta, renata creat:
Hora volat, vocat hora diem, quem trudit in annos;
Quos augens minuit, dum vorat hora diem.

Pelle timores.

Ne timeas; multos in ſumma pericula miſit
Venturi trepidos nam timor ipſe mali:

Non patienda pati, hero m eſt : fortiſſimus heros
Pectore, vult promtus non patienda pati.

Eſt quædam flere Voluptas.

Frangit corda dolor; tamen eſt fleviſſe voluptas;
Quæ numquam reparat damna, dolenda putat:
Funera lugentur, nummi majore dolore;
Sed nummos recipit, funera nulla, dolor.
Qui dolor erumpit, lacrymiſque indulget amaris,
Blanditiis vinci mollis amoris amat.
Solaris fruſtra mulceſque dolore furentem :
Tempore ſe deplet, cui data frena, dolor.

Comes felicis, amicus.

Te comitentur opes, tunc te comitantur amici:
Sis miſer, & ſolus; fidus amicus ubi eſt?

Plures occidunt & tempore, & morte non ſuâ.

Pars quota mortalis fatorum tempore cedit?
Ante diem multi non ſua fata vident.
Sol oriens, multos felices ſurgere, geſtit;
Quos nimium miſeros, Sole cadente, vides.

Rarum eſt felix, idemque ſenex.

Donec eris felix, felicibus utere fatis :
Nulla, diu felix ſorte, ſenecta fuit.

Inter gladios, & aconita tyranni vivunt.

Vita tyrannorum eſt, inter gladioſque, metuſque
Vivere perpetuos : vina, venena, bibit:
Quos timet, hos terret; multiſque venena minatur,
Ipſa venena timens; nulla venena fugit :
Cædibus ut gaudet, ſic vivere cædibus ardet:
Qui gaudet ſeniô, nemo tyrannus erit.

Blandis ne fide puellis.

Nil fellis, multum ſed mellis ineſſe puellis,
O juvenis, reris; ſed citò captus eris.
Multa tibi ſpondet; ſed inania vota refundet:
Blandus fronte colus ſæpè, ſubeſtque dolus:

Quidlibet impendas ; ad Græcas illa Calendas.
Munera grata, feret ; nil nisi verba feret :
Dic dominæ laudes ; reddet tibi perfida fraudes :
Hoc juvenum foenus, lædit amore Venus.
Per molles mores, per amores mactat honores :
Quos rapit, excæcat ; quos capit illa, necat.
Fronte placet blandâ, cum forma videtur amanda :
Hircum turpis olet, perdere cuncta solet.

Verecundia, virtutum gloria.

Prima, pudor, virtus, virtus decet illa puellas ;
Quæ juvenes, etiam tingere docta senes :
Primitiæ morum, pietatis forma modestæ,
Pulchra columbinæ mentis imago nitet :
Virtutum lampas, speculumque decôris honesti,
Ore verecundo gemma pudica micat :
Virginitatis honos, juvenilis gratia formæ,
Rara pudicitiæ gloria, fama bonæ :
Quæ miniô faciem, ceu purpura viva, colorat :
Purpura, quæ trabeas ornat, honora genæ est :
Forma caduca rosæ est ; citò perdita gemma pudoris :
Heu, pudor extingui, ceu rosa, sæpè solet !

Prædo captus.

Præda vocat furem, lenonem comta puella :
Prædaque mox prædæ cedit uterque suæ.

Lucrosa vigilia.

Pervigilare juvat, juvat incubuisse labori :
Nam sua, somnus iners, qui lucra perdat, erit :
Fervet opus cantu : merces sperata labores
Suscitat : est dulcis, parta labore, quies.

Leones, & Lepores apertis oculis dormiunt.

Cur patulis lepores oculis dormire laborant ?
Nocte leo totâ pervigilare solet :
Venantes timet ille, molossorumque furorem ;
Pervigil hic lepores insidiator agit.

Inimicum vis ulciſci, rectè vive.

mina vindictâ gaudens, ſatiata triumphat:
Sic gallus, victor, quod ſibi plaudat, habet.
tenuat ſaturata ſuos vindicta dolores:
Heu, quam de causâ naſcitur ira levi!
apta tibi fama eſt? Ulciſci ſævior ardes?
Vive pius, recti cultor; & ultor eris.

Vis, inter partes litigantes, ratio ultima eſt.

on ſemper pax eſt; lis inter pugnat amicos:
Quæ dirimant litem, vis, furor, enſis erunt:
d ratione caret, regum ratio ultima bellum:
Reddetur ratio, judice Rege, Deo.
dit bella Deus, damnat bella, impia bella:
Vis aliena homini, quæ decet una feras.

Maritus labori, uxor rei domeſticæ curandæ Vacat.

t corpus validum ſic mens robuſta virilis;
Sed tenerô mulier corpore, mente pari:
ir magis aptatur lucroſo membra labori:
Uxori incumbit ſedula cura domus.

Atheus Deum negat, & laceſſit.

npia gens ipſi dicit convitia cælo:
Turba vocat vanos, & negat eſſe deos:
abula cantatur, ſine nomine numen, inanis;
Et linguis hominum vapulat ipſe Deus:
onſurgunt voces, auſæ irritare tonantem;
Singula, quæ perimant, verba venena vomunt.
rimina diſſimulat lentus, neque crimina ſentit;
Hôc, quod ſic patitur, ſe probat eſſe Deum.

Eliciunt lacrymas damna.

amna flet, & flentem ſenſim dolor acriùs urget;
Vix patiens damni, vix ſatis ipſe ſui eſt:
t quamvis lacrymis non ſit revocabile damnum;
Nulla dies, & nox nulla dolore vacat:
lere juvat; quamvis eſt triſtis flere voluptas:
Tempore decreſcit, digeriturque dolor.

Piger pingui otiô delectatur.

Otia lenta ſequor, ſomnô delector inerti;
Audio (nec moveor) ſegnis, inerſque manu:
Otia ſunt duro, qui frangit membra, labore,
Cum pingui ſomnô, commodiora mihi.
Corpora debilitat curis labor improbus, odi:
Deſidiam, molle eſt, ſegnitiemque ſequi.
Arguar ignavus: mihi non ignavia damno eſt;
Præmia lucroſæ commoditatis erunt.
Sæpè fatigatos ſoleo ridere; mihique
Plaudo; laboranti commoda multa precor.

Altius adſcendit deſcendens altius.

Alta petat, quicumque volet; ſublimibus alis,
Et Phaëtonteis, Icariiſque volet:
Impetus exitio eſt nimis acer; & ille volatus
Se levibus pennis perdidit, ille rotis.
Altius adſcendit, qui ſumma relinquit; & auget
Ma ima, qui ſpernit; ſufficienſque ſibi eſt.
Rex eſto, temſiſſe juvat quem culmen honoris;
Ille triumphali ſub pede regna terit:
Se ſibi qui ſubdit, vitiis ſervire recuſans,
Ille domi multum, quô dominetur, habet.

Audentes fortuna juvat.

Fortibus audendum: audentes fortuna juvabit;
Non timidos virtus, gloria nulla vehit:
Sollicitæ curæ valeant, procul ite timores:
Qui pavet, atque cavet ſe, ſibi ſæpè nocet:
Sed furor eſt, auſu nimiô, tentare volatum:
Altior eſt altæ lapſus ubique viæ.

Fortes creantur fortibus.

Ex aquilis aquilæ, fortes de fortibus orti;
Nobilior ſanguis degenerare cavet:
Gloria, fama patrum, ſanguis, decora alta, nep-
tes
Excitat, & virtus, nobilitaſque juvant:

Qu

uot generis ſocios, Socios tot honoris adoptant:
Ad decus invitat laudis, avita domus.
obilitas annis, animiſque, armiſque ſuperba,
Splendidior titulis fulget honora ſuis.

Vultus, animi index.

ifficile eſt mentem tacitô non prodere vultu;
Os animum loquitur, diſſimulatque nihil:
rons, oculique ſuæ mentis delicta fatentur;
Pandit & occultum vultus, & ora nefas:
erfida mens lateat, ſub amicâ fronte rebellis,
Erumpet vultu, teſte pudore, dolus:
rons, oculi, vultús, atque ora tacentia, pandunt
Mutatô mentis ſigna rubore ſuæ:
lens igitur ſine mente ſcelus, culpamque fatetur
Os totum ſignis, ore ſilente, ſuis.
ſt animi vultus judex, & apertior index:
Indicat indiciô, judiciôque probat:
ic vultus prodit vulnus, color emicat ore;
Et tacitus loquitur; quodque loquatur, habet.

Pœna comes culpæ eſt.

œna comes ſemper, quamvis it plumbea, culpæ;
Flagitium claudô vindicat illa pede.
Non impune nocens, culpæ mens conſcia, vivit;
Hæc ſibi tortor adeſt, quæ ſibi pœna ſua eſt.

Mentis libertas regnat ubique.

ibera mens regnat; non ſervit amoribus, iris
Imperat; illa ſibi, quod dominetur, habet:
ulla libido tenet, ſtipata Cupidine, vinctam:
Invidiam, & Veneres, ſpemque, metumque domat.
lentem habitat pietas, & quæ ſibi conſcia recti,
Alta quies: virtus, libera caſtra regit.
urea libertas, regnô pretioſior omni;
Exſul, in exſiliô patria regna tenet.

Se prodit amor.

Tectus amor, furor eſt, ſe prodere protinus ardet;
Indiciumque ſui, dum micat ore, facit:
Flamma latere diu neſcit maletecta medullis
Proſilit; iratô corda furore vorat:
Quacumque incedit, venas incendit, & oſſa:
Conceptus numquam diſſimulatur amor.

Beatæ ſolitudinis opes.

Dives amet ſilvas, pauper de divite fiet:
In ſilvis pauper, dives, ut optat, erit:
Nam ſine divitiis dives valet eſſe beatus;
His pauper careat mente, beatus erit.

Deus unus, verum bonum, cætera vana.

Hoc quodcumque bonum, decoris ſub imagine, ſplendet,
Umbra aliquid pulchri, quod citò tranſit, habet:
Gloria, nomen, opes, laudes, ſapientia, honores,
Hæc umbræ formam, ſed fugientis, habent.
Abripimur ſpecie, ſpecies nos ludit, & umbræ;
Et falli, formâ decipiente placet:
Omnia prætereunt: ſunt omnia ſomnia vana:
Et ludi, ſomnô prætereunte, juvat:
Quæris opes, ſolidumque bonum, quod ſæcula durent?
Hoc Deus eſt; mentem qui ſatiabit, erit.

Heu, quam vanis paſcimur umbris!

Paſcimur ut fucô, ſic fumô paſcimur omnes;
Nos magis aura levis, quam bona vera tenent:
Pro rebus, vanum nomen captamus, & auras;
Et juvat hæc, vanâ credulitate, ſequi.
Forma perit, nos fama capit, ſed fallit inanis;
Gloria, cum titulis, eſt peritura ſuis.
Omnia fac pereant, quæ ſunt, bona nata ruinæ;
Dilige virtutem, neſciet illa mori.
Quid petis? o mala vota! Homini non vana petenda:
Hæc bona falſa ſcias, quæ mala vera petis.

In medicos inexpertos.

omen habes Medici, Medici ſed nomen inane:
Sola nihil miſeros fama juvare poteſt:
rs juvat, ut valeant ægri, non fama medentis;
Illa mali cauſas, ſemina prava, necat.
ippocratem, loqueris populoque imponere gaudes;
Notus an Hippocrates, linguaque Græca tibi eſt;
eſcio quæ ſcribas, certè ſunt barbara ſigna;
His ægros ſignis convaluiſſe nego.
ſe laborantes & ſæpè reviſere gaudes;
Et facis afflictos membra jacere diu.
romittis, quam promis, opem, mercedis amore;
Afflicti tollis nam morientis opes.

Sua cuique laus contemnenda.

Non mihi laus tanti eſt, non famæ gloria: gaudet
Vir probus ad laudes erubuiſſe ſuas.
tulte, quid eſt plauſus populi, niſi gloria vocis:
Sufficit ipſe ſibi, qui benè fecit, honos.

Virtus ignaviæ inimica.

mmenſo ſpatio virtus, & inertia differt:
Hæc latet; at virtus, dum latet, una micat.

Virtus avita vana eſt, niſi noſtra accedat.

Quisquis amat ceras, & nomina laudis avitæ,
Laus aliena patrum eſt, nil niſi nomen habet:
i qua tamen laus eſt, proavorum Martia virtus,
Hoc eſt, majores quod meruere, decus.
Ah, valeat, titulos qui tantum jactat avitos!
Detrahit hæc generi gloria vana ſuo:
Martis honos, virtus, hæc nobilitatis imago eſt,
Et ſignum veræ nobilitatis honos.
Non parvo decori eſt atavorum bellica fama;
Ferre novos titulos, & meruiſſe, viri eſt.

Arte militia, militia diſcitur uſu:

Ars fera, militia eſt, quæ crebrô diſcitur uſu:
Ingenio pugnat miles, & arte pari:

Vincit & ingenio miles, qui vicerat arte:
Arte vel ingeniô dux valet esse suô.
Ars multum juvat, ingenium juvat arte magistrâ:
Artem usus multus conciliare solet.
Languet opus, longus quod non exercuit usus.
Ingeniô careas, tunc quoque languet opus.

Æger opem divinam implorat.

O Deus, affer opem: te posse, & velle juvare;
Omnia cum possis, quis neget? affer opem.
Si merui, per te vivam; tibi vivere nitar,
Exorare tuam si patiaris opem.

In Simiam se in speculô mirantem.

Viderat, & visam, speculi sub imagine, formam
Et stupet, & tractat simia læta suam:
Hanc amat, hanc optat, suspirat, & oscula miscet;
Arridetque sibi, quæ sibi visa loqui:
Se simulans, simulare docet, quæ fingere imago
Nescit; & interea fingere cuncta docet.
Nec simulat, simulata sibi se monstrat imago;
Sed similata sibi, se similare cupit.

Somnus, mortis frater.

Mortis amans somnus; somnô duce, regna subacta:
Ad mortem pandunt somnus, & ensis iter:
Mors animam tollit, quam somnus tollere novit;
Corpora mors, somnus sternere sæpè solet.
Omnia mors superat; mors omnibus hostibus hostis:
In cunctos hostes excubat ipse sopor.

Degenerat vitiosior ætas.

A veteri modò degenerat vitiosior ætas;
Aurea quæ fuerat, terrea semper erit.

Nec multis, sed nec nulli dicaris amicus.

Si multos numeres, multum patieris, amicos:
Si nullum numeres, omnibus hostis eris:
Unus, & hic fidus, candore notabilis esto:
Cui tutò fidas, unus amicus erit.

Ve

Volens nolente animô

Multi animô nolente volunt, qui cuncta, nihilque
Dum faciunt, ſapiunt, deſipiuntque ſibi.

Prava conſortia juvenes facilè corrumpunt.

Prima, minora mali ſi ſint contagia, gliſcunt:
Principiô fugias; proximitate nocent:
Incendit vicina domum ſcintilla; gregemque
Perdit ovis totum, cui ſcabioſa cutis:
Proxima corrumpunt ſocios, vitioſa vapore
Poma; nocet digitis vipera tacta tuis:
Non niſi clauda ſchola eſt, dum claudicat ipſe magiſter:
Filius à potô fit genitore Bibax:
Tempore pravus erit, qui vult convivere pravo:
Lippus erit, lippi qui ſenis ora videt:
Sus grunnire ſues, & aſellum rudere aſellus,
Et corvos corvi ſic crocitare docent.
Imbibit, & mores diſcit corrupta juventus:
Noxia quæ virus peſtis inhalet, erit.
Deteriora mali quiſquis libamina primùm
Guſtat, inardeſcit pernicioſa ſitis.
Peſſimus extemplô nemo eſt, vitiatur in horas,
Ducitur exemplô, proximitate perit.

Non cunctandum, ſed conandum.

Quidquid ago, totô connitor corpore, & inſto,
Et manibus, pedibuſque graves perferre labores;
Et velis, remiſque ad litora tendere curſu:
Nemo coronatur, qui lentus pinguia captat
Otia: conandum eſt: pugnantis adorea merces.

Feſtina ducere ſponſam.

Quid cunctaris Hymen? Numquam cunctantur amantes:
Duc ſponſam, quando ſaucia amore furit:
Tolle moras; lentos Amor impiger odit; & inde
Sunt cunctatori jurgia cuncta tori.

Percurioſæ mulieres nihil non norunt.

Femina, nare ſagax, ut Juppiter, omnia novit;

Quomodo Junonem hic quoque duxerit, illa docebit
Omnia quæ novit, nullarum conſcia rerum.

Feſtina lentè.

Serius abſolvit, citò qui properare laborat:
Feſtina lentè; quod mora currat, habet.

Degeneres filii ex gentroſis parentibus.

Se memorant aſini genitos meliore parente,
Bucephalo; ex milvo noctua nata patre eſt.
Peſſima conſuevit proles laudare parentes:
Degenerat ſoboles, nec patris ore canit.
Jam bellatrices aquilæ peperêre columbas;
Tigris ovem, partu degenerante, creat:
Temporis hoc vitium eſt: leporem genuere leones
Limacem gaudet progenerare lepus.
Scilicet ex grandi veniunt fragmenta coloſſo:
Noſtraque de lignô Græcia gignit equos.

Diligentia coronata.

Doctus Ariſtophanis, nocturni olet ille Cleanthis
Lampada; qui ſomnos, ut philomela, capit.
Abſque labore nihil; conando Pergama victa:
Victa quidem lentè Pergama; victa tamen.
Debita, ſegnities, operis tibi nulla corona:
Nocte laboranti laurea ſilva datur.

Laurus meriti digniſſima merces.

Magnanimas aquilas elegit fulmine dignas
Juppiter; & Juno pavone ſuperba triumphat:
Laurus honoratas animas æterna coronat:
Laurus enim floret, meriti digniſſima merces.

Miracula ex tripode Romanô hodie decantata, cras, ſcilicet ad calendas Græcas, credenda Thomiſtis.

Roma aperit fauces, quæ ſunt ſpiracula Ditis,
Hæc divina canit miracula, ſancta, tremenda,
Cras credenda; hodie decrevi credere nulla;
Pace tuâ hoc dico, licet indigneris, Jütta.

Ji

Jutta, Pontificiæ ſtirpis baſis.

Quis, cæcos inter, luſcum regnare negabit?
Sic Romana, viros inter, Dea regnat Jütta:
Regnet, io, felix, multos pariatque nepotes
Pontificum; ex hâc ſtirpe, novæ generentur Jüttæ,
Omnes Pontifices, magni omnes monſtra Draconis,
Sancti omnes patres, ſervorum intellige ſervos,
Qui dominabuntur terris, cæloque recepti
Sidereô, in caudâ gaudent habitare Draconis.

Ruſticus Vult dominus eſſe.

Ruſticus eſſe cupit dominus: ſervire pudori eſt:
Sic leporem cancer præcurrere, cochlea cervum;
Sic ſaltare ſues; teſtudo, elephaſque volare;
Flumina ſic ſurſum ire volunt, aquilæque natare:
Sic vacuum, & nudum pugnant ſpoliare latrones,
Cæde viatorem dirâ jugulare peremtum.
Ruſticus eſt ſceptrô tam dignus, quàm ſtupidus bos.

Fabricando fabri fiunt.

Perpetuus labor extundit, non otia, fabrum.
Exercetur ager, pariat qui meſſis honores:
Et labor exſudat nocturnus in arte magiſtrum.
Fingitur officiô ſervus: conſueſcit aratro
Taurus; & evadis, dum ſulcas, Taure, magiſter:
Nemo magiſter erit, niſi duro ſueta labori
Brachia componat: duro venale labore
Pingue magiſterium: emergit ſudore magiſter:
Nam quicumque faber vult eſſe, fabrilia tractet.
Non aſinum vidi, nec pigros eſſe magiſtros.

Aliis alia placent.

Diverſis diverſa placent. Non vivimus unô.
Contenti votô: quod volo, nolo bonum.
Velle ſuum cuique eſt: optamus, & odimus arma:
Nunc es amicus homo, cras inimicus eris:
Diſſimilis, ſimiliſque tibi: ſibi diſplicet idem,
Qui placet: eſt alius, qui ſuus eſſe fugit.

Respublica nihil ad musicum.

Altera res sceptrum, non convenit, altera plectrum:
Non asino cithara est, non lyra facta bovi:
Ruricolis sua caula placet, sua regibus aula:
Et lepus, & pugnæ cervus ineptus erit:
Stiva gravat regem, sceptra imperiosa colonum:
Fistula non pardo convenit, ensis ovi.
Hoc peragas, quodcumque tuum est; aliena requiris:
Dum tua non peragis, mens aliena, tua est.

Adulator est candoris adulter.

Blandus adulator, sancti candoris adulter,
Fingit amicitias: odit, amatque dolô:
Servit, & obsequiô gaudet minor esse superbô:
Blanditias domino, pérfidus ore, facit.

Arrogans ampullas loquitur.

Ille Jovis pullus, soboles turrita gigantum,
Ampullas gaudet, prodigus ore, loqui.
Quæ sine teste gerit, canit; & contingit Olympum:
Cymbala, grandisonô murmure, ubique sonant:
Grande supercilium, clypeumque attollit, & alas
Majores nidô; se super ipse volat.
Detonat, & nulli notos vomit ore triumphos:
Pygmæus populi est tantus in ore gigas.

Ebriol, genales Bacchi fraterculi.

Ebrioli curant leporinam ducere vitam:
Absque cibô saturi, plus elephante bibunt:
Ore vorant, de more vomunt; & amore Lyæi
Dum vivunt, morti pingue cadaver alunt.
Festivi fratres, ranarum more bibentes!
Musa sile; vexat crapula, tuque caput.

Convivia, & convitia non conveniunt.

In mensâ caveas humanæ rodere carnis
Ossa, canis; panis cum datur offa tibi:
Non benè convivæ, linguâ, convitia fundunt:
Nam geminô famam dente, famemque vorant.

Bona fortuna, & felicitas.

Vivo bonis avibus gallinæ filius albæ:
Diique, hominesque favent: à dextris advolat ales,
Augurium felix; salit & mihi dexter ocellus:
Bis sex, cum ludo, jacio: veho plaustra bonorum:
Sic felix vivo, delector, gaudeo, lætor.
O fortunatum, natum me sidere fausto!
Sum (corvi invideant) gallinæ filius albæ.

Ne tradas (Deus) animam turturis belluis feris. Psal. 84. v. 19.

Novimus ex caudâ vulpes, ex ungue leones,
Ex vultu Æthiopes, qui feritate lupi:
Turturis accipitres animam convellere certant:
Tuta Deus profugo facta caverna gregi.

Cedendum multitudini.

Si pugnare ardes, noli pugnare duobus;
Nec Regi pugnes, plebe furente, tuo:
Sis quamvis pugnax, caveas ne pluribus unus
Sis hostis: major vincere turba solet:
Non est dedecori, si cedas pluribus unus:
Tempore facta suo, non fuga laude caret.

Dum licet fugere, ne quære litem.

Dum licet, & fas est, litem fuge quærere; litis
Semina, cultori messis amara suo est:
Causidici rident, dum civica jurgia fervent;
Et gaudent ollas accumulare suas:
Interea scalpit mulctatas rusticus aures,
Et vacuis loculis, ad sua plaustra redit.

Musca est parasitus.

Musca culinarum unctarum circumvolat auceps;
Hospes edax epulas ambitiosus olet:
Musca petit mensas non invitata paratas;
Invito domino fercula lauta vorat:
Si tibi tam dapibus, quam nummis ferveat olla,
Fervet amicitiâ turba inimica suâ.

Paupertas éducat ſapientiam, fame magiſtrâ.

Hic animam debet, Codrô patre paupere natus,
Vivit, & huic, Hecale mater egena fuit:
Venatur menſas, ut Tantalus, optat inanes:
Nudior eſt Irô; venter inanis hiat:
Docta magiſtra fames, artes alit una; labore
Continuô menſas, & ſibi lucra parat.

Multi te oderint, ſi temetipſum diligas.

Sunt, ſine rivali, ſua qui furialiter, & ſe,
Contemtis ſociis, non patienter amant:
Cuique ſuum pulchrum eſt; ſi te dilexeris ipſum,
Et plures odiô te graviore prement.

Quem fortuna nigrum pinxit, hunc nulla ætas dealbabit.

Quem fortuna nigrum pinxit, niger ille manebit:
Æthiopis fruſtrà candida membra facis.

Calcar currentibus addis:

Calcar equis, dum ſponte volant, currentibus addis:
Nemo lupis avidis ſuadet, ut ore vorent.

Prodigus, plenâ manu, profundit patrimonia.

Prodigus effundit ſua patrimonia luxu,
Et vacuus curis ſacra Bacchanalia vivit:
Murmurat hinc venter, neque ventris murmura curat
Exhauſti; loculos, plena horrea, cuncta profundit:
Denique nudus, opum, cum paupere conjuge plorat;
Sobria menſa, focus nullus, domus indiga rerum eſt.
Interea bona majorum qui cuncta profudit,
Nunc ire in gemitus gaudet, lacrymaſque profundit.

Promiſſis dives quilibet eſſe poteſt.

Ex aurô montes te juras eſſe daturum:
Pollicitis Irus dives an eſſe poteſt?
Aurea mala mihi magnô promittis hiatu;
Vix ego, quæ præſtas, ferrea mala tuli:
Heſperidum facilè eſt, ſed cras, promittere mala;
Hæc bona malo hodie; cras mala mala dabis.

Hodie

Hodie nihil, cras omnia.

Qui nihil eſt hodie; cras idem eſt omnia; regnat:
Felices eſt nactus aves; aſiniſque relictis,
Ducit oves, gaudetque boves numerare, gregeſque:
Eſt hodie orator, fuerat qui nuper arator:
Et qui piſtor erat, jam paſtor dicitur eſſe:
Sic olitor, molitorque fuit, nunc conſul haberi
Gaudet, & hic Patres inter Capitolia ſcandit;
Quodque magis lætor, fiet cras denique prætor:
Sic cæcos inter luſcus videt omnia ſolus:
Sic inter lepores aſinus rex grandior ire,
Sic ceciniſſe aquilas inter quoque noctua gaudet.

Dulcia non meruit, qui non guſtavit amara:

Præmia ne miles ſperet, qui prælia neſcit:
Per ſpinas carpi vult roſa grata ſuas:
Pocula fellis amat, quæ libat, membra laborans;
Sanus eat, mellis pocula plena bibat:
Et ſi forſan apis tibi punxit aculeus artus,
Es, qui Cecropios promereare favos.

Dulce bellum inexpertis.

Martis inexpertis apparent dulcia bella,
Quæ ſunt militibus peſtis acerba ſuis:
Conjugium laudant, qui numquam nubere tentant;
Quale jugum eſt, conjux ſentiat, illa fugit:
Conſulis extollis, jactas prætoris honores;
Experto curas non placet altus honos.

Anus ſubſultans multum pulveris excitat.

Saltat anus; piger hic aſinus ſaltare videtur:
Dum ſubſultat anus, vim pulveris excitat illa,
Clamoreſque: leves ridet vulpecula ſaltus
Annoſa annoſæ: laudatque doloſa juvencam,
Quæ vitulatur amans: eſt viſa juventa ſenilis.

Mors pulchra rapit, deterrima tranſit.

Mors formoſa rapit, quæ deteriora relinquit:
Pulchra placent morti corpora, foeda fugit:

Vivit atrox vultur; corvus vivacior annos,
Et cornix numerant tardaque pensa trahunt:
Culta rosa est, rosa prima perit: juvenilia morti
Corpora prima cadunt victima; spirat anus.

Vinum non patitur rectorem.

Non patitur regem, quod perdit corpora, vinum;
Hoc, ut sæpè bibas, quod patietur, erit.
Naufragus in vinô natat ebrius; haustaque navis
In siccô: clavô mens rationis eget.

Malum geminare, pessimum est.

Ne morbis morbos, non ignes ignibus addas;
Et, pejore malô, ne medeare malum:
Nemo solet laqueô morituro occurrere furi;
Nemo malum geminat deteriore malô:
Lis sequitur litem, sequitur sua bella tumultus;
Extinguique oleô, qui rogus ardet, amat.

Malum arcessitum.

Ense suô, milesque suis se conficit armis:
Dum strepit, indiciô mus perit ipse suô.
Vapulat, & nervos sibi bos, sua flagra, ministrat:
Accipitres laqueô non periere suô?
Quis fovet in gremiô nocituram afflatibus Hydram?
Vincula procudit, quæ gerat, ipse faber:
Irrites ne crabrones, stimulesque leones:
Quæ fugis, arcessis, tu tua damna tibi.

Malum gravius, minore vitatô.

Incidit in flammas, fumum vitare laborans:
Evasit flammas, qui perit haustus aquis.

Cur Iulii Mazarini Cardinalis funeri crux prælata non fuerit?

Lignea crux, supplex quam Romæ Mundus adoret,
Funeribus gaudet, Roma, præire tuis,
Non, Mazarine, tuum crux est comitata cadaver:
Publica crux populi visus es esse tui.

Malitia inveterata retinetur

Non maculas pardus, non mentem ponere ſuevit:
Non animum, ac villos exuit ipſe lupus:
Et natura ſuos ſervat ſcelerata colores;
Tinctaque teſta, diu ſpirat, odore malô.

Vitulum modeſtus poſcas, & bovem obtinebis.

Pauca tenet, qui plura petit: pete pauca modeſtus;
Pro vitulô referes, prodiga dona, bovem.

Vulpes non capitur munere.

Munere non capitur vulpes; nimis illa doloſa eſt:
Cuncta ſolent corrumpere munera; moenia clauſa
Perrumpunt; pugnant hæc fortius omnibus armis:
Quis neget aſtutas, eſſe aurea munera, vulpes?

Munus ineptum.

Affundit ranis vinum, qui munus ineptum
Immeritis donat: noxia dona malis:
Dat canibus paleas, aſinis dura oſſa voranda;
Quam vellem dantem poſſe carere manu!

Ne invitis canibus veneris

Invitis canibus ſi quis venabitur, errat:
Nulla reluctanti præda, lepuſque venit:
Duc ad aratra boves, properantes ſponte: volentes
Penſa trahunt: peragit nemo, quod odit, opus.

Odi memorem compotorem.

Dum fervent epulæ, fervent dum pocula, multi
Multa vomunt; famam, carnea fercla, vorant:
Liberius, Bacchô convivia plena, loquuntur:
Convivæ Lethes pocula multa bibant:
Plura vomunt, qui multa bibunt, quæ dicere non eſt:
Non benè (ſic ſolitum eſt) ebria lingua canit.
Compotorem odi memorem: ne dicta refellas
Ebrioli: vinum ſæpè aliena canit.

Vir litigator, infixô aculeô, fugit.

Mordaces odi: convicia ruſtica fundunt:
Plauſtra vehunt; probris ſarcina plena gravat:

Crabroni ſuus eſt, qui pungat aculeus; illum
Figit; & ut læſit, quà data porta, fugit.

Æſtas non ſemper fuerit, componite nidos.

Ver ridens invitat, aves componite nidos:
Dum calet, incudem ferrea maſſa vocat:
Commoda ſæpè fugit furtim, quæ copia lucro
Opportuna venit; quam mora lenta fugat:
Utere temporibus, felicia tempora capta:
Apta pigris manibus labitur hora, volat.

Mitræ geſtamen, caput tali ſaſtus mulierum.

Jam cervice altâ graditur, mitràque puella
Conſpicienda, caput tollit ad aſtra ſuum:
Tangere jam cælos trabeata ſuperbia gaudet;
Sed turris Babylon præcipitanda ſolo eſt.

In arrogantiam mulierum, capita alta attollentium.

Magnificam attollit frontem, ſine fronte puella;
Et gaudet pedibus longius eſſe caput.
Pompa hominem ſuperat; de vertice pompa triumphat:
Quod minus eſt, ſordet: jam ſibi grande, caput.
Luxuriat faſtus, calcatque ſuperbia frontes;
Altius ut ſcandat vix ſibi culmen habet.
Ite procul comtæ, gens luxurioſa, puellæ:
Illa meretrices pompa ſuperba decet.

Sibi Virtus ipſa triumphus.

Prima petit virtus: animoſa pericula & enſes
Provocat, & caſus ridet, anhela pati:
Magnanimò graditur paſſu, quò ducit avita
Gloria: nobilitat ſanguis honoris iter:
Dimicat, & palmas per ſordida vulnera captat:
Cum moritur, neſcit vita cruenta mori:
Vivit, adhuc pugnax, mediis in mortibus, ira:
Ipſa ſibi fama eſt; orbe tacente, ſonat.

Vitæ brevitas.

Vita, quid eſt aliud, niſi ſomnus, mortis imago;
Si ſomnus brevis eſt tempore, vita brevis:

Obrepit

Obrepit ſenium, vitam prædatur, & annos:
Morti præda, homines, & nova pompa, ſumus:
Vive memor mortis; flos, vita breviſſima, floret;
Quam tempus, ſenium, mors cita falce metit.
Nemo tibi mortem rapiet: rapieris ad umbras:
Vive; ſed, invitus ne moriare, cave.

Natura humana in malum prona.

Nititur in vitium ſemper natura vetuſtum:
Mens ſua damna petit; quæ nocitura, placent:
Hæc ruit in vetitum, ſceleriſque libidine peccat:
Et vitium, virtus dicitur eſſe reis.

Quod non potes, fac velis.

Deficiunt vires, audacia promta peregit:
Non majora vales; incipe, velle ſat eſt.
Crimen habet facti, culpæ quoque ſola voluntas;
Dat pœnas culpæ mens rea; velle, ſcelus.
Eſt quoque grata Deo (deſint ſi facta) voluntas;
Placatur, ſolo corde volente, Deus.

Voluptatis comes, moeror.

Damna voluptatem turbant, & gaudia curæ:
Succedunt lætis triſtia, probra jocis:
Bella latent ſub pace, latent ſub melle venena:
Lætitiam feſti nænia ſueta ſequi.
Candida nulla diu ſors, aut ſincera voluptas;
Allicit hæc omnes: emta dolore gravat.
Summa voluptates eſt contemſiſſe voluptas:
Incurrit morbos, damna pudenda parit.
Hei mihi, quam brevis eſt, quæ durat nocte voluptas!
Mollis dat mellis pocula, blanda malô.

Uſus te plura docebit.

Arte laborandum eſt: experto crede Ruperto:
Dexteritas uſus multa docere ſolet:
Qui facit artifices, artes alit uſus; & uſu
Æra nitent: ſilicem ſtilla caduca cavat.

Opti-

Optimus eſt operis creber (fac noſſe) magiſter,
Uſus; & hic leges, qui ſuperabit, erit.

Utilitas lucri ſpectanda.

Præmia ſpectantur: gratis jam nemo laborat:
Utilitas lucrum, quod ſibi quærat, amat.
Utile, ſpes fructûs, & merces allicit omnes:
Præmia ſi deſunt, tum labor odit opus:
Utilius nihil eſt, quàm quærere, parta tueri:
Nam minuit, qui non ſedulus auget opes.

Navarchus in tempeſtate.

Nauta ſtudet fluctus precibus placare furentes:
Unda, preces nautæ, velaque, ſurda vorat.

In juvenem effrenem.

Nil juvenem terret; qui, quò volat impetus, audax
Proruit; oblitus qui patris, ipſe ſui eſt:
Quid moneant cauti, cautos nil curat amicos;
Ut pereat, laxat frena libidinibus.

Mors non corrumpitur auro.

Falleris, o dives, mortem corrumpere nummis;
Dulce ſonant ſurdæ; non minus inde tonat.
Quàm ſpes vana, ſuis (nil proſunt) fidere nummis!
Nil auro pejus ferreus orbis habet:
Ex auro, ſi quas pateris, fluxere ruinæ:
An pretioſa, minus ſæva, ruina tui eſt?
Ferrea mors aurum, pulſu reſonante, flagellat:
Dives ad incûdem, morte furente, jacet:
Illa caſas, regumque domos confundit, & orbem;
Et ſecum vermes, agmina dira, trahit:
Arrodunt ſegnes opulenta cadavera vermes:
Mors ipſos vermes, pabula foeda, vorat.

Semper mutantur amantes.

Diſſimiles, ſimileſque ſibi, ſunt ſemper amantes:
Quiſquis amat, varius diſſidet ipſe ſibi:
Quod petit, hoc horret; ſperat, timet; odit, amatque;
Et dolet, & gaudet; quærit, idemque fugit:

Æſtuat,

Æſtuat, & friget; cupit, ardet, captat, & aufert;
Quam tenet, hanc Venerem temnit; amare piget:
Quam jactat blandam, torvam putat eſſe puellam:
Quamque hodie ſpernit, cras magis optat amans.
Quis non amentem ridet, quem laudat, amantem?
Cum ſapit, inſanit. Dulce, Cupido, malum eſt.

Fortunæne fide ſecundæ.

Proſpera ſucceſſu properat fortuna ſecundo;
Sæpè ſed exitio proſpera dona dedit.
Nulla fides ſorti: nota eſt fallacia ſortis:
Munera dum cumulat, tunc tibi damna parat.
Cum favet, exſiliô, quos donat, mutat honores:
Heu, nimis inconſtans nutat in orbe ſuo!
Inſtabilem levitas verſat: mutatur in horas:
Mobilitas omnes ſub levitate gravat.

Non ferrô Mundus ſed perditur aurô.

Ferrea fulmineô quatit ictu machina muros:
Aurum ſed ferrô pejus, & hoſte nocet.
Militat, & pugnat, quod moenia ſubruit, aurum:
Falleris, à ferrô moenia pauca ruunt.
Ferrea (tolle aurum) non urbibus ira nocebit:
Ferrea de ferrô ſæcula nata ferô.
Aurum homines, urbes, orbemque, atque omnia perdit:
Aurea (tolle aurum) ſæcula pacis erunt.
Aureus omnis homo fiet, ſi tollitur aurum (
Namque metalla nocent) aureus orbis erit.
Non ferrô Mundus, Mundus ſed perditur aurô:
Quô vivunt aurô cuncta, perire vides.

Itur, qua itur, non quò eundum eſt.

Non iter eſt tutum, quô paſſim pluribus itur:
Fertur in exitium vulgus, amatque ſuum:
Deteriora vident, qui deteriora ſequuntur:
Ducitur exemplô turba, juvatque ſequi;
Et meliora vocant mala blanda, libidinis æſtu:
Dulce perire juvat: nam leve, dulce malum eſt.

Pau-

Pauci tuta petunt, paucis meliora probantur:
Heu, favet exitio neſcia turba ſuo!

Non labor eſt, virtuti vivere.

Vivere dum neſcit; perdit pars maxima vitam:
Ars vitæ melior, vivere poſſe, docet.
Vivitur incertô: quid ſit, pars neſcit, agendum:
Et ſine conſilio, perdita turba ruunt
Non ſibi mens conſtat: mentem nam tædia frangunt;
Et labor exiguus; quam leve frangit onus;
Non onus eſt virtus; virtutis ſarcina parva eſt;
Hæc mentem firmat, quæ leve reddit onus.

Stant omnia culta labore.

Vita, bonum miſerum, ſudore laboris alenda;
Otia ſi captet, tædia multa ſubit.
Dum patiens corpus, virtus operoſa laborat:
Præmia perpetuô parta labore legit:
Nam labor extundit, ſata cum ſunt ſemina, fructum:
Si juvat arva labor, luxuriabit humus:
In manibus labor eſt noſtris, ſunt lucra repoſta:
Stat manibus cultum quidquid ubique nitet:
Semina dextra ſerit, merit aurea, dextera, lucra:
Sic triſti merces læta labore venit.

Rebus in adverſis ſperandum.

Non lacrymæ caſum relevant, quas fundis, inanes:
Non miſeris planctus caſibus addit opem:
Naufraga ſi res eſt, ne ſpes ſit naufraga mentis:
Nec tibi, ſit quamvis jam malè, ſemper erit:
Deplorata licet ſpes, & præcluſa putetur,
Omnibus amiſſis, ſpem malè ponis iners:
Non animos fortuna tibi, quæ cætera, tollit:
Quæ patitur, vinci ſpes, mala poſſe, putat.
Omnia cum pereunt, tibi ſtet ſpes, ancora firma:
Spes pontum, & portum tuta ſubire poteſt.

Pru-

Prudens timet omnia tuta.

Te moneat, moveatque, alios qui decipit, error:
Ex aliis prudens nam ſua damna cavet.
Nulla ſatis, quamvis fiducia maxima, cauta eſt:
Omnia ſint cauto tuta, timere ſolet:
Naufragus horret aquas, deceptus retia cervus:
Vitat avis laqueos, & fugit agna lupum:
Utilior timor eſt; ne ſit diſcrimine major:
Res mala, ſerò nimis velle cavere malum.

Dulce malum, Venus eſt.

Dulce malum, Venus eſt; trahit illecebroſa; ſuâque
Perditior gaudet proditione capi.

Malum Mundo neceſſarium, femina.

Ridendo nocet hæc, docet hæc peccare videndo
Femina blanda, bonum; ſed magis ipſa, malum.

Amor non eſt medicabilis herbis:

Eſt, dilectus Amor, morbus; non tollitur herbis:
Mollitur verbis; mollia verba juvant.

Conjugium aureum.

Eligitur conjux, quæ poſſidet aurea nummos:
Dos oneroſa toro, non operoſa viro eſt.

In invidum.

Magnorum livor, vulnus fatale, virorum eſt:
Invidet hic; riſi; riſibus ille dolet:
Livor edax virus, virus ſolemne virorum;
Quos odit, rodit; ſed ſibi dente nocet.

Leida, obſeſſa ab hoſte, & fame.

Leida fame periit; ſed Iberum victa triumphat:
Nam petiit famam, vincere docta famem:
Sic quoque Troia perit; ſed non peritura Maroni;
In vitam melius nam recidiva redit.

In Jeſuitas.

Loiolita ſapit, felix rapit omnia latro,
Et populos vafrâ relligione capit.

In

In molles ſenes.

Qui frigêre ſenes ſegnes, ardêre videntur:
Inflammat glacies, nix calet, ardet hiems.

In hydropicum extinctum.

Humanum cui vita fuit mare, fluctibus hauſtus
Occidit humanis, quos ſibi fecit homo:
Pontus erat venter; portu caret ille ſalutis;
Qui procul eſt ab aquis, mergitur inter aquas.

Ludentes morimur.

Vivimus annorum ſerie, neque vivimus annis;
Ludimus; & vitæ ludicra meta, mori eſt.

Ludibunda res homo eſt, ſemper repueraſcit.

Naſcimur, & ludô pueri oblectamur inani:
Et ſemper pueri, virque ſenexque ſumus.

Vita, rudimentum eſt.

Molle rudimentum vitæ pars maxima noſtræ eſt;
Volvimus & cunas, docta Minerva, tuas.
Infanteſque, ſeneſque ſumus, puerique ſeniles:
Ludicra, cum ludô perdita, vita fluit.

In puerum egregium, præmaturô fatô extinctum.

Mente ſenex, ætate puer, virtute virili,
Ille diem clauſit, mortuus ante diem.

In ſtrabonem.

Te rogo per dextramque tuam, lævamque ſororem,
Rectè eat ut viſus, claudicat ille, tuus.

Adamas contuſus ſummum venenum.

Dat tenebris adamas vitam, lucemque propinat;
Segmina contuſi corpora noſtra necant.

In podagroſum.

Cur podagrâ, chiragràque, bibax, Bacchôque laboras?
Sæpè nimis caveas pes peragrare ſolet.

Balbus in Balbum.

Balbe, tibi loloquela fluit, præcurrere ſueta;
Hæret, & in medio vox momoleſta ſonô eſt:

Ute-

Utere cautelâ (proproderit) utere noſtrâ:
Ne loloquare, cave: te tatacêre decet.

Reſponſio Balbi ad Balbum.

Verba probababam, ſermomoneſque referre;
Sed mihi præpropera eſt vox, ſiſilêre vetat.

In bibacem.

A caveis caveas; Bacchus tibi vina propinat;
Si faveat, paveas: Bacchica tigris eris.

In Pompeium magnum, herôem Romanum.

Pompeium magnum Mundo dum ſæcula fundunt,
Sudarunt partu ſæcula longa gravi:
Debuit eniti te Roma diutius alma,
Ut te, Pompei maxime, Roma daret:
Impleturus eras majori numine nomen:
Sat citò ſerus ades, qui benè ſerus ades.

Ceſſit cîvibus Cæſar cæſus.

Ille giganteâ virtute ſuperbior heros,
Et fato major, culmen honoris adit:
Aſtræâ dominante, petit Capitolia, & orbi
Imperat, & ſolô vult minor eſſe Jove:
Sed fulmen ſenſit, percuſſus cæde tyrannus;
Nec tuta à diro fulmine laurus erat.

Laus herois inclyti.

Fama audax, cantare tuas temeraria laudes
Ardet; & in titulos laus favet ire tuos:
Te ſuperas, famamque tuam, & miracula laudis:
Te nemo aſſequitur: non imitandus eris.

Laus mitis, & fortis militis.

Pace agnus, virtute leo; ſed amandus utrâque:
Fallor, non duo ſunt: unus es, agne, leo.

In conſiliarium.

Conſuluêre tuas oracula publica voces;
Territa ſunt Suadâ, mutaque facta tuâ.

Eſto beneficus, & ama neſciri.

Vis benè de cunctis, ut ne laudere, mereri;
Qui meritis loqueris, me tacuiſſe jubes:

Vis ignorari; mens ut ſit grata, recuſas;
Et Charites ſteriles expetis eſſe meas.
Muta quidem probro, ſed mutua gratia laudi eſt:
Tu ſis munificus, non male gratus ego:
Te (quod amas) nomenque tuum, meritumque tacebo:
Cor tacitum clamat; quodque rependat, habet.

Adſcendit, ut ruat, ſuperbia.

Imperioſa gradum, culmenque ſuperbia ſcandit;
Aſtra petit, faſtu prima, ſecunda, Styga:
Ad ſummos graditur, quò gloria ſurgit, honores:
Volvitur, & caſu flebiliore ruit.

In Patrem Peters, Jeſuitam.

Dictus erat Simon Cephas, dum fallere piſces
Curabat; gaudes nomine, Petre, novo:
Acephaluſque Pater Petri, qui regna Britanna
Fallere doctus, eras, Petre, Petrullus eris.

In equum.

Mandit equus foenum impatiens, ſua frena remordet:
Servitium, fruſtrà quòd fugit, ore vorat.

Æra templorum ſonitura ab Epiſcopis baptiſantur.

Pontifices, ne mutè ſonent, luſtralibus undis,
Et precibus fuſis, æra ſacrare ſolent:
Æra metalliferâ miracula voce loquuntur:
Hinc ſacra Pontifices æra, ſonumque vocant:
Fulmina rara volent, hæc æra ſonantia pellunt:
Dum ſonat hoc tonitru, Roma profana tonat.

Sacerdotes Pontificii in Miſſâ ter calicem exhauriunt.

Ter calicem, cum ſacra facit Romana, ſacerdos
Haurit; & ebriolus tres vorat ore deos:
Prima ſalus Baccho; tibi, blande Cupido, ſecunda;
Mercurio furi tertia ſacra ſalus.

In flabellum puellare.

Ut muſcas pellat, leviora flabella puella
Ventilat: has muſcas quis neget eſſe procos?

Roma

Roma lemures, & magias, quas fingit, timet.

Roma timet lemures, infeſtaturque magia;
Vana ſed umbrarum ſomnia Roma timet.

Cur cymbala ſonent ſub elevatione (ut dicitur) hoſtiæ in Miſſâ.

Impia ſacrifici peragunt dum ſacra; miniſter
Sub niveâ pulſat cymbala ſancta togâ;
Attollitque togam; populoſque invitat, & orat,
Ut natibus libent oſcula pura ſacris.

Ad illud Pontificiorum: Crucem tuam adoramus.

Ecce crucis lignum: procul hinc, procul ite, profani:
Romanus, flexo poplite, ligna colat:
Numen adoratur; de lignô numina fiunt;
Jam Deus eſt panis, ligna, quod eſſe voles.
Oſcula ſimplicitas ſtupido fert frigida ligno:
Siqua fides, multùm hic, gens quod adoret, habet.

Sacerdos, nocte natalitiorum tria ſacra celebrat.

Tertia nocte unâ celebrat cur ſacra ſacerdos?
Cur calicem novies evacuare juvat?
Imbibit ille novem Muſas, totidemque Meduſas,
Sacra tribus furiis dum tria nocte facit.

In Jeſuitas.

Gens inviſa Deo, ſignataque nomine magni
Numinis, audit ovis, quæ vomit ore lupos.
Ars Patrum eſt, ſpoliare orbem, placuiſſe tyrannis;
Nil dare, deliciis vivere, ficta loqui.

Jeſuitæ defectus fraternos Superiori prodere coguntur.

Cogeris errores alienos prodere, frater?
Ah, Judæ frater, teque Deumque necas!

Patres à confeſſionibus.

Siqua fides, Patres abſolvunt crimine ſontem:
Criminibus Patres, corde tegente, ſcatent.

Templa Jeſuitarum marmorea, ornatus templi argenteus.

Argentum eſt templi cultus, de marmore templum;
Ferreus at Pater eſt, ſaxea corda gerit.

Omnes penè Jeſuitæ tabacum ore ſuò ruminant.

Loiolæ folium grex ardet mandere ſiccum:
Virginibus, ſcortis, nec gravis oris odor.
Approperas hoc ore, vorax & foetide, ad aras;
Et mandis domini corpora ficta tui:
Tu fictum maculas non fictò numen odore:
Quis colet hunc panem? Stercore pejus olet.

Pulſa redire ſolet natura.

Pulſa redire ſolet natura: expelle columbam,
Ad nidum ſolitum, fuſte fugata, volat:
Pronior ad mores natura recurrere gaudet:
Si ferulâ pellas, mox reditura ſibi eſt.

Agnus, manſuetudinis imago.

Agnus amat pacem, furias mitiſſimus agnus
Odit, & ignorat prælia, felle caret:
Eſt lupus agnorum, mordaci dente, tyrannus;
Devorat ore agnos; ille tyrannus homo eſt.

Mores inoliti ægrè dimittuntur.

Olla tenens pravos, ægrè dimittit, odores:
Servat homo mores, germina prava, ſuos.

Magiſter Pſittaci eſt venter.

Pſittacus humanas ſequitur, voceſque negatas;
Qui docuit venter verba, magiſter erat.

Quæ vera nobilitas.

Qui jactas atavos, memoras aliena: triumphas,
Si famam extundas nobilitate tuam

Numeri numeris, & ponderibus addita pondera pluris æſtimanda.

Sunt numerò penſanda, minus quæ pondere conſtant:
Nam majus pondus, plura minora valent:
Sic uni numero plures ſuperaddito nullos,
O, nihil; I, numerus, junge, dat innumeros.

Omnia nocte latent, & quieſcunt.

Purpura nocte latet; perdit formoſa colorem
Gemma ſuum; & quidquid nobile, nocte latet:

For-

Forma die ſplendet: maculas texêre tenebræ:
Turpia nox tenebris cuncta, venuſta facit.
Nox cæca eſt, hominis feſſi nox apta quieti:
Sola ſuum curſum ſtella tenere ſolet.

In luctatorem.

Sæpè fatigato eſt incommoda lucta palæſtræ;
Sed luctatori commoda lucta tori.

Roma vetus, & nova.

Roma vetus floret; quis præſens numen adorat?
Dici ceſſat ovans, numina Roma novans.

Oratio mitis frangit iram.

Dura preces molles irati pectora vincunt:
Blanditiis flecti, quæ furit, ira ſolet:
Sed (res mira) preces odit dira ira tyranni:
In furias agitur, dum lyra dulce canit.

Odioſus amor Mundi.

Vivere dulce Deo: Mundo qui vivit, amarè
Vivit; & hunc odit quisquis amare, ſapit.

In puellam comtam.

Non ſpecioſa, ſuâ formâ contenta puella eſt:
Illa peregrinâ dote nitere cupit:
Seque, decuſque ſuum, gemmis, adamante, lapillis,
Perdit; & ornatu ſaxea tota ſuô eſt.

In puellam comtam.

Comta puella venit: peperitne monile puellam?
Quas gemmas (non eſt iſta puella) vides.

Vigilantia, & otium

Oppida, foeta viris, vigilantia ſedula ſervat;
Otia, quæ perdunt, ſomnus, & alta quies.

In hominem frugalis Vitæ.

Qui vit frugi, minimô contentus, opimis
Divitias, quamvis nil habet, ille tenet.

Quod fuit durum pati, meminiſſe dulce eſt.

Nauta procelloſi memorare pericula ponti,
Cùm ſedet in portu navis onuſta, cupit:

Qui graviora tulit, meminiſſe per otia caſus
Dulce ſuos gaudet; nec meminiſſe nocet.

Sors ſua cuique ferenda.

Æquô animô perfer (ſors eſt tua) damna ferenda:
Quos pateris caſus, ne patiare, feras.
Poſſe pati in promptu eſt, fac velle; virumque ferendo
Te, mala qui toleras, non toleranda, probas.

Cui dulcis patria, amara eſt peregrinatio.

Tecta viator amat ſibi nota: ſit hoſpes in orbe,
Suſpirat patrios exſul, amatque lares.
Ardet amor, juvenemque urget peregrina vidêre:
Mox diſſuadet iter, qui citò ſuaſit, amor:
Sed juvat ignotas urbes, & viſere gentes:
Dum procul ire juvat, mente redire parat.
Scilicet eſt aliquid, juvenem ſola barbara noſſe,
Et, vidi, juvenem dicere poſſe, juvat.
Patria, dulce ſolum; natales, patria, cunæ,
Et fumus patrii, gaudia nota, foci,
Allicit aſſuetum: leviter quem barbara tangit
Terra; nihil dignum, quod videatur, habet.
Vix aliena ſubit, quin mox aliena relinquat
Tecta; nihil fixi, quo teneatur, adit.
Dum populum, & populi mores, atque oppida luſtrat,
Reſpicit, & patriæ ſit memor ille ſuæ:
Quem nil delectat; malè patria tecta reliquit;
Optat & ad patrem poſſe redire ſuum:
Ad conſanguineos hoſpes peregrinus anhelat:
In patria eſt dulcis (quid juvat ire?) quies.

Par Columbarum, Conjugum imago.

Utraque conjugiô felici juncta columba,
Femina, maſque, domus tota, toruſque fuit:
Non illic pugnæ, non illic jurgia fervent:
Regnat amor, pietas mutua, juncta fides:
Si reſonent gemitus, gemitus decuêre columbas:
Connubialis homo crimina ſæpe gemat.

In Milites.

Militibus, patriæ qui moenia Marte tuentur:
Nulla fides, pietas nulla, nec ullus amor:
Graſſantur, patriam perdunt, vivuntque ruinis:
Quà miles graditur, ſueta rapina ſequi.

Principis clementia.

Principis hæc virtus, miſeris concedere tutum
Civibus hoſpitium, ſupplicibuſque lares.

Gaudet patientia duris.

Damna fero, lætor; mea ſunt, mea gaudia luctus;
Dura pati, requies; poena cupita, dolor:
Munera, ſupplicium; crux, præmia; probra, triumphus;
Solamen, lacrymæ; vita beata, mori.

Inculpatus peccantem arguat.

Vis ſontem damnare nocens, alienaque carpis
Crimina, dum peccas, diſſimulaſque tuum:
At memor ipſe tuæ culpæ, dum corripis, eſto:
Nam malè peccantes arguit ipſe reus.

Peccator delicti gratiam à Deo poſcit.

Culpa meum commiſſa gravat, me teſte, pudorem:
Hei mihi, peccavi, ſum reus: eſſe piget:
Poenitet, hoc proſit: lacrymis mea culpa pianda eſt:
Parce, Deus: vitæ, gratia, cauſa meæ eſt:
Depoſitæ divina favet clementia culpæ:
Nulla reo, lacrymis nulla repulſa venit:
Poeniteat: Deus eſt facilis, veniæque paratus;
Et facilis, ſcelerum poenituiſſe, labor.

Homo, pulvis.

Pulvis ero, cinerique levi mea Muſa laborat:
Vana poëtarum gloria: pulvis ero.
Quid juvat urna ſuam, quamvis pretioſior, umbram?
Vivere, magnificum eſt eſſe; fuiſſe, nihil.

Mora, bonorum, & malorum cauſa.

Res dilata nocet, mora ſæpè pericula gignit;
Sed mora ſæpè, malo quæ medeatur, eris:

Multa, morâ lædunt; ſed plurima ſæpè morando,
Quæ nocuêre, juvant: ſic mala cauſa, bona eſt.
Flamma, morâ, gliſcit: mora longior, excoquit uvam:
Odit, amatque ſimul miles, amorque moras.

In ſolitudine ſolidum ſolatium.

Aura favet, juvat ire, placent loca ſola, ferorque
Sole orbum, plenum fronde, videre nemus:
Exſpatior, venerorque ſilentia ſacra Dianæ:
Multa mihi loquitur ſilva, loquuntur aves:
Pax habitat ſilvas, ſilvis ſcelus exſulat: illic
Tranquillæ pacis gaudia lætus ago.
Otia ſiqua putes, operoſa negotia iunto:
Hic tacitus ſedeo; ſed mihi plura loquor.
Quanta piæ menti ſolatia ſilva miniſtrat;
Hæc, quæ guſtavit munera, noſſe poteſt:
Hic ſaliunt fontes, ſecretaque gaudia vivunt:
Aula nihil læti, quô recreemur, habet.
Curia lite ſonat; gens turbida, cura, valete:
Vita beata, tenent quam loca ſola, juvat.

Omnibus moriendum eſt.

Vive memor mortis, moriatur vita ſaluti:
Non mala mors illi, qui bene vivet, erit.
Una via eſt, nox una manet, fuga nulla, cadendum eſt:
Serius, aut citius mors ſua quemque manet,
Parcite, mortalis gens, irridêre ſepultos:
Mortua gens præiit; quique ſequentur, erunt.

Ubique pericula, quis effugiet?

Æquora plena ſuis, humanaque vita procellis:
Noxia ſunt ſcopulis æquora, vita ſuis:
In vitâ invitus diſcrimina navita (vita)
Incurrit, ſed homo crimina; uterque perit.

Omnia mutantur; ſed Deus non commovetur.

Res, & tempús eunt; mutantur & omnia motu;
Sed Deus eſt ſtabilis, cuncta movetque Deus.

In

In matronam pudicam.

De quâ matronâ mentiri fama perhorret,
Laude pudicitiæ, prima placere poteſt.

Divites honori ſunt, docti probro, & ludibrio.

Sit dives, ſtupidus; cunctis placuiſſe meretur;
Eſto doctus, egens, ſpretus ubique jacet.

Magnificum viri magnifici Beneficium.

Muneribus pretium donat manus aurea dantis:
Gratia ſe perdit, ſi modò parca datur.

Natura parvô contenta.

Exiguum natura petit, contentaque puro
Fonte bibit; præbet pabula veſca, Ceres.
Regna vorant Reges; nec adhuc ſaturata libido,
Creſcit hians; perdit regnaque, ſeque ſitis.

Hæc via, quâ vadis, via peſſima, plenaque cladis.

Quis furor ire viâ, quâ felix nemo cucurrit?
Et paucis tritâ tendere velle rotâ?
Blanda via eſt ſpecie, via commoda prima volanti:
Ducit in exitium; cæca, ſuprema via eſt.

Quiſquis amas Mundum, tibi proſpice, quo ſit eundum.

Quiſquis iter ſignat, ne tramite devius erret,
Is poterit tutâ, quâ volet, ire viâ:
Proſpicit is caſus, per aperta pericula tendens;
Et, male quô curſu gens ruit, ire cavet:
Devia, turba petit, rapiente libidine mentes:
Sunt, quos ambitio, quæ levis umbra, tenet:
Abripit hos levitas animi, mendaxque voluptas;
Per ſcelus aggeſtas auget avarus opes:
Omnes à curſu, gens cæca, ſalutis aberrant:
Blandum neſcio quid, quô placet, error habet.
Hoc lege tutus iter, quô non errabis, eundum eſt:
Una tui curſus meta ſuprema, ſalus:
Mille homines inter, vix hanc milleſimus unus
Æſtimat: hunc portum qui tenet, unus erit.

Patientia cŏronata.

Multa, diuque tuli; fuit & mihi triſte, tuliſſe
Tot mala, quæ patior: multa tuliſſe juvat:
Quam meruit, retulit patientia laſſa, coronam:
Excipiunt luctum gaudia, plena Deô.

Reges non ſunt Reges.

Scilicet eſt aliquid, clarô de ſtemmate naſci,
Regia nanciſci ſceptra, gerenda manu;
Et titulis gaudêre, ſuperbaque regna parare:
Nomina magna quidem; ſed bona vana tenent:
Cura, metus, livor, plus gemmis, ſceptra coronant
Sors tua, plebs humilis, regia; ſceptra geris.

Rex ſui, verè Rex eſt.

Erubuiſſe nefas, humiles de plebe parentes
Eſſe tibi; natô, paupere matre, Deô.
Reſpice te, tituloſque tuos; tua regia ſors eſt:
Te rege, tunc primô rex potes eſſe locô.
Non pudor eſt humilem, ſed regem velle videri:
Rex nullô, magnô nomine pauper ovat.
Fortunæ eſt, regem naſci; virtute coronam
Nanciſci, heroum eſt: ſed latuiſſe decet.

Animum ſpecta, non munera dantis.

In pretio eſt animus, non aurea munera dantis;
Ruſtica ſimplicitas aurea dona facit.

Votum mortis.

Quiſquis amat, vivat; mihi non eſt vivere tanti:
Si moriar, paucis triſte cadaver ero:
Vita, quid eſt aliud, niſi plena labore voluptas?
Mors, requies, ſcelerum meta, ſalutis iter.

Mecoenati ſuo poëta gratias refert.

Pauca loquor gratus: meritorum copia vocem
Vincit: at inſpicias pectora, multa ferunt:
Mens memor eſſe tui non deſinet: illa loquetur,
Dum vivet, titulos, ore tacente, tuos:

Mens

Mens, echo eſt meriti; meritô præeunte, loquetur
Pauca; ſed ingentis pondera vocis habet.

Votum beatæ mortis.

Vita, mihi munus; mihi mors, Deus optime, munus:
Vis me, ſed tecum, vivere? Coge mori:
Invitus vivo; moriar; mora longa, morari, eſt:
Dulce mihi tecum vivere, dulce mori.

Virtus in tenebris micat, bene mereri contenta.

Ignorat latebras virtus, quæ digna theatris;
Emicat; in tenebris, quod videatur, habet:
Hæc plauſus odit; plauſus, convitia credit:
Hæc, benè de cunctis ſi mereatur, ovat.

Ad laudes ſuas virtus erubeſcit.

Qvas meruit virtus laudes, audire recuſat;
Sorte modeſta ſuâ, nil ſibi laudis eget.
Ipſa ſibi décori eſt; benè, gaudet ſola, mereri:
Dat ſibi ſplendorem; qvod ſibi plaudat, habet.

Damnoſa Pontificiorum dogmata damnanda.

Perdite Romanas, quæ perdunt omnia, peſtes;
Perdere quas lucro eſt: ſanctior orbis erit:
Noctis amica cohors, æternâ nocte tegatur:
Publica nam debet nocte ruina tegi:
Quæ ſerit errores, & mendax numina fingit;
Tolle, quid exanimant atra venena diem?
Vult Mundi caput eſſe, ſerit cauda impia virus:
Nequitiæ cauda eſt, perfidiæque caput.

Felices ſunt miſeri, miſeri ſunt felices.

Non miſer eſt, quiſquis miſerum ſe ſuſtinet eſſe:
Qui fert, qvod debet ferre, beatus erit.
Felices non fama facit, non faſtus honorum;
Sed nec opes: miſeros tot bona falſa creant.

Mors rapit incautas prædas.

Æſtus erat; paſſer dum captat mollia cantu
Tempora, dum conjux ſtipat amica latus;

Advolat, & pugnax certat rivalis amores
Tollere; mulctatur vulnere, victus abit:
Victor ovat, Venereſque ſuas, partoſque triumphos
Argutat modulis (gloria quanta!) ſuis:
Purpureô pennas roſtrô dum pectit, & alas:
Et pugnas narrat, blanditiaſque facit:
Forte ſub arbuſtô vigilans venator in armis
Reptat, & inſidias, dum canit ille, ſtruit:
Igne furit, paſſerque incautô ſternitur ictu;
Vix benè conſpectô fulmine, præda jacet.
Strenue bellator, roſtrôque animoſus, & ungue,
Mors furit (& cantas dulce?) ſed illa ferit.
Laſcivire juvat, nos fallere tempora cantu
Certamus; morti ſed cita præda ſumus.

Virginis lenocinantis imago.

Hæc oculis Veneres loquitur; quæ, voce ſilente,
Argutans, vibrat noxia tela, faces:
Non illi facies, qualem decet eſſe pudicam,
Caſta; Cupidineus ludit in ore color:
Eſt levis, & molli petulantia corpore ſaltat;
Allicit illecebris, blanditiiſque placet:
Lactea colla nitent, & flamma tenella medullas
Urit; & ut pallet, plus tamen illa rubet:
Fronte loquax, niveiſque genis, roſeiſque labellis
Fallit; & illiciis lenis, amore furit:
Vincere ſic ardet, ſic debellare pudorem:
His armis vinci gaudet, amore, procus.
Ignibus hæc ignes, & flammis addere flammas
Ardet; & hanc morbus, non medicina juvat:
Hanc ſanat morbus, qui cætera corpora perdit:
Quæ prodeſt aliis, huic medicina nocet.

Leve fit, quod grave fertur opus.

Fit, quod fertur, opus levius, ſi meta laboris
Spectetur, merces; hæc, quod ametur, habet:

Qui

Quid juvat ignavum positis torpescere curis?
Otia, quid lucri est, desidiosa sequi?
Otia nulla virum, numquam fecere beatum:
Fert labor ingentes, si benè fertur, opes.

Libertas fidei stat invicta ante tribunalia.

Nescia servitii, libertas; ante tribunal
Victa, Dei cultum quæ tueatur, erit:
Illa tyrannorum nescit timuisse secures:
Tosta, rogos ridet; quodque lacessat, habet:
Stat constans; fuso non irrubet illa cruore
Candidior: decori est pro pietate mori.
Libera mens servit Superis: hanc tollere mentem
Barbaries, furiis impia, posse negat.
Capta, triumphali fert oscula blanda catenæ;
Quam libertatis dulce monile vocat.
Victa catenatas, gestamina libera, palmas,
Signa coronati tollit ad astra jugi.

Querela apis, melleô suô favô spoliatæ.

Mella favis æstate paro, liquentia mella;
Ut vescar, sterilis cum dominatur hiems:
Rege sed egresso, roseô agmine pone sequente,
Heu, cedit spolio ceraque, melque meum!
Quilibet annus habet spolium: quæ tempora luctum,
Dum minuunt, sanant, vulnera nostra gravant.
Ut prosim domino, cum Florâ, tota laborat
Mecum æstas; dominus cerea tecta rapit.
Scilicet his dapibus nihil est fragrantius ori:
Sint apibus Reges, mellea regna tenent.

Pax afflictam Bellô Belgicam solatur.

Belgica, bellorum diris afflicta ruinis.
Pone metus: hostis jam tibi nullus erit:
Mars, armis positis, blandæ tulit oscula paci;
Tympana cum lituis conticuere suis:

Non-

Non ſemper tonitru, non ſemper fulmina pugnant;
Et gravis, exiguo tempore, fervet hiems:
Nulla furit fortuna diu; mutatur in annos:
Aura ſerena ſolet, nubila moeſta, ſequi:
Cum bello, luctus, terror vaneſcit, & angor:
Lætaque pax ſceptrum, libera Marte, tenet.

Spes afflictis ſolatio eſt.

Spes deſperatis ſolatur rebus egentem;
Spes animoſa Deos conciliare ſolet:
Cùm mala dura premunt te, deſperare caveto:
Spes eſt depoſitis ancora tuta malis:
Erigit afflictam, ſint omnia perdita, mentem;
Et, quam nec ſperas, nec petis, auget opem.
Cùm moriere, tuam cælo ſpem ponere certes;
Spes iter ad cælum, duxque ſalutis erit.

Prudens.

Janus adeſt; ventos omnes prænovit, & auras;
Quæ dicenda docet, quæ reticenda ſilet:
Fidere non uni conſuevit muſculus antro;
In tergo frontem mus oculatus habet:
Conſilio cautus, circumſpicit abdita mente:
Quod regit, hoc animo, dum gerit ille, tegit.

Amans commodi proprii.

Ollæ quiſque ſuæ, lucroque favere laborat:
Vicino dormit, qui vigil ipſe ſibi eſt:
Piſcator piſces, turbato flumine, captat:
Plebs furit? eſt, quærat qui ſua lucra, latro:
Si peregrinus eas, veniat, qui proderit, hoſpes;
Invigilat Spartæ non minus ille ſuæ:
Qui nihil attulerit, propellitur ædibus hoſpes:
Qui ſibi ſit nequam, cui bonus ille favet?

Verecundiæ color eſt purpura mulierum.

Purpura, virgineus color eſt, decet ille puellas:
Pulchrius ille poteſt erubuiſſe color:

Ore

Ore verecundô placuiſſe puella meretur :
Ut placeat, taceat, dum rubet ore, pudor.

Delinquunt ſervuli, luunt canes.

Inſons turba, luunt patrum delicta nepotes :
Si peccet ſervus, vapulat ipſe canis.

Albæ gallinæ filius corruptus.

Unicus eſt albæ gallinæ filius, albô
Rarior eſt corvô, carior ille patri :
Sed rarus, caruſque puer corrumpitur ; ergo
Eſt nigrior cycnô candidiore puer.

Mendici repulſam ferunt.

Alterius, mendice, fores pulſare memento :
Nullus in his laribus, qui tibi donet, adeſt.
Mendici gaudent dici miſeri, atque pudici :
Do minus, at dominus dicere jure poteſt.

Summum jus, ſumma injuria.

Quô regnat ſoliô jus ſummum, injuria regnat
Summa : tyrannorum ſceptra cruore rubent :
Libertas cum lege ruit, furor imperat, inſons
Plebs ſervit ; premitur, cæde furente, jugô :
Flagra fremunt, populuſque gemit, ridentque tyranni,
Qui lacrymas, tinctas ſanguinis imbre, bibunt.

Rixoſus litem movet, ſi vel aſinum canis momorderit.

Dum latrat ore ferox, aſinumque à tergore mordet
Fortè canis, dominus jurgia crebra movet :
Ille aſinum, hic hominem, latrator mordet uterque ;
Dirus uterque canis ſævit, uterque latrat.

Proximis, quibus potes, utendum.

Præſentem mulge, fugientem deſere ſortem :
Si deſint carnes, utere piſce tuô :
Non quandoque licet, fac poſſe & velle, volenti :
Fac, tibi quidquid adeſt, conſuluiſſe boni :
Ad mare quæ ducat via, neſcis ? flumina quære :
Utendum eſt aſinô, ſi bove fortè cares.

Eſſe

Eſſe nequis dominus, domini tunc ſervulus eſto:
Ex ſervô dominus fit quoque ſæpè ſuô.

Non oportet hoſpitem, ſemper eſſe hoſpitem.

Quiſquis es, hoſpitiô ſi te feſtivus amicus
Excipit, hoſpitii te meminiſſe decet:
Ocyus emîgres alienis ædibus hoſpes,
Non jus hoſpitii te violare decet:
Turpe putes hæſiſſe diu: vileſcere ſuevit
Poſt tres ſæpè dies, piſcis & hoſpes; olet.

Cantat triſtis mendicus ad ædes.

Sunt vacui loculi, cantat mendicus ad ædes:
O triſtes cantus! Venter inanis hiat.
Cur cantet, ſi fortè roges? Cantare gementem
Diſce; foris cantat; quod gemat, intus habet.
Dum gemit hic, oculos flentis tu conſule, ridet:
Excantat loculos Muſa, rapitque tuos.

Securitas.

Navigat in portu: fumum extra, vivit, & undam:
Naufragium & terrâ proſpicit ille ſuâ:
Hæc leporis vita eſt, geminam dum dormit in aurem;
Rex alit hunc, regis Bucephaluſque vehit:
Securus vivit, Jovis eſt ſecurus in aulâ:
A Jovis eſſe procul fulmine tutus amat:
Extra telorum jactum fera prælia ridet:
Et ſordes extra gaudet habere pedes.

Mortuo leoni etiam lepores inſultant.

Extincto gaudet lepus inſultare leoni:
Muſculus, oppreſſa fele ſopore, ſalit:
Et domino feſtum celebrant abſente penates;
Accipiterque rapax abſit, alauda canit.

Serò ſapiunt Phryges.

Suppetias Troiæ Melitides ferre laborat,
Poſt feſtum; in cineres Dardana tecta jacent:

Hip-

Hippocrates ſerò curat jam putre cadaver:
Acceptô, ſtultus vult ſapuiſſe, malô.

Libertas noſtra captiva eſt.

Nemo liber eat; ſua ſarcina cuique ferenda:
Servitio dominus natus & ipſe ſuo eſt.
Vita, quid eſt hominis, niſi ſarcina, plena labore?
Vive, nec indigno ſubtrahe colla jugo:
Libertas captiva tua eſt: damnata ferendis
Ponderibus vitæ gens operoſa ſumus.

Simile gaudet ſimili.

Rana placet ranæ; paſſer cum paſſere cantat;
Alloquitur picam garrula pica ſuam:
Litigat, & ſurdus cum ſurdô prælia miſcet;
Claudaque, cum claudô conjuge, ſaltat anus:
Luſcus amat luſcum, bubonem bubo ſalútat;
Fur furem agnoſcit, ceu lupus ipſe lupum:
Latronem latro, lictorem lictor adorat:
Conveniunt, quamvis ſint bona miſta malis:
Vacca præit vaccæ, ſequiturque columba columbam;
Et vitulus vitulô gaudet, amica procô.

Sollicitudo materna.

Ungue fimum ſcalpit gallina; accurrite pulli,
Vos vocat; en vermes, ſedula mater ait.
Infanti mater colludit, & oſcula libat,
Tranſit in amplexus, deliciaſque facit:
O curas matris! Domus, aſpice, pulvere ſordet
Neglecta; & curas, otia vana, vocat.

In ſolâ Spartâ expedit ſeneſcere, ubi magnus honor ſenum.

In Spartâ ſenuit bos impiger; ille labore eſt,
Et ſeniô feſſus; quodque laboret, habet:
Spirat adhuc, ambitque novos tolerare labores;
Et gaudet domino poſſe placere ſuo:

Obtulit hic domino, licuit dum vivere, multum
Sudorem; & carnis, jam moriturus, onus:
Ossa senis magni magno sunt digna sepulchrô:
Ite procul (nulla est præda voranda) canes:
Exequias celebrate boves: decrevit honores
Nam meritos senibus Sparta, tulitque suis.

Dulce pomum, dum custos abest.

Dulce sapit pomum, quod fur absente Priapô
Sustulit; & vini dulcia furta gulæ.

Vini & Vestium luxu, ac lusu homines pereunt.

Et Bacchi, & Cereris luxus, & lusus in usu est;
Hæc homines pestis perdere læta potest.

Qui dicit, quæ vult; quæ non vult, audit.

Qui, quæ vult, dicit: quæ non vult, garrulus audit:
Hæc audire grave est; dicere turpe; cave.

Sperandum est vivis, non spes est ulla sepultis.

Dum spiras, spera: nulla est spes viva sepulto.
Tunc tibi spes vivat, cum moriturus abis:
Spes juvat agricolas, alit hæc spes læta senectam:
Spes micat, in mediis ancora tuta malis:
Jacteris quamvis, & terris omnibus erres,
Spe patefiet iter; spemque, viamque tene:
Omnibus amissis, tibi spes invicta supersit
Tunc animô, & forti pectore dives eris.
Desperata salus, & deplorata videtur?
Ancora, spes, certæ firma salutis erit.

Pygmæus, pugnus hominis.

Hic pugnus, hominis semper pugnare laborat:
Percutias pugnô; pugnus hic alter erit:
Pygmæus semper quærit Polyphemus haberi;
Pygmæô fieri vis, Polypheme, minor.

O quale caput, & cerebrum non habet!

Pingui ventre elephas, capite est mons, aure colossus;
Quale, rogas, cerebrum? Dicere nolo; caret.

Asinus

Asinus stramenta mavult, quàm aurum.

Non asinus nummos, malit stramenta vorare;
Non gemmas infans, malit habere nuces:
Et foenô gaudêre boves, paleâque videntur:
Nectar, & Ambrosiæ flos sapuêre Diis,

Magister perorans obmutescit.

Hic colit Harpocratem mutus, sine voce, magister;
Ut piscis loquitur; nam sapit ille sibi.

Quam quisque novit artem, in hac se exerceat.

Quisque suam patiens opifex exerceat artem:
Qui remos didicit ducere, vector erit.
Nos nemo cænare docet, quod discimus ultrô:
Quos novit cantus, hos philomela canat.

Mulier foris formosa, intus furia.

Pulchra Neæra foris, est intus foeda Megæra:
Ore loquax Musa est; sed moribus ipsa Medusa:
Sit cinnis formosa; sed esse videtur Erinnys:
Ex Acheronte venit, sata Bronte, aut patre Charonte.

Hæres vulturius exspectat cadaver.

Vultur, edax hæres, exspectat pingue cadaver:
Pingue cadaver olet, quod laniare solet.

Simiarum pulcherrima, deformis est.

Simia purpureâ sub veste superba triumphat:
Et bos, sub fulvâ pelle leonis, ovat:
Attalicôque asinus stupidus turgescit in ostrô:
Simia, bos, asinus, quod fuit antè, manet.

Inutilis viro egenti verecundia.

Perfrictæ frontis si sit mendicus, honestum est:
Nam malè mendicis erubuêre genæ:
Ore verecundô pudor omnis inutilis Iro:
Qui timidè poscit dona, negare docet.

Inanis metus.

Murem elephas metuit, Gallum metuuntque leones:
Frons strepitu, leporem quæ malè terret, erit:

Nos umbras pueri fugimus, ſunt terror inanis;
Qui canis eſt timidus, grande latrare ſolet.

Dignitates fruſtrà venatur ineptus

Quos ambis, fruſtrà venaris ineptus honores:
Quem petis eſt aſinô dignior ille locus.
J, muſcas capta, de pumice prolice fontem,
Fontem hauri cribrô, litora bubus ara;
Ex aſinis lanas, de calvis quære capillos;
Extinctis facito verba cadaveribus:
Anguillas caudâ captas; ferrumque natare,
Delphinoſque doces; Æthiopeſque lavas:
Venaris reti ventos, ſaxumque revolvis
Siſyphium; quid hians, Tantale, poma capis?
Ire doces rectâ cancros, exurere pontum
Niteris, in ſilvis arida ligna ſeris.

Labyrinthus.

Hìc labor intus ineſt, pede ſi delaberis intùs;
Sunt tibi mille viæ; ſed via nulla patet:
Nam labyrinthus adeſt, ſuperat labor intùs, eunti
Difficilis; facilè eſt ire; quis inde redit?

Indoctus ad honores evectus.

Ille ſalutavit, quod vix à limine primô
Vidit, Athenæum; ſummis vix flúmina Cyrrhæ
Guſtavit labris, & Suadæ ſacra Lycæa
Inſpexit per tranſennam; per ſomnia noctis
Vix meminit, quæ ſint oracula docta Minervæ;
Hic vir, hic eſt, dici gaudet, cupit eſſe magiſter,
Somniat & faſces, & pulvinaria calcat,
Et dictat leges, quas non intelligit ipſe:
Inter ſimiolos aſinus ſic præſideat rex.

Manus operoſa pretium dat operi.

Aggrediantur opus non mollia brachia durum:
Grande operi pretium fert operoſa manus:
Sed quicumque molam vitat, fugit ille farinam:
Qui non paſcit apes, non legit ore favos:

Ad-

Admoveas operi digitos; incumbe labori:
Namque laborantes prona Minerva juvat:
Larga ſenectuti numerare viatica ſuevit
Aſſiduus manuum ſedulitate labor.

Virginis ſtatua.

Virginis hæc ſtatua eſt; qualis fuit utraque, quæris?
More ſuæ ſtatuæ, virgo modeſta ſilet:
Utraque, dum loquitur, taciturna ſilentia adorat:
Eſt vox muta, nihil, voce loquente, ſonat.
Luminibus nihil illa ſuis indulget imago:
Ore verecundô nec vaga virgo fuit.
Allicit hæc oculos; errantque in imagine blandâ
Lumina; ſed ſtatua eſt utraque, ſpectat humum.
Virgo procis gaudet, quos forma modeſta meretur:
Virgo procis ſtatua eſt, mota nec ipſa, ſuis.
Blanditias patitur, quæ blandimenta refellit
Obtutu tacitô, multa loquente, ſuô:
Effigies ſic ſculpta tulit, ſenſitque procorum
Illecebras; motus nullus amoris ineſt.
Nubere ſi cupiat, rogitas: ſic nubere virgo
More velit ſtatuæ: tacta calore caret.

Hiſtrio alabaſtro inſculptus.

Ludit adhuc, & adhuc ſaliens in marmore ridet;
Exuat hanc ſtatuam, ludet ut antè, ſuam.

Senecæ caput, marmori inſculptum.

Hoc Senecæ caput eſt; capitis ſub imagine totus
Eſt Seneca; in ſtatuâ vivit, agitque iuâ.
Et docet; &, digitos truncus, dictare laborat;
Scribit; adhuc multum, quod meditetur, habet:
Deſcribens iras, iras in marmore ſpirat;
Quas produnt vultu marmora mota ſuô.
Helvia ne doleat, doleat ne Martia, flentes
Solatur: lacrymas qui prohiberet, erat.
Contemſit mortem, lacrymis negat eſſe dolendam:
Vita mori eſt; dulce eſt vivere, dulce mori.

Diſputat, & meritum laudat: benefacta ſequuntur
Nam Mecoenates, divite fonte, ſuos.
Ignorat fatum, fatum dum cogere ſcribit:
Vir tantus dubitat, cuncta ſubeſſe Deo.
Venatur pacem, reperit ſub marmore pacem:
Turbida, dum vixit, mens ſine pace fuit.
Vita, ait, eſt brevior, quâ ſi benè vivitur, illa
Quæ brevis eſt, longô tempore vita fluit.
Quot lites movet ipſe, ſibi qui maxima lis eſt;
Et, qui de Senecâ litiget, orbis erit.
Dum vixit, ſcripſit: Senecam ſapientia ſcripſit;
Defuit hæc Senecæ: mens ſine mente ſapit.
Heú divina virum, verique ſcientia liquit!
Aurea laudantur ſcripta; ſed auctor ubi eſt?

Initium laudabile, finis turpis.

Parvula ſpina, bona eſt: adoleſcit aculeus acer
Tempore, qui multum, quod malè pungat, habet.
Principium facti ſæpè eſt laudabile; finis
Noxius: at felix meta coronat opus.

Domi leones, in pugnâ lepores.

Femina ſæpè domi, verbis furioſa leæna eſt:
In pugnâ, leporis more, timore fugit:
Garrulus hic jactat ſua robora; dicitur audax,
Dum bibit; hic inter pocula ſæpè furit:
At ſi jejunum bellator provocat, horret,
Et latebras, poſitô ſegnior enſe, petit:
Caſtra flagellantur? Populus levis arguit agmen,
Quod fugit: unus homo vult laniare decem.

Moleſtum eſt ſapientem inter ſtultos loqui.

Stulta canunt ſtulti; ſed docti docta loquuntur:
Cum fatuis fatuus dicere cuncta ſolet:
Difficile eſt ſtolidos inter regnare Catonem:
Aurea verba ferent, nil niſi probra feret:
Stulta ſibi numquam mens diſplicet, displicit omnes;
Mens ita delirat, quæ ſibi ſola ſapit.

Annus

Anus hirciſſans, ſeu nubens vetula.

Ardet amatori, nondum cui meſſis in herbà eſt,
Quæ gravis eſt annis, nubere grandis anus:
Cochlea venatur leporem, loquiturque lepôres
Triſtis anus; ferrum eſt molle; columba latrat.

Figulus figulo invidet, faber fabro.

Uberior creſcit vicinis meſſis in arvis:
Poma alienus ager fertiliora parit:
Invidus eſt oculus vicini, felle laborat:
Sola canit, numquam fert philomela parem.

Delicatus lautitias appetit.

Lac Veneris, cerebrumque Jovis, melliſque medullam,
Nectar, & Ambroſiam, fercula lauta, peto:
Attica nulla gulam ſaturant bellaria; & Afræ
Deliciæ vexant, pellere ſueta, famem.

Munera, crede mihi, placant hominesque, Deoſque.

Dona placent Divis, hominem data munera placant
Iratum: ut placent munera, grata placent.

Mercator merces, & mendacia vendit.

Mercator merces, pluris mendacia vendit:
Merces lucra creant, augent mendacia lucrum:
Et merces augêre ſolent mendacia multæ:
Quàm benè conveniunt merces, mendàcia, lucrum;
Tam malè conveniunt merces, mendacia, lucrum.
Sic merces vendis; tibi merces debita, Avernus.

Speculum formæ æs, animi vinum.

Vinum animi ſpeculum eſt, cryſtallum corpora fingit:
Mentiri ſpeculum neſcit utrumque ſibi:
Dicere vera ſolet vinum, dum plurima prodit:
Nil ſpeculum celat, prodere vera ſolet.

Quod eſt in corde ſobrii, eſt in linguâ ebrii.

Sobrietas altô myſteria pectore condit:
Ebrietas linguâ pectore clauſa vomit.

Ebrius, & dormiens ſunt vivum cadaver.

Somnus, & ebrietas, ſunt viva cadavera, ſpirant:
Quod ſpirant, vitæ eſt; cætera mortis habent.

Faber ferrarius.

Sibilat, ardet, hiat multô ore patente caminus;
Tartara jurares flammas vomitare per auras.
Fumoſus faber, & flammæ ferrique tyrannus,
Incumbens operi, ſudantia brachia nudus,
Ducit anhelantes magnô molimine folles;
Follibus inſpirans animam, exanimare laborat.
Flamma creat flammas: ſcandit ſcintilla camini
Transfuga, quæ lætos fumos ad ſidera ducit.
Ferreus excruciat ferrum, quod perdomat ictu
Malleus, ac crebris impulſibus æra flagellat:
Cruda metalla gemunt, dirô ſub vulnere ferri
Duritiem poſitura ſuam, bibitura figuram.
Tota ſub hoc ferrô procumbunt agmina, & ardent
Moenia, convulſus ferrô diſcerpitur orbis:
Ferreus eſt, uſum qui ferri invexit in orbem.

Ignotus Deus ſpargit ſua dona inter homines.

Gratia ſuſpecta eſt, niſi cognita dextera donet:
Fallor; & ignotus dat ſua dona Deus.

Verus amicus ubi eſt?

Quem quærit fidum, reperit ſibi nullus, amicum:
Sic homines inter, nullus amicus homo eſt.

Voluptas lacrymas, dolor parit gaudia.

Multarum proles lacrymarum eſt blanda voluptas:
Lætitiæ mater ſobolem parit una dolorem:
Mille voluptates animo dolor attulit ille:
Gaudia ſic lacrymas, lacrymæ ſic gaudia gignunt:
Sic ſibi diſſimilem mater parit utraque foetum.

Noë.

Nauta, Noë, primus, mortales vexit in orbem
Omnes ille novum, ſine velô ac remige nauta.

Ju-

Juvenis adulator, & adulter.

Hic ætate ſuâ juvenis qui vixit adultâ,
Turpis adulator, turpis adulter erat.

Homo bellua.

Bellua vivit homo, qui foedus amoribus hoedus;
Callida ſed vulpes moribus ille ſuis:
Barbarie tigres vincit, rabieque leones;
In mensâ lupus eſt; dum gerit arma, lepus.

Mundi cataclyſmus.

Diluviô maria alta ſuô ſua nomina perdunt:
Terra mare eſt; periitque mari mare fluctibus hauſtum.

Æthiopes.

Æthiopes ſpirant atrô de ſemine nati;
Ardentis fumus fuit his affrictus amoris:
Moribus ire ſuis pariles mihi crede colores:
Ut notos produnt corvos portenta colorum;
Sic animi mores color hic corvinus adumbrat:
Furvus olet corvus, ſolet hic ſpoliare cadaver:
Æthiopes nigrô, non pigrô, ſanguine ſordent:
Turba dolô, & ſpoliô vivit, gaudetque rapinâ.

Gigas mole corporis prodigioſiſſimus.

Mole gigas, immanis homo, turrita figura,
Corporis exceſſit leges, mens corporis exlex,
Pondus iners terræ, terras membra alta gravabant:
Machina grandis erat, turriſque ſuperba gigantum,
Magna ſuperciliô, terram indignata, patebat:
Antrum implet: gemit ipſa gravi ſub pondere tellus.

Peſſima ſtatim germina adoleſcunt.

Peſſima ſuccreſcunt citò germina: naſcitur idem
Stirpe bonâ, qui mox noſcitur ipſe ſtolo.

Sociata augentur, aucta dividuntur, diviſa pereunt.

Prædia ſi creſcunt domino, tunc creſcere gaudent
Et domino ſervi, cum ſervis creſcere rixæ,
Cum rixis cædes: igitur ſociata videbis

Augeri multum, cumulatis cenſibus; aucta
In partes diviſa ire; & diviſa perire.
Aucta ſolent minui, ſua lucro juncta ruina eſt.

Facilè militat, qui Deum habet commilitonem.

Militat hic victor, qui numine milite gaudet,
Et duce: bella Deus proſperiora gerit:
Ille Deus, Deus ille tonat, dum fulmina mittit:
Hoc duce fulmineô, victor inermis erit.

Deús panis, aconitum eſt, ſub ſacræ coenæ pane à Pontificiis propinatum.

Eſſe Deum credam, miracula barbara, panem?
Heſternus fungus ſic quoque panis erit.
Nunc homines, quos panis alit, necat: unde beata
Vita venit menti, mors ſcelerata venit.
Vina ſcelus libant, aconita bibuntur in aurô,
Sacra ſcelus pietas, impietaſque pia eſt.

Quæ munera grata.

Munera, parva quidem; ſed ſunt gratiſſima ſemper
Quæ data ſunt animô candidiore mihi:
Munera ſint quamvis pretioſa, odioſa videntur,
Quæ data ſunt meritis languidiore manu.

Timidus in morſum pulicis deos invocat.

Ante tubam trepidat, linguâ bellator; & haſtam
Projicit ille lepus; mure ſequente, fugit:
Quod ſi muſca levis prætervolat, ocyus horret;
Hunc, fama eſt, umbram nocte timêre ſuam:
Pulicis in morſum (quid enim vis mollius eſſe?)
Non audituros invocat ore Deos.
Agmina ſi ducat mulier timidiſſima, pallet:
Sæva domi mulier, ſæpè leæna fuit.
Sola timenda venit timidorum audacia, pugnat
Quæ deſperatâ, nec fugiente manu.

Elephas annô decimó parit, ſed elephantem.

Fert elephas uterô ſua ſemina; parturit annum
Poſt decimum: penſat, nobile, tempus, onus:

Pro-

Procreat hic elephas elephantem, bellua regem:
Partûs majeſtas exigit illa moras.

Fumantem ne tu naſum tentavis urſi.

Cornua ne tauri, ne tigridis ora laceſſas;
Ne fodias ignem gladiô; non ulcera tangas;
Fumantem rictum caveas tentare leonis:
Spumantem ſiquis naſum percuſſerit urſi,
Læſuros quiſquis parat irritare crabrones,
Hic hydram mulcet: nocitura pericula quærit.

Radicis vitium continuant thyrſi.

Peſtiferos prodit corruptum ſemen in ortus;
Stirpis & infauſtæ ſurgentia germina creſcunt:
Incrementa malô de caudice ſurculus haurit:
Radicis vitium thyrſi lethale propagant;
Continuatque nepos atavis vitioſior ire:
Sic pravus pullus de parvô pullulat ovô.
Progeniem ſteriles ſpuriam genuere parentes:
Sunt exemplari ſimiles, foedoque colori;
Non ſunt difformes, deformes eſſe videntur.
Ex pravô proavô felicia ſemina ſperes?
Ex aſinô exſpectes, partu aſpirante, leonem.

Cain, primus parricida;

Ille tyrannorum princeps, fratriſque tyrannus,
Tabuit invidiæ fatali peſte Cainus,
Proditor occîdit fratrem; puer occidit inſons.
Se fugit, & ſequitur; ſe terret territus ipſe;
Eſt idemque, aliuſque ſibi; totô exſulat orbe,
Quærit in orbe orbes, nec tutos invenit orbes.
Vivus amat mortem, mortem ſuſpirat & odit:
Non metuenda timet, dum non timet ipſe timenda:
Vivit ubique miſer, ſi vivere mortua vita eſt:
Namque malo malè ſemper erit, licet erret ubique:
Nulla ſatis capiti ſcelerato tuta latêbra eſt:
Silva, forum; teſtis, fuſus cruor; umbra, ſatelles;

Cul-

Culpa, ſui tortor; judex, Deus; horrida vindex,
Mens agitat ſontem, quæ dira piacula damnat.
Heu facinus! Latro primus fundavit Avernum:
Invênit mortem, mortemque invexit in orbem:
More feræ, ſons morte feræ periiſſe meretur:
Parva fuit jactura: Cain nam bellua vixit:

Dives à paupere ditior.

Si dives cum mendicô manduco, recedo
A menſâ paſtus, plus pulice ditior unô.

Optimi parentes peſſimos liberos generant.

Qui parvam vitæ ſobolem genuêre parentes,
Et vitam vitiis ingemuêre datam.

Cantus incantat.

Luditur agnorum nervis, cantorque ſonoros
In cytharæ modulos viſcera torquet ovis:
Jam tormenta canunt; gaudentque, gementibus agnis:
Afficiunt aures, inficiuntque fides:
Nam chordas pulſant concordia plectra, canorô
Impulſu feriunt corda, animoſque necant:
Enervant nervi, atque incantat cantus amores:
Et lætum lethum fila jocoſa creant.

Caſtus juvenis ſub candidô marmore ſepultus.

Marmoris ille nitor, nitidæ virtutis imago,
Vult animæ niveæ candidus eſſe color:
Ille color, pudor eſt, qui mentem tingit honeſtam:
Conveniunt marmor, candidiorque pudor:
Conditur hôc juvenis, niveô ſub marmore, caſtus:
Debuit hæc virtus marmora ſtare ſuper.

Calamitatis auctarium eſt, in ſterili fortunâ foecunditas.

Conjugiô gaudere cupit, ſed paupere pauper;
At foecunda ſolet, ſterilis ſors pauperis, eſſe:
Sunt proles numeroſa, irritamenta dolorum:
Heu miſeros, ſed nec miſeros ſeſe eſſe fatentur;

Pau-

Pauperieque ſuâ ſe credunt vivere Reges:
Ignorant ſordes, mediiſque in ſordibus errant:
Exſulat in patriâ pauper, peregrinus & hoſpes,
Quærit ubique lares, triſtiſque hilariſque vagatur.
Si non mendîcat, non, quod manducat, habebit.
O ſterilis fortuna inopum, foecunda malorum!

Magiſter faciliùs tyrones plectit, quàm flectit.

Diſcipulos ferulâ plectit, flectitque magiſter:
Odit, & explodit verbera tiro ſenis:
Verbera contemnit, contemnit verba magiſtri
Aſpera, qui ſperat præmia danda ſibi.
Corripitur crebrò de garrulitate frequenti;
Sed non corrigitur: vult puer, eſſe puer.

Pharao ſubmerſus in undis.

Perſequitur Moſen Pharao, ſubmerſus in undis;
Quas Moſi jam vix nato decreverat undas:
Obruit illa memor, ſcelerum caput obruit, unda:
Arte ſuâ pereunt, gens ſanguinolenta, tyranni.
Ille cruentabat puerili ſanguine cunas,
Invênit tumulum rubrum mare, fluctibus hauſtus:
Tartara præcipiti ſaltu petit, ignibus hauſtus;
Auxit & Æthiopum, fumô pingente, colorem.

Iſraëlitæ vitulum adorant.

Bruta colunt homines bruti, pro numine numum:
Nam pecus eſt aurum; Deus eſt pretioſior aurô:
Aureus hic Deus eſt, tauri eſt, non fallor, imago;
Taureus ille Deus, vulgi Deus aureus: ore
Tam ſtupidô manant oracula: taurus in auro
Voce Dei loquitur; pretioſa oracula credas:
Numen adoranti ſimile eſt; juveneſque, recoctô
Jumentô, circum vitulum vitulantur in orbem:
Paſtoreſque, duces pecudis, ducuntur ab ipſâ,
Cui fumant, pecude; & pecudi ſubſternere gaudet
Pontificum princeps ſacras cum fronte tiaras.

Viri

Viri Viribus, & Virtute timendi.

Viribus eſſe viris licet, & virtute timendis:
Heroi numquam robur, ſolet eſſe rubori:
Qui neſcit ſævire heros, ſervire meretur.

Samſonis robur capillis illigatur.

De tenui filô juvenilia robora pendent:
Momentô diſcas tolli filumque, pilumque.

Nullum vile telum virili in manu.

Nulla manus vilis, ſi ſit virtute virilis:
Cuncta viro pugnax audacia tela miniſtrat.

Samſon à Lupâ ſternitur, qui leonem ſtravit.

Femina Samſonem ſtravit, lupa ſæva leonem,
Agmina qui ſtravit, debellavitque leonem:
Perdidit in Veneris Samſon ſua lumina fronte;
Sic oculis captus, Cyclopem ludere juſſus,
Impellit templi, niſu felice, columnas;
Et moriens Veneris ſtatuam labefactat, & aras,
Et Venerem perdit victor, quâ perditus ipſe eſt:
Seriùs inſidias, orbatus lumine, vidit.

Stirpitùs Vellenda impietas.

Impietas vellenda ſuâ de ſtirpe maligna;
Creſcit, & ut numquam pereunt benè peſſima trunci
Germina, & impietas mendax adoleſcit, & altas
Radices agit, & vitiat cum caudice ramos?
Afflatura ſuô florentia membra venenô.

Surdus cæcum, & claudum deridet.

Et cæcum, & claudum, ſurdus deridet utrumque;
Abſurdus ſurdus, qui cæcâ claudicat aure:
Eſt audax linguâ, quem nulla tonitrua terrent.

Sæpè dolos ſequitur dolor.

Odit, amatque dolos belli, vulpecula, miles:
Sæpè dolos ſequitur, fraude patente, dolor.

Timendi ſunt Reges, qui Deum non timent.

Hos metuo Reges, qui numina nulla verentur;
Nil reverentur; & quid, quod vereantur, habent;

Non

Non timeat (fac velle) Deum rex, jura revellet,
Evertet leges, dura tributa petet:
Vexabit populos, & bellô & ſanguine vivet,
Sacra profanabit templa, tyrannus erit.

Poma Gomorræa, foris nitida; ſed manu tacta in cineres vaneſcunt.

Poma foris rubuêre, ſuis de cortice flammis:
In cineres, digitis ſi modò tangis, eunt:
Pomorum domini, in cineres arſêre coloni;
Poma ſequi dominos pulverulenta vides.

Feminæ illiciuntur videndo, & viſu ſeſe, alioſque perdunt.

Femina pellicitur vetitis, quæritque videre,
Quod vidiſſe nefas: augentque pericula viſûs
Blanda voluptates: oculis perit ipſa videndo:
Eſt oculis formoſa ſuis; damnoſaque cunctos
Lædit amatores; & lumine ſuſcitat ignes,
Inflammatque procos; ſeque, & ſua lumina perdit,
Dum videt; & frontem, ſine fronte, amittere gaudet.

Conveniunt Bacchus, & venus.

Et lenocinium Venus eſt, & Bacchus; uterque
Urit, & his ſociis ignis in igne furit.

Quibus artibus fur vincendus.

Vincere vis furem, ferrôque & nocte furentem?
Vincîtur donis, vincitur ille dolis.
Invictus ferrô, numeroſô vincitur aurô;
Æraque munimen, munera murus erunt.

Poſt luctus gaudia; poſt gaudia luctus.

Sera diu lugens; ſed ſeria gaudia tandem,
Veraque, poſt luctus, qui mereatur, erit;
Nemo diu gaudet; ſequitur ſua gaudia luctus;
Excipiunt imbres aſtra ſerena ſuos.

Piſces muti.

Lubrica gens piſces, animæ ſine voce marinæ,
Hîc placuere mihi, quòd tacuere ſibi:

Er-

Errabunda movent ſua caſtra, marique vagantur:
Vita quod hæc hominum ſit peregrina, docent.

Luxus parit luctus.

Quàm brevis eſt luxus; luxus ſed denique luctus
Procreat: heu, numquam ſera ruina venit!

Degeneres ſolent jactare faſtos avitos.

Gloria majorum faſtos attollit avitos:
Eſt hominis virtus, nominis illa probrum eſt:
Degeneres mentes alienis ire ſuperbæ
Laudibus exultant; ſed meruere nihil.

Somnus.

Somne, futurorum pingis ſimulacra malorum;
Nec venturorum, fingis ſimulacra, bonorum:
Quilibet eſt ſomnô Croeſus; ſed pervigil Irus:
Sæpè fuit ſomnus nec inanis imago futuri:
Inſomnes faciunt vexantia ſomnia mentes.

Carcer virum inſontem honeſtat.

Dedecorare virum non ſuevit carcer honeſtum:
Per latebras exit tractus formoſior anguis,
Pelle ſuâ veteri nitidatus, pectora monſtrat,
Exuviaſque novas; latebrarum exſibilat umbras:
Splendidior virtus inſons de carcere prodit.

Amor medullis coërcitus, pupillis erumpit.

Ludicra res, amor eſt, gaudet prodire, tegique:
Lubrica res, amor eſt; malè clauditur ille medulliss
Pupillas rumpit: quamvis ſit cæcus, ocellis
Prodit, rimaturque viam, properatque per ora;
Et malè celari ſub pectore monſtrat amores.

Cælum eſt domus; tot aſtris, quot liberis læta; patre, tamquam Sole præſente, ac præſidente.

Clara domus cælum eſt, domus eſt tot lætior aſtriss
Quot pueris; fulgent radiis virtutis in umbrâ;
Sed præſente micant, languent abſente parente:
Et Phoebô præſente dies eſt luce ſerena:
Hic cælum, ille domum, ſplendore nitente ſerenat

Sec

Sed ſtellæ, & pueri gaudent occumbere nocte.
Dii faciant, pueri cum ſtellis ſæpè reſurgant!

Henoch, Jeredi filius, cæleſtis homo.

Non liquet, an liquidô raptus potiatur Henochus
Æthere, qui terras liquit: nunc ſpicula mortis
Ridet, & è vivis egreſſus, vivere pergit,
Ipſe ſibi Phoenix: ſenium juvenile, juventam
Antiquam ducit, fatoque ſibique ſuperſtes,
Cæleſtem divinus homo trahit æthere vitam.
Manibus heroum vivis moliris inane;
Non jacet hìc, tandem tunc umbra jacebit Henochus,
Nos homines quando pereunte jacebimus orbe.
Nunc peregrinus eat magnus ſuper aſtra viator,
Extra anni, Soliſque vias, duce numine, vectus.

Aula eſt aura.

Aula pari paſſu procedere gaudet, ut aura;
Utraque, more ſuô, ſtabili levitate movetur;
Mobilitate gravis volat, & mutatur in horas;
Quæ gravitate levis premit, elatoſque recalcat.

Latomi in lapicidinâ.

Saxea gens, ſervi, de rupibus erue rupes;
Sic operam, atque animam, lucra laboris, agas.

Templum Salomonis à Titô Veſpaſianô exuſtum.

Ille coronatus regum labor, aurea moles,
Hoc cæli templum, triſte cadaver habet.
Mulctatur Deus exiliô; prædatur & ignis
Hoc opus æternum, dum vorat ira Deum.
Divinus labor hic humanâ vindice dextrâ
Corruit; & templum lampadis igne micat.
O ubi ſunt fontes, tot vaſa, ſacraria, & aræ?
Omnia ſunt fumus; funus ubique jacet:
Urbs à cive ruens, cives quæruntur ab urbe:
Flos populi, flammâ depopulante, perit:
Contumulata jacet ſub pulvere ſordida, cives,
Turba: ſub obſcurâ plus micat umbra pyrâ.

Frons captiva, exſul, fatum circumtulit urbis:
Ludibrio pompæ fit ſacra turba ſenum:
Illa ſacerdotum majeſtas, compede vincta,
Vincula fert, dominô barbariora ſuô.
Sunt fumô, & lacrymis, & cæci vulnere cives;
Et triplici pallent pulvere, morte, metu:
Conveniunt ſolâ diſcordia corda catenâ:
Barbara ad Euphratem, patria lingua canit.
Pontifices, Regeſque, agmen miſerabile claudunt;
Servitiô regnum dedidicêre ſuum.

Vita beata; paraphraſis ex Martial. 10. 4.

Vita beata fluet, bona cui ſunt commoda, nullô
Parta labore; ſed hæredi tibi ſorte relicta:
Non male gratus ager; focus ardeat igne perenni;
Et ſine lite torus, toga commoda, menſque quieta,
Ingenuæ vires, & florens robore corpus;
Simplicitas, candorque, & turba fidelis, amici;
Convictus facilis, frugali menſa paratu;
Et brevis, & placidus ſomnus, curiſque ſolutus:
Pacis amans uxor, thalami quæ ſervet honores,
Erudiat natos, timeatque offendere Divos:
Sit vigilans conjux, operoſa negotia tractet,
Prolis amans, Bacchique hoſtis, Venereſque peroſus:
Et quod es, eſſe velis; cupias nec plura tenêre:
Permittas, ſed nec timeas tua fata, nec optes:
Sic vives, morière tuâ ſic ſorte beatus.

Troia orbi famoſa, cùm fumoſa.

Pergama dum ſtabant, populis ignota fuêre:
Pergama nulla vides diruta, nota tamen.

Dulce, & decorum eſt, pro patriâ mori; dulcius Deo.

Militat omnis homo, Marti mortique meretur;
Pro patriâ dulce eſt vivere, dulce mori.
Nemo Deo pugnat; cælum pugnantibus offert:
Dulcius at cælo vivere, dulce mori eſt.

Nil

Nil conſtat in orbe

Conſtat in orbe nihil; ſed vertitur orbis in orbem:
Nil recti conſtat; nec ſibi conſtat homo:
Si nihil eſt recti, totus jam claudicat orbis:
Sed magis orbe ſuô claudicat omnis homo.

In Chemicum

Quærit amans aurum, magis amens decoquit aurum;
Dilapidatque miſer ſic bona cuncta Lapis.

Urbs Venetorum mari fundata.

Imperium fundat, quod non confundit, in undâ
Æquoreus Venetus; cui mare terra fuit.
Urbs eſt Oceanus, mediis urbs perſtat in undis:
Hæc domina, indomitis urbs dominatur aquis.
Non ſibi, non nautis conſtat mare, legibus exlex;
Conſtantes, Veneti, conſtituiſtis aquas.

Ætas aurea, & ferrea

Aurô quæ caruit, fuit ætas aurea dicta;
Noſtra ætas aurô ferrea facta ſuô eſt.

Jactura magna eſt opum, major famæ, animæ maxima.

Perdis opes, multum perdis; qui perdis honorem,
Plurima; cuncta, animam perdere, damna putes.

Iprenſes Flandrorum quotannis felem, quem olim pro numine adoravêre, è templi turri præcipitant.

Felis, es infelix; alienô crimine poenas
Das Ipræ ſonti; quod patrat illa, luis:
Numen adoravit falſum, tu plecteris inſons:
Nunc aliena colit numina; tu reus es?
Supplicium cultûs (non impius ipſe) mereris:
Ipra ſuâ turri præcipitanda fuit.

Simius Cortraci Flandrorum infantem diſcerpens ſuſpenditur.

Simius infantem lanians ſuſpenditur: illum
Qui plectit judex, quâ cruce dignus erat?

Sic infantem asinus stupidus mactaverat olim;
Arcades hunc damnant; non fuit ille nocens.
Judiciô Cortraceni falluntur, & ipsi
Arcades; ergo asinus, civis uterque, fuit.

Amicus verus.

Semper amicus ero, bis sum nec amicus amico:
Bis vir amicus erit, qui semel hostis erit.

Multa scimus, plura ignoramus.

Plurima nosse cupis; si doctior omnia noris,
Te nescire scias omnia, cuncta scies,

Omnibus placet, qui sibi displicet.

Si tibi displiceas, cunctis placuisse mereris:
Ut placeas nulli, vis placuisse tibi.

Dives amens.

Divitiis vitiisque scates, sed paupere mente;
Ditior hæredi, qui tibi pauper, eris.

Æthiops sacrô flumine lustratus.

De pice nix exit, de corvô cycnus habetur,
Æthiopem niveis cum benè tingis aquis:
Non lavat Æthiopem, Æthiopem qui laverit album
Ex nigrô: vanus non fuit ille labor.

Nomina suis possessoribus consona, & dissona.

Nomine conveniunt Felix, Benedictus, Amandus,
Lucia, Narcissus, Musa, Columba, Rosa;
Cum Fortunatô, Laurentius, Angelus, Agnes,
Cum Florô Clemens, & Theodora fuit;
Constantine, micas; tuque, Augustine, triumphas:
Conveniunt factis nomina clara suis.
Lazarus, & Maurus, Lupus, Ursula, Barbara, Fronto,
Abludunt gestis nomina dira suis.

Dicunt; cras, cras; & numquam cras est hodie.

Cras frugi vivam, cras clara palatia condam;
Cras solvam, dicis, crastina sacra colam:

Cras-

Craſtina promiſſum ſed debita nulla ſequuntur:
Nil facies hodie? Craſtina vita fugit.
Vivere cras ſerum eſt: numquam eſt lux craſtina præſens:
Sic malus eſt finis, quem mala vita præit.

In adoleſcentulum improbum.

Offendêre homines, quia te genuêre parentes:
In terris nullus major abortus erat.

Anus ad annulum.

Annule, te digiti, te gemma venuſtat, & aurum:
Pulchra puella fui, ſum modò turpis anus:
Sordet anus rugis, ſpectabilis annulus aurô;
Diſplicet hæc oculis, omnibus ipſe placet.

Libido, malorum fons.

Dulce, libido, malum; cunctorum Lerna malorum:
Hæc homines peſtis perdere ſola ſolet.

Cain Abelem conditô orbe, Romulus Remum, conditâ urbe, mactant.

Stabat humus, fratremque Cain mactavit Abelem;
Romulus exſtructâ ſuſtulit urbe Remum:
Sanguine principium coepit ſimul orbis & urbis:
Denique flamma, urbis finis, & orbis erit.

Dies labori, nox quieti deſtinata.

Nox ſtudiis inimica; dies ſed amica labori;
Apta dies operi, commoda nocte quies.

Virgo pudica amatori.

Quod ſine fronte rogas, purô tibi fonte recuſo:
Me, petis, ut violes: turpis es hircus, oles.

Conſcientia libera non ſervit tyranno.

Conſcia mens, Deus eſt, non eſt ſubjecta tyrannis;
Hos domat, & regnum, quô dominatur, habet.

Cultores canæ & ſanæ religionis exſules ad regem Franciæ.

Servimus Regi, Regi pugnamus in hoſtem:
Vivimus, & morimur, Rege tugante, Deo.

Mores noſtri & ridendi, & deflendi.

Democritus flebit, videat ſi tempora noſtra;
Hæc Heraclitus rideat, ore pari.

Agricolarum operoſus labor.

Grande colonus onus ſubit, exantlatque labores,
Dum reparat campos, & grave pondus arat.

Amor eſt furor.

Sentio quid ſit amor, gravis eſt furor: uror amore;
Quando furore uror, vincor amore pari.

Homo odit Deum amantem.

Numen amas hominem; ſed homo non numen amavit:
Odit amatorem, prodit & ore, ſuum.

Bella Mundo perniciosa.

Ferrea nunc aurô cuduntur ſæcula. Cenſu
Arca fuit quondam publica dives, eget.
Regna carent nervô: jam ſola pecunia regnat;
Quod libet, exequitur; vique, metuque jubet.
Miles, onus, quem vulgus alit; quô protegit enſe,
Affligit populum gens violenta ſuum.
Regna vorat; ſacræque fami prætexitur anſa:
Hiſcere nemo audet, nec ſua damna queri.
Orbis mendicat; populôque gemente, tyranni
Luxuriant: queſtus angulus omnis habet.
Laſcivire ardent, populi de ſanguine, Reges;
Et ſub pauperie regna gravata gemunt.
Relligio proſcripta jacet, pietate per orbem
Exſule; ſunt feſtis ſacra profana piis.
Crimina ſacrantur; belli impia jura colorant,
Qui ſua, qui populô ſceptra jacente tenent.
Vina bibunt ſcelerata: ſuam patera aurea peſtem,
Audax mentiri, ſana colore, tegit:
Dum ſcelus exultat, Mundus ſub Marte fatiſcit;
Orbe flagellatô, funus ubique jacet.
Sanguineis lacrymis ſtat belli fructus amarus;
Et panem, & pacem Mundus uterque rogat.

Omnia

Omnia ſunt ſanguis; ſunt omnia flamma: redundant
Arva cadaveribus ſordidiora ſuis.
Grande ruina ſonat, volitantque per oppida ſtrages:
Cuncta ruunt: caſum qui ſtruit, ipſe cadit.
Quando erit, ut redeat libertas aurea pacis?
Ne pereant, vivant, qui periêre, ſemel.
Jam ſatis armorum: ſat vixit mortibus orbis:
Mars pereat: Mundo ſæcula pacis eant.
Oderunt Reges, & crimina publica pacem;
Hanc amor, & pietas ſola, Deuſque dabunt.

Parvô contentus, rex eſt.

Contentus parvis caſulis habitator, abundat:
Imperat & latè, qui ſibi vivit, homo.

Vita pauperculi ſecura.

Non vili teſtâ, gemmis aconita bibuntur:
Fons bibitur nudâ, nec trepidante, manu.
Vita voluptati frugalis, & addit ad annos.
Et ventrem, & Venerem ſacra libido ſapit.

Nemo ſalutat prætorem, qui ſe furem eſſe novit.

Cur fur prætoris, fugiens, non ora ſalutat?
Mens rea, mens furti conſcia facta ſui eſt.
Carnifices, judex, carcer, fatale tribunal,
Urnaque neſcio quid, quod timeatur, habet.

Fur deprehenſus.

Captus ait teſti fur: me, canis improbe, prodis?
Cui teſtis: viſô fure furente, latro.

In garrulum tonſorem.

Noſſe cupis, quô barba modô prolixa ſecanda eſt?
Ut taceas, tonſor garrule, barba rogat:
Forfice luxuries barbæ (gravat illa) metenda eſt;
Garrulitas linguæ ſed reſecanda prius.

Beneficium citò dandum.

Grata ſuô magis eſt, properat quæ gratia, curſu:
Claudicat ingratô gratia tarda gradu.

Beneficia lenta, ingrata sunt.

Redditur ingratis citò plumea gratia: numquam,
Plumbea si veniat gratia, grata venit.

Gratus animus.

Gratus inextinctâ recolam pia munera mente:
Sum tuus: & meriti debitor omnis ero:
Vivet inoblitis pietas inarata medullis:
Nec poterit meritum, me moriente, mori.

Audacia victi rediviva.

Prisca redit victis audacia: namque coacta
Vi dominante fugit, vi meliore furit:
Desperata micat metuendum audacia; hiatum
Ferrô aperit; sternens, quâ loca clausa, locum.

Gula hominum inexpleta.

Luxuriosa gula est, nullô saturanda paratu,
Et lautæ mensæ gloria cuncta vorat:
Venter, inexpletus pastu, sua damna resorbet:
Ambitiosa fames, ingeniosa sibi est.

Homo, divina imago.

Os, animumque Deo suppar, de semine fictus
Divinô, in terras qui dominetur, homo est:
Divus homo caput attollit, se quærit in astris:
Et propiore videt fronte, colitque Deum:
Regnat, & ingeniô venerabilis, alta superbus
Sidera, cùm terras cætera bruta, petit.

Amicorum hospitalitas.

Quod sapit, hospitium quæro sapientis amici:
Sed sapit hospitium; sic &, amice, sapis.

Vana jactantia.

Dum sua quis jactat, dum plausus captat, & auras,
Jactari probri fluctibus ille solet:

Sic

Sic te victorem cantu testaris, & alis
Latè exporrectis, galle superbe, canis.

Homo nihil agendo, malè agere discit.

Quidquid agunt homines, peragunt mala plura quiete:
Otia quisquis amat, quæ mala discat, agit.
Nec nihil est, quod agunt; pigris nihil esse videtur:
Corrumpit vires cura, quiesque viros.

In animam immortalem ad Orcum damnatam.

Mens immortalis verè est, quæ mortua vivit:
Nil nisi fumus erit; vitaque funus alet.

Omnia pereunt.

Id quod es, esse fugis: fugiunt sua germina flores:
Non annô florent lilia viva suô:
Poma suos ramos, alvearia mella relinquunt:
Tempore deficimus, turba caduca, brevi.

Cur Cum amicâ pulchrâ amamus colloqui?

Cur juvenis loqueris cum pulchrâ sæpè puella?

Responsio.

Hoc me, qui cæcus non videt, ipse rogat.

In militem claudum, ad bellum properantem.

Ludibrio, miles properabat claudus in hostem:
Stabo ego, nec fugiens, castra tuebor, ait:
Virtutisque memor, non claudæ laudis, avitæ,
Intrepidum figam, sed pede stante, gradum.

In indoctum ludimagistrum.

Nomen habes fatui, sapientum octave, fateris:
Ignoramus eris: cuncta, nihilque doces.

In Muscam.

Est infensa homini, tauroque infesta minaci
Musca: nocens morsu, spicula fusca gerit.

In cervos cornigeros.

Cur timidis cervis ingentia cornua crescunt,
Si fugiant? Multum, quod minitentur, habent.

Imbelles animi oſtentant furiaſque, minaſque:
Ne fugias; vanæ ſunt ſine felle minæ.

Sors noſtra nobis non placet, arridet aliena.

Noſtra placent aliis; nobis aliena probantur.
Hic, alios laudans, qui ſua damnet, erit.

Sociô, in poenâ gaudere, ſolatio eſt.

Quam ſubeunt ſortem reliqui, quis ferre recuſet??
In miſeris ſocium rebus habere juvat:
Frigida ſunt, fateor, ſolatia; moeſta ferenti
Gaudia; ſed fontem, quô recreetur, habet.

Serò magna ruina venit.

Nulla gigantæô properat pede barbara clades:
Adrepit tardô vaſta ruina gradu.
Plumbea ſi qua venit, non eſt ita plumbea, pulſu
Sors inimica; ſuis caſibus acta gravat.

In Fortunam.

Munera multa nimis multis fortuna propinat;
Nil miſeris, nulli ſed ſatis illa dedit.

Fortuna inconſtans.

Magnanimos fortuna juvat, quibus addit honores:
Imbelles ſævâ mobilitate premit.
Hæc favet armatis; heroibus omnia donat:
Ignavis precibus ſors ſua dona negat.
In primô fortuna favens quos erigit ortu,
Obruit in portu ſors inimica ſuô.

Morbô comitiali laborantis repentina medela.

Labitur, & nervis contractis, membra laborat,
Et dirus ſpumas, ore furente, vomit?
Non medicus malè ſanus eris, ſi pronus in ægris
Auribus inſpires: nec mora, ſanus erit.
Pòſt redeat languor, rurſum inſpirare memento
Ter quater; & fugiet ſpiritus ille gravis:

Pra

Præſentiſſimum laboranti pleuritide remedium.

Cui latus infeſtâ nimiùm pleuritide languet,
Maſcula verbena eſt; certa medela juvat;
Si folia afflicto lateri viridantia preſſa
Jungis, & hac poterit ſanus abire die.
Pus, ſaniemque trahet verbena, pigrumque cruorem:
Illa medulla herbæ, tanta medela fuit.
Cur venâ ſectâ tentas haurire cruorem?
Nam melior ſanguis, vitaque ſæpe fugit.

Saliſpetræ libra, in crucibulô, injectô paulatim ligneô carbone contusô (quantum duo digiti capere poſſunt) cirlatur, aſſaturque; ſed cùm ardens maſſa furit belliens, & elevatur, illico ferrum frigidum intinge, momentò iram ponit; ubi carbo nigrè ſuperna ceſſat circulatio; ne exſpectes; ſed ſine morâ, forcipe crucibulum arripe, & in nitidum pavimentum maſſam effunde, quæ frigefacta in lance poſita, in caveâ humidâ fluet: tunc filtretur: habebis oleum, quô nullum in orbe præſtantius. Alterô die, quinque, vel ſex guttas (non plures) vino miſtas imbibe, vives ſanus.

Certè Sanat peſtem, & apoplexiam, menſtrua provocat, & concretas ſanguinis particulas ſolvit. Si applices vitiatis membris, unâ, aut ad ſummum alterâ guttulâ utere, & exterius affrica.

Vivere vis ſanus, vis vivere canus? olivum
Acre ſaliſpetræ tu bibe, ſanus eris:
Quod ſi ſæpè bibas, ut olivi munere vivas,
A morbô, & properô funere tutus eris.

Muliebria menſtrua ut fluant, certum remedium.

Mel bibe virgineum, vino ſi jungis aduſto,
Nulla relenteſcet menſtrua maſſa, fluet:
Noſſe cupis quantum? Medius vini hauſtus aduſti;
Tantaque ſit mellis copia, quanta meri.

In-

Invia virtuti nulla eſt via.

Non penetranda ſolet virtus penetrare; nec ulla
Invia magnanimo, vi via facta, viro eſt.
Fulmina nulla valent, Boreaſque, & flamma tenere
Quæ pugnant aurâ liberiore frui.
Itur ad auguſtos per Martia vulnera honores;
Ad famam mollis non via ſtrata patet.

Virtus bella gerit.

Bella gerit virtus animoſa, hæc emicat armis;
Non fortuna ſolet Martia caſtra ſequi:
Militat ingenium, prudentia militat armis;
Non ætas, virtus clara trophæa parat.
Martis amans animis, non annis prælia miſcet;
Enſe vetus virtus fortia quæque facit.

Damna, bellô civibus illata, damnanda.

Mars hoſtes perdit, cives quoque perdere pugnat:
Dum ſua lucra petit, maxima damna creat.
Facta ſuæ patriæ miles damna omnia damnat;
Dicitur exuviis illacrymare ſuis.

In Dictatorem Romæ perpetuum.

Jus dictatori ſummum eſt, regit omnia Romæ;
Cui, ſine jure, nefas, prodere dicta tori.

Deus omnia regit.

Caſtra regunt Reges; Reges Deus ipſe gubernat:
Aſtra regunt homines, quæ regit aſtra Deus.

Principes optimi, peſſimi optimates.

Oderunt populum proceres, rex percolit: agnus
Eſt Princeps; proceres pectora tigris habent.

Qui amas terras, totô cælô aberras:

Quiſquis amas terras, à cælô devius erras:
Mens peregrina piâ tendit ad aſtra viâ.

Mendi

Mendici juvandi.

Ferreus eſt, quiſquis mendicum temnit egentem:
Non hominis pectus commiſerantis habet:
Mendici gaudent, ſi neſcis dives, amici
Numinis eſſe ſui, quos vel egêre facit:
Da nummum, referes tunc divite foenore cælum:
Lucraris perdens: pro ſtipe numen emis.

Fulgebunt ſancti, tamquam ſtellæ.

Nocturni vigiles, ſtellæ, gens aurea cæli,
Quæ cæli ſervant in ſtatione fores;
Tramite decurrunt facili per inania, & orbi
Oſtentant vultus, lumina clara, ſuos:
Et quoties Superi, quoties lacrymatur Olympus,
Abſcondunt faciem ſidera moeſta ſuam.
Illa ſuum ſequitur curſu gens aurea Solem;
Reginæ, Lunæ, quæ ſolet eſſe, comes.
Quis mihi det ſtellas inter fulgêre micantes;
Corpore mens poſitô, quæ radiabit, erit:
Clarior hæc ſtellis, ſtellis properantior ibit:
Pervolat ingeniô, mens pia, cuncta ſuô.

Amatores gaudia noctis amant.

Nox promiſſa proco eſt, noctis permiſſa voluptas,
Et jocus: ardet enim, dùm focus, ipſe procus.

Senex amator.

Regnat amor juvenes inter; decet ille puellas:
Non placet, & res eſt turpis, amare ſenes:
Torpet amator iners, telumque imbelle ſine ictu
Nocte vibrat lentus, difficiliſque toro:
Hic fugit amplexum; nihil eſt niſi ſegne cadaver,
Nocte jacet totâ, membra ſtupore rigent:
Dormit, onus thalami; nullôque caleſcit ab igne;
Attactu lædi ſe leviore putat:
Si moveas, queritur, naſus fluit oſcula libans;
Pectora ſunt gelidâ frigidiora nive:

Saxeus

Saxeus eſt, niſi quod ſaxum multô æſtuet igne;
Friget & in mediis ignibus ille ſenex.

Deus ſolus amandus.

Res amor eſt divina: Dii tanguntur amore:
Sed nec amore carent inferiora ſuô.
Quære voluptates; Deus eſt ſincera voluptas:
Si pateris, pro te, qui patietur, erit:
Quæris opes, hic regna tenens cæleſtia donat,
Donat & ingratis prodigus ipſe ſui:
Dilige formoſum: quid enim formoſius illô?
Quô ſine nil pulchri eſt, quidquid ubique vides:
Si lacrymere, tibi rorantia lumina tergit:
Vis patrem, & comitem? duxque, paterque tibi eſt:
Vis tibi conſtantem, vel amicum fortè fidelem?
Fidus amicus erit; fallere neſcit amor:
Paſtorem quæris; te carne, & ſanguine paſcit:
Qui nihil es, ſi vis omnia, numen ama.

Inſontes infantes, ab Herode maſtati.

Inſontes animæ, quem vix hauſêre, cruore
Ora tyrannorum barbariora notant:
Sic roſa Vere novô, ſic lilia prima leguntur;
Sic avis è nidô tollitur ipſa ſuô:
Candida turba, animæ ſinceræ, pugnat inermis,
Et palmas, nondum vincere docta, rapit:
Cæde cruentantur corpuſcula, ſanguine ſtillant:
Lacte ſuô, fallor, candida membra fluunt:
Fronde coronantur lauri, jam vertice truncô:
Quæque caret pedibus gens petit aſtra ſuis:
Felices animæ, cæleſtes carpite palmas,
Truncatis manibus: ſit nova palma, manus.

Momma, ſanctioris gregis Paſtor.

Momma, decus Suadæ, Paſtorum gloria, Momma,
Os famæ meruit; Mommaque, ſcomma fuit.

Ca-

Cavillatio, quâ infectus ſanguine naſus dicitur; ſed cute tegente.

Neſcio cui dixi: manat tibi ſanguine naſus;
Sed caret, ut palpat, ſanguine naſus, ait:
Infectus certè eſt tibi naſus ſanguine, dixi;
Sed venis, tegitur qui cute ſanguis, ineſt.

Senex amator.

Hic, ætate ſenex, eſt factus cæcus amator:
Non ætate ſenex cæcus, amore fuit.

Ignis Hermeticus ſecretus.

Pan calamos inflans, digitis percurrit avenam
(Sex ſerva numeros) itque reditque viam.

Cupido, & Venus.

Parvus Amor Veneri (Venus eſt nam nidus amoris)
Incubat; & radiis pectoris ova fovet:
Emergunt pulli; pulli, gens nata, puelli;
Cortice perfractô, pipilat alter amor.

Pulchra citò pereunt.

Blanda colore roſa eſt, primô quæ Vere ſeneſcit:
Flos brevis ætatis: florida Vere cadunt:
Eſt formoſus honos violæ, quam tempora tangunt;
Tempora, cum violis, vix benè nata, labant:
Lilia floreſcunt; brevis eſt ſed gloria florum;
Tam citò nutat amor; vix quoque tactus, abit.

Defectus Solis præceſſit mortem Cæſaris.

Occuluit vultum, Mundi lux publica, Phoebus;
Occubuit Cæſar: Phoebus uterque fuit.

Nobilis glorioſus.

Centum atavos jactat, jactat mea ſtemmata clara
Gloria, fumoſâ nobilitate patres:

Non

Non imitabilibus virtute heroibus alto
Fama alas addit, queis ſuper aſtra volo.

Batavi undis undique cincti.

Oceani Batavi nos circumfundimur undis:
Vina bibunt batavi, non ſitit ullus aquas.

Tullius eloquiô inclytus.

Cui puero Græci ceſſere, viroque Latini,
Percolit extinctúm Mundus uterque ſenem.

Apes medicæ.

Mellificæ volucres, gens nectaris ebria rore,
Ebria purpureis, ambroſiiſque roſis;
Vos animam Floræ legitis, vos Veris odores;
Figitis & dulces, mellea tecta, lares:
Mel ſi virgineum vino miſcetur aduſto,
Virginibus (libent) menſtrua maſſa fluet.

Tumulus Tiberii Neronis,

Occubuit Nero cæde ſuâ; plorate tyranni:
Relliquias vobis ſanguinis ille vomit:
Barbariemque, animamque ſuis, fera dona, tyrannis,
Et gladium donans, Tartara dirus adit:
Æternaſque domos Erebi turbare laborat:
Dira Neronis adhuc umbra ſub orbe furit.

Virtus excolenda.

Primus es ingeniô, ſtudiô, pietate, labore:
Prima ferat virtus; omnia prima feres.

In ſenem nuptias meditantem cum puellâ.

Cypris amat Martem, Junonem Juppiter ardet,
Neptunus Tethidem, parva puella ſenem.

Invicta Machabææ matris, & filiorum ſeptem conſtantia.

Non ſolæ heroas matres peperêre Lacænæ;
Pugnaces genuit gens Solymæa viros.
Quot fratrum, Machabæa cohors, miracula vivunt!
Tot muri ſteterunt, urbs Solymæa, tibi.

He-

Heroina ſuos Atlantes luſtrat in armis;
Quos ſtupet ipſa; ſuos ut tueatur, adeſt:
Sic aquila, obtutu radioſo, fingit alumnos;
Erudit ad pugnas dux generoſa ſuos:
Illa ſui lacrymas alienô riſit in ore;
Deliciaſque ſuas funera tanta vocat:
Et matrem fleviſſe putas? Velut aſpera cautes
Flevit; ut immotus (ſic ſtetit illa) lapis.
Stat fratrum ſeptena Phalanx, animoſa corona;
Carnifices lentos ira, pioſque vocat.
Dum gemit, & querulum, quod torquet, bullit olivum;
Hic ſibi, quod plaudat, gens pice pinguis, habet.
Arguit elinguis, non mutâ voce, tyrannum
Lingua; tyrannorum purpura, lingua fuit.
Poſt linguas, palmam Antiochus formidat utramque;
Ne palmæ ſcribant impia facta, ſecat:
Dextera ſub ſtrictâ cecidit ſecura ſecuri,
Et retulit palmas palma reſecta ſuas:
Et trunci palmas, ad Olympica præmia currunt
Elingues fratres; quodque loquantur, habent:
Si pedibus careant, animus volat: addidit alas
Virtus, exuviis corporis orba ſui:
Septem igitur partus matrem finxêre, ſed illa;
Quæ toties mater, ſanguine martyr erat.

Aqua ex antliâ hauſta, vinô utilior.

Antlia pauper opes, non dulcis fontis avara;
Sed nec amara, ſuas, plus bibitura, vomit:
Antlia pauper aquas dat largas, divite venâ:
Qui bibiturus aquas, ebrius eſſe cavet:
Sunt meliora quidem, dicunt, hôc flumine vina;
Sed quia ſæpè nocent, utiliora nego.

Magnæ mentes gignunt amentes.

Magnificæ mentes amentem gignere gentem,
Ebrius ebriolos conſuevit, amator amantes;
Sic dominus famulos; aſinô mare, ſic equa mulos.

Æquali navis periculô, aut geminus, aut nullus Rector præsidet.

Navis, & æquali discrimine nauta laborat,
Si nemo, aut geminus vela, ratemque regat:
Nemo duos audit (mandant contraria) Reges:
Nec geminos Soles terra, nec astra ferunt:
Sic absente gregi magis est Rectore timendum:
Nam lupus ungue suô terret, ut erret ovis.

Sterilis thalamus est foecunda lacrymarum genitrix.

Errant, qui sterilem thalamum nil gignere credunt;
Foecundas lacrymas, pignora multa, parit.

Deus, faber est.

Nonne Deus, faber est? Tornat, quos condidit, orbes;
Inspicat montes; quos dolat, æquat agros:
Ædificat silvas; homines exscindit, & urbes;
Vertit & Oceanum, sidereosque globos:
Fundamenta jacit rerum, statuitque ruinas;
Et scopulos solidat, Tartaraque alta struit:
Turbinibus nubes, tonitruque, ac fulmine turbat;
Quis faber ille? Deus, qui regit astra Deus.

Colossus triumphalis Gulielmo III. Auriaco, magnæ Britanniæ, Scotiæ, Franciæ Regi erectus.

Cur vivat, quæris, qui stat, sine morte colossus?
Indidit huic vitam statuæ ingeniosa securis,
Virtutisque ictum; sensitque colossea moles
Fortunæ furias, ac fata tonantia ridet.

Nemo major, quam qui minor est.

Major eris cunctis, quisquis minor esse laboras:
Si postremus eas, tunc esse merebere primus:
Phosphorus es Solis, solis priùs Hesperus esto:
Quantulus es? Nullum si te, nil dixeris esse,
Tunc ingrandesces, atque omnibus omnia fies.
De minimis (fieri sic suevit) maxima surgunt.

Pueri-

Puericia hodie ſcelerata.

Quales eſſe ſenes dicam? Nunc ipſe magiſter,
In ludô ſcelerum, creditur eſſe puer:
Jam peccare puer, ſenibus quoque teſtibus, audet;
Et vitiorum Elephas eſt gravis, iſte levis.

Eliæ, prophetæ miracula.

Muſa audax, memora miracula prodiga Eliæ,
Teſtantur multa, & non muta oracula clamant;
Teſtantur Manes, animata cadavera ſurgunt,
Quæ portentoſô, redivivôque ore loquuntur.
Spirat adhuc, nec tanta ſilent opera ardua Eliæ.
Vivit in igne, igniſque ardet divinus Elias.

Nulla ſalus bellô, pacem te poſcimus omnes.

Mars odio eſt populis; paci damus oſcula cives:
Florida pax requiem, divitiaſque parit:
Mars mare claſſe vorat, vaſtat Mars milite campos:
Pax mare, pax terras vivere ſola facit:
Nulla ſalus veniet, quæ ſævis quæritur armis:
Pax portus, ſtatio fida ſalutis erit.

Cæcus orbitatem ſuam luget.

Luce carent oculi, nullos ſine luce colores
Aſpicio; cogor Sole carêre meô:
O noctis tenebræ, viſus ſolatia noſtri
Vos rapitis; ſplendent gaudia nulla mihi!
O Soles! O pupillæ! Mea flumina, fontes
Ex oculis, lacrymæ, currite; flere juvat:
Me nequeo flentem, ſolamen triſte, vidêre;
Sentio ſed lacrymas, nocte dieque, meas.
Dum mea damna fleo, mea lumina flumina fiunt;
Fallor? Ero lacrymis cæcior ipſe meis.

Puer pravis moribus corruptus.

Non eſt ſurdaſter, malè qui puer audit ubique;
Corruptus populi foetet in ore puer.

Sacramentum Deo dictum, religiosè colendum.

Res eſt ſacra, fides; res relligione colenda
Eſt ſacramentum; quod temerare nefas.
Fallere non curas, cùm juras, numine teſte?
Grande piamen erit, conſcelerare Deum.

In promiſſis vitioſis reſcindenda fides.

Pollicitis non eſt ſtandum, ſi noxia juras:
Non ſcelerata placet, perfidiæque fides.
Vota voves Divis, Divis quæ vota repugnant;
Non reus es: vota hæc diſplicuêre Diis.
Virgineum ſpondes, vel numine teſte, pudorem?
Dos, pudor, eſt cæli; cur aliena voves?

Adulatores Principum.

Mentiti circumvolitant regum atria fumi;
Sunt fuci, facit hos mendacis gratia linguæ.

Ebrius.

Pinguis ab occaſu, tempeſtas pinguis ab ortu
Imminet; en fluctûs ebrius ore vomit.

Ardea, accipitrem fugiens, Turnhoutino Brabantinorum magiſtratui, ſub nudô Jove coacto, ſe ſiſtit (veluti inſidias queſta, & opem implorans) vita donatur, & ſcutô gentiliciô.

Perſequitur pernix, rapidôque per aêra gyrô
Ingruit, & roſtrô prædam petit aſper, & ungue
Fervidior prædo: fugit acrior ardea, & hoſtem
Accipitrem riſura ſuum, temeraria caute,
Forte magiſtratum (cui juſtos cura tueri,
Perdere cura reos, mediô cum diceret æqua
Iura forô populo, & vitam petit ardea, pugnæ
Et liti diffiſa ſuæ: perterritus hoſtis
Avolat; & meritas veritus perſolvere poenas,
Non rediturus abit: culpæ inſons, judice teſte,
Ardea, cum tituiis inſignia, ſcuta, meretur.

Na-

Navis mari mersa.

Carbasa aquæ sorbent, rapuerunt carbasa fluctus:
Heu mollis, scopulis durior, unda fuit!

Londinense templum, ab incendiô restauratum.

Templa Deûm, sacra Vulcano, recidiva resurgunt;
Jam sacra sunt Vestæ, melioribus ignibus ardent:
Perpetui servent à fulmine, & ignibus ignes.

Romana superstitio ligna, & bruta adorat.

Truncus adoratur (miracula!) ligna loquuntur;
Ligna animant animas, oraque; Roma docet:
Roma tenax veri, mentiri nescia Roma,
Caudicibus vitam, stipitibusque dedit:
Hoc asini credant (asini si credere norint)
Fallor? An hæc asinos, numina bruta, colat?
Roma triumphales asinos, sua numina, adorat;
Hæc asinæ caudas, relliquiasque colit:
Diceris, & verum est, asina per compita vectus,
Nunc asinæ cedis, numine nate, tuæ:
Pontifices orbis, Romanum numen, adoret;
Præponunt vero ligna, asinosque Deo:
Tura, precesque asinis, & cultu supplice libant:
Nunc asini Romam, lignea bruta, regunt:
Est debellari Romanô fulmine dignus,
His asinis quisquis tura, precesque negat.

In portu naufragium.

Cymba subit portum; furit unda, feritque carinam;
Quam gerit unda ratem; naufraga, strage perit:
Debuerat, primùm jam discessura, sub ortu,
Sed non in portu, cymba perire suô.

Pontificii lampades Divis accendunt.

Roma, quid ante sacras accendis lampades aras?
Cæca deos quæris, quos facis ipsa, tuos.

Sacerdotes Pontificii Begginis convivunt.

Turba sacerdotum Veneri, sine conjuge, vivunt;
Furtivæ florem virginitatis amant;

Augebit Romam plebs proletaria; parvos
Pontifices gignet, ſacricolaſque novos.

Roma indies nova, vetus dici mavult.

Nunc nova relligio eſt, novus eſt Deus, & nova Roma;
Sed dici gaudet, tam nova Roma, vetus:
Roma vetuſta igitur novitas; nova, Roma, vetuſtas;
Utraque jam, dici quæ mereatur, erit.

Bruta Pontificum fulmina, ſolis Pontificiis metuenda.

Intonuêre altâ Romana tonitrua ab aulâ;
Contremuêre homines; fulmina ſacra volant;
Pontificis fulmen ſenſi, qui frigeo tantô
Igne; ſed hoc ſola fulmen in Urbe furit:
Fulmen in Urbe furit, non noſtrô fervet in orbe;
Quod Romana ſuâ noctua nocte timet:
Fulmina quis timet, & Salmonea grande tonantem?
Humanum tonitru eſt, fulmina ficta Jovis.

Nudi homines naſcimur, & nudi morimur.

Nudus in has terras vêni, nuduſque recedam:
Non bona, quæ teneo, me tenuêre ſibi:
Hæc teneat, quicumque cupit; contemnere dulce eſt;
Poſſêdi, tamquam cras moriturus, opes.
Vivere dulce mihi, fuit & mihi vivere acerbum:
Vita voluptatis, vita doloris erat:
Divitiis, & deliciis, vitiiſque vacavi:
Vita, bonum pejus, vitaque mite malum eſt;
Vivere virtuti, virtuti inſigne perire:
Virtuti nitor vivere, malo mori:
Qui nihil intuleram Mundo, nihil effero Mundo:
Cuique ſuum, & linquo (ſunt bona vana) meum.
A cunis propero, properavi ſemper, ad urnam:
Corpus habent morbi, gens inimica, meum;
Ad vermes iter eſt: fiam poſt pauca cadaver
Tempora: tunc dicent: vixit homo; ſed ubi eſt?

Vita

Vita vale; vixi, sed morti victima vixi:
Succumbo morti victima: vita vale.

De Meô, ac Tuô semper disceptabitur.

Sunt duo, qui regnant, domini, qui litibus orbem
Perpetuis perdunt, qui sibi, bella cient:
Hi bona cuncta tenent: dominatur uterque per orbem;
Dicitur ille Meum, dicitur esse Tuum:
Nonne Tuum gaudêre Meô lite urget, & ardet?
Et tibi, nonne Meum, vult rapuisse Tuum?
Bellua dira, Tuum; sed bellua dira, Meumque?
Quanta ruina, Meum, quanta ruina, Tuum est?
Arma, neces, lites, fraudes, incendia, prædas
Invexêre Tuum, dissidiumque Meum.
Hæ pestes, quod amentur, habent; tamen omnia perdunt:
Exsulet orbe Meum (pax erit) orbe Tuum.

In ardelionem, & aretalogum.

Hunc benè si novi, ardelio est, aretalogus audit:
Sed, qui cuncta, nihil dicit, agitque nihil.

In Bombomachidem jactatorem.

Promittis te nosse, idem posse ardua jactas:
Promissis fortis vel puer esse potest.

In Alexandrum Reuse, puerum olim, jam ducem agminum.

Nomine, parve gigas, & corpore jam Pygmæô,
Magnus Alexander (si modò crescis) eris.

Purgatorium, & Limbus, loca Pontificiis, non Deo nota.

Roma piis fingit loca plurima Manibus esse
Sub terrâ; sed quæ non loca nota Diis:
Multa caverna quidem sub humo est; tu fingis Averna
Plurima: Roma umbras (sunt loca cæca) cave.

Mulieres Pontificiæ, absente mare, infantes morientes baptisare jussæ.

Lustrali infantes morientes tingere fonte
Femina sola, virô deficiente, potest:

Id, nova Roma, jubes; animas ne ſorbeat Orcus,
Non tinctas ſacri fluminis imbre caput:
Femina jam gaudet fieri Romana ſacerdos:
Femina, Pontifices inter, Jütta fuit.

Infantes Pontificios, ſine baptiſmate exſpirantes, in paradiſum ire, docet nova Roma.

Jam, Paradiſe, pates, iratô numine clauſus:
Pandit & Eoas jam nova Roma plagas:
Hìc animæ ludunt, Adami crimine ſontes;
Excipiuntque Deûm ſcilicet aure melos:
Mira canis, nova Roma, & vix infantibus ipſis
Credita: credulitas impietate pia eſt.

Sacerdotes Pontificii ſcelerum reos abſolvere audent.

Peccat homo, Deus abſolvit, quem poenitet acti:
Numinis eſt virtus, ſolvere poſſe reos:
At modò Romanæ divina potentia cedit:
Quæ facit inſontes, voce favente, reos:
Roma gerit cæli claves; hæc pandit Olympum,
Fruſtrà homini claudit quem Deus ipſe reo.

Pontificii ſacramenta ſeptem venerantur.

Sacramenta colit (ſancta eſt amentia) ſeptem
Roma; ſed hæc atrâ tot ſacra mente colit.

In ſacerdotes R. ſacricolas coronatos,

Dote caret ſacrâ, pius impietate, ſacerdos
Romanus; renovat non renovanda ſacra.
Vertice detonſô gaudes geſtare coronam,
Calve; ſed o ſalve; calva corona tibi eſt.

Glacies ardens:

Andreas Brunner, Jeſuita, in faſtis Marianis, 19. die, Auguſti menſis, ita ſcribit: In reditu: (*Sebaldi*) apud Ratiſponenſes foco, cum ligna deeſſent, glacies inſervit, & adeò virtuti jam unda flammas præbet.

Ligna foco deerant: glacies (incendia!) flammæ
Pro lignis ſervit; quod magis urat, habet:

Un-

Unda micat flammis, nix ardet, frigus adurit,
Mota calore ſacro, frigida Roma canit:
Poſteritas, crediſne? Bovem peperêre locuſtæ,
Delphineſque volant; mel, ſcarabêe, legis:
Crede volare aſinum, & dare lanam, aquilaſque natare:
Raditur infanti barba, paritque ſenem:
Accipitres muſcas captant, mures elephantem:
Æthiopes nivei candida membra lavant:
Se videt in ſpeculô cæcus; leporeſque fugaces
Teſtudo, curſu præcipitante, præit:
Hoc ego, ſiqua fides, ad Græcas credo Calendas:
Nec, nova Roma, negas, incaluiſſe nives:
Ratisbôna videt glaciem & fervore calentem,
Sebaldum: glacies ſcilicet ignis erat

In turbatores pacis.

Unus homo pacem, populos convellit, & orbem:
Omnibus imperiis, ut dominetur, hiat:
Conſpirent Reges, animis concordibus, omnes,
Pax, orbis, populi, qui dominentur, erunt.

Pedemontani cum Francis ſanæ religionis exſules.

Exſiliô felix, vaga turba, relinque tyrannos:
Patria nil patriæ, barbara facta, tenet:
Ut te Roma, Deum ſic templis pellit, & odit:
Exſulat orbe Deus: tu peregrinus eris.

Mulieres ſint mulieres.

Non eſt ſorte ſua mulier contenta; virili
Enſe, togâque tegi membra, vir eſſe cupit:
Eſſe marem fingas; mas femina quælibet eſto;
Nulla trahet fuſum femina, nulla colum:
Quæ vivet proles? Pariet nam femina nulla:
Deficiet mulier, deficientque mares:
Quis tunc arva colet? Tellus inculta gemiſcet:
Mundus inanis erit: non erit ullus homo.

Invicta Jobi patientia.

Tartara vasta patent, damnati antra atra Draconis;
Cælicolas inter visus adesse draco;
Affaturque Deum: terras emensus obivi;
Sunt mea regna, inquit; terra hominesque, meum est
Cui Deus: est cæli cultor, mihi fidus Jobus;
Tenta age: tentavit; fidus Jobus erat:
Omnia perdiderat miles divinus; oves que,
Cum tauris, Stygius prædo, gregesque rapit:
Regales epulas inter, ventosa ruina
Involvit sobolem: regia quassa labat.
Horridus ulceribus Job totô corpore sordet:
Fallor? Et hoc corpus, grande cadaver erat.
Femina, cui luxus languente carêre maritô,
Quæ linguâ pugnax, probra nefanda vomit;
Fata viro suadet: linguam meliore retundit
Vir linguâ. palmam tanta ruina tenet.
Femina Tartareâ stipata phalange, movere
Si terras pugnet, non movet illa virum.
Quid? quod amicorum, validissima machina, certam
Probra? Tulit: rupes sic animosa stetit:
Tam malè mordaces plenum crudô ulcere mordent;
Et Jobi famam, post bona rapta, vorant:
Constat adhuc, totiesque suos hic verberat hostes,
Et lædit; quoties spirat, amatque Deum.
Hîc cæli plausus Mundi sonuêre theatrô;
Prælia qui vidit, præmia dante Deô:
Reddita bis patri sua pignora, regnaque Regi:
Auctior est damnis, quam fuit antè, suis.
Ipse suos cecinit, felici carmine, luctus:
Et calamô vivet, Dite fremente, suô.
Quis timeat Phlegetonta? Suis Deus arma ministrat,
Et bellator adest: quô duce, murus eris.

Mo

Non opus eſt Romam ire, ut ſis pius.

Impietas Romæ (teſtor Capitolia) regnat:
Non habitet Romæ, qui volet eſſe pius:
Nulla ſalus Romæ: crimen bacchatur ad aras:
Eſſe Deum parvi maxima Roma facit.

Amans amicam.

Delige, ſi quis amas, primùm; tum dilige amicam:
Sæpè ſed eſt amens, qui citò factus amans.

In mendicum.

Prodit egeſtatem facies, macieſque moleſtam:
In vultu ſqualor, pallor in ore ſedet.

In militem.

Ludere miles amat gladiô, quô lædere gaudet,
Audet & armatos enſe necare globos.

In paſtorem ovium.

Palantes paſtor fidus ne deſerat agnos:
Balantes lætô gramine paſcat oves.

Avium cantus.

Penniferas ales, quando volat, explicât alas;
Et modulis placuit, garrulus ore, ſuis:
Sæpè avium cantus divinus in avia ducit:
Sæpè viatori carmina blanda nocent.

Scelerata conſcientia, inquieta eſt.

Foeta mens diræ gravitate culpæ
Lancinat ſeſe, ſibi parricida:
Vultures rodunt Tityi medullas,
Crimine pingues.
Conſcius vivis ſceleris peracti;
Falleris, quiſquis nemorum receſſus
Abditos quæris; ſequitur ſceleſtum
Poena remordens.
Solus eſt nuſquam, licet eſſe ſolum
Se putet; nec ſe fruitur probroſus:
Impium produnt caput antra: lucet
Crimen in umbris.
Turbidos motus fugit inquietus,
Se fugit numquam: comitatur exſul
Mens ſuas umbras; patiturque luctas,
Non ſine luctu.
Deſerat turbas ſceleratus urbis;
Incolat lucos, ubi vivit horror;
Quam ſibi quærit, nimis inquieta eſt,
Silva quietem.
Exſulet tectis, patriâ relictâ;
Currat ad montes, Rodopen & Alpes;
Tranſvolet Javam, Antipodeſque; in umbris
Umbra ſequêtur.
Déviæ rupis retegent cavernæ
Turgidam mentem, furiâ latrante:
Nam ream clarant latebræ ſilentes:
Mens ſibi lux eſt.
Proditor fratrem jugulat Cainus;
Proditor poenas dedit innocenti:
Exſulat latro, loca ſola tectum
Non ſcelus abdunt,
Cun-

Cuncta quod produnt: animus, tribunal;
Sunt forum, silvæ; Deus ipse, judex;
Mortuus, testis; sibi, culpa, tortor;
Umbra, satelles.

Se timens terret, pavidus paventem;
Semper hic idem est, alius sibique:
Se fugit; totô sequiturque Mundô
Noxa nocentem.

Tuta sed nulli látebra est scelesto:
Nam malos torquet mala fors ubique.
Invenit tandem sua proditorem
Plumbea poena:

Carcerem primus sibi condit, urbem
Moenibus structam: ferit exsulantem
Pro ferâ Lamech pecudem nepotem;
Bellua vixit.

Non suis gaudet facinus latebris.
Non inquietus potitur quiete;
Spectra conterrent; patiturque larvas
Corde sub altô.

Quod timet, secum est; timet ipse sese.
Saltuum frustrà pavitat recessus;
Horret umbrarum latebras inanes,
Se magis horret.

Indias totas profugus pererret,
Invias terras, & inhospitales;
Ultio à tergô est: reus ipse sese
Non fugit umquam:

Criminis diri sequitur remorsus;
Et flagellantes equitem volantem
Terror, & curis sociatus horror,
Tergora pulsant.

Mens pavet mentem, trepidatque ferri
Fulgidi motu: varios timores
Dum sibi fingit, putat esse fulmen,
Arboris umbram.

Si

Si petat ſilvas, folii trementis
Territat murmur; ſtrepituque rami
Mobilis, pulſu, gravior tonitru,
Intonat auri.

Naviget; fluctus pelagus ſerenos
Sternat immotum; rea mens movetur:
Quilibet fluctus properat ruinam,
Ante ruinam.

Dormiat; ſaxô ſua membra ſternat,
Corde pulſurus miſerô tumultum;
Excubant umbræ, vigilant timores,
Excitat horror.

Dormiat; numquam rea mens quieſcit:
Mille terrores thalamum coronant;
Lancinant curæ vigiles medullas
Conſceleratas.

Carnifex mens eſt, Stygius tyrannus,
Conſcium pectus ſtimulis adurget;
Incubat, lumbô gravior, nocenti,
Viſcera rodens.

Anxius luctas patitur ſupremas
Spiritus, ſævis agitatus umbris;
Turbat examen grave toediorum,
Turba dolorum.

Pallidas Diras animus reſorbet,
Emedullatus propriis Megæris:
Clamor internus loquitur Meduſas;
Sibilat Hydra.

Vermis arrodit Tityum, cruenti
Vulturis paſtum: Stygii moloſſi
Corde latrantes ululant, vorantque
Viſcera dente.

Pungit incuſſus pudor, exprobratque
Erubeſcendos ſcelerum furores;
Mille tormentis, animum fatigat
Irrequietum.

Omn

Omne delictum furit in nocentes:
Cæta non ſtertit ſua culpa lectô:
Affident menſis? Saliente vinô,
Mens ſalit horrens.
Si ſatur noxis epuletur hoſpes,
Nauſeat menſas operoſiores,
Et laboratos epuli ſapores
Guſtat amarus,
Divitem nullus reputet beatum:
Tartarum totum cute ſub nitente
Anxius geſtat: dolet inter ipſa
Gaudia cantus:
Gaudiô crimen miſerô triumphat.
Muſa ſoletur ſcelus, Orpheuſque;
Orpheum turbat Nemeſis, ſonantque
Corda flagellô.
Impium pectus, ſuus eſt tyrannus;
Mortibus mortes ſibi machinatur:
Millies vivus perit: inquieti
Mortua vita eſt.
Candidæ pacis ſibi pollicetur
Aureos Soles, niveamque vitam;
Siqua pax animi eſt, inimica pax eſt,
Quæ ſibi pugnat.
Crimini, peſtis furioſa, vivas;
Sordidæ culpis cumulare culpas
Gloriæ vertas: tibi ſævus hoſtis
Tartara fundas.
Integer mentis ſceleriſque, rex eſt;
Qui ſibi, toti dominatur orbi;
Seque ſecurus fruitur, Deôque;
Cætera liber.

Maximæ

Maxima felicitas, ſumma infelicitas.

Quiſquis eſt felix, miſer eſt in orbe:
Phoebe, fons lucis, generas tenêbras;
Et procelloſum mare diſſerenat:
Alea miſta eſt.

Frángeris belli rabidô tumultu?
Pace reſpiras; inimica pax eſt:
Nam cinis, flammas ſubitas daturum
Occulit ignem.

Victor es bello? Citò terga vertis;
Quâ triumphabas, fugis ex arenâ:
Quô mari luſit, periit carina,
Merſa procellis.

Militas Marti, generoſe miles,
Militas morti: miſer, & beatus,
Quâ manu lauros, fera vincla geſtas:
Ferreus aurô es.

Gaudeat lætô Marius triumphô:
Gaudiis luget mediis Jugurtha:
Ille fert palmas, gerit hic catenas:
Gaudia moeſta.

Gaudium celat tacitos dolores,
Ruſticus vivit ſuus imperator:
Aulicus vivit? Scelus intrat aulam
Denique mentis.

Lubricus Regis favor imperantis.
Diſplices Regi, datur & placêre:
Quô places Regi pede, proterêris:
Hoſtis in aulâ eſt.

Nec facit regem diadema lætum,
Purpuræ fulgor, radianſque ſceptrum,
Et coronarum pretioſa gemma;
Cura, metuſque eſt.

Splendo

Unable to display this page

Melos Retrogradum ἀγνώστ.

Sumere tironem si vis, me norit eremus·
Jurem non animo, nomina non merui.
Aspice: nam raro mittit timor arma, nec ipsa,
Si se mente reget, non tegeret Nemesis.
Me tum animat rectè, me dem, & certamina mutem,
Si res una velit utile, vanus eris.
Sumere fatali vis si vi, lata feremus:
Seu temerè regnum emungere, re metues.
Ire diu, & timidè te, te dimitte videri;
Sevo Martè palam tot mala petra moves.
Se ledi feret ira pede, parit ere fideles;
Seva pedes animos omina sede paves.
Ire ut & ratibus si vis: subit arte tueri,
Si reperis, jures seruis ire, peris.
Serus ubi vanè sedes è navibus ures;
Seu rata vel agili liga levata rues.
Angere re tua res sedes? sera utere regna:
Sera animo subîce fecibus omina ares.
Irato ne geras unus à Rege notari;
Seu leder cautè, ne tua crede lues.
Angis? ad illa coi (tua cautio callida) signa,
Ære ullo parcas tot sacra polluere?
Ut satis atroci solo sic orta sit astu;
Seu ratio ceca pace coita, rues.
An jures sero Rufi furor esse ruina?
Telo sat celer, & sistere lecta solet.
Et penis inopes, jus vi seponis ineptè;
Si repares, ubi vi, civibus æra, peris.
At si re id ulla, sua laus alludier ista:
Te te pena malum æmula mane petet.
Id ne per atra palam sedes mala parta rependi
Jure decet imo fomite cede rui.

At

At caderet utri vis si virtute redacta,
Si utar vi, è pactis sit, cape jura tuis.
Sospite Rege, sine vi, si, venis, eger; & ipsos
En itera, i cives sevitia retine
Sic ima lux es ira laris, exul amicis.
Jura viden imo nomine diva rui?
O bruta i restaures, servat seria turbo;
Te nam (an jurares?) sera ruina manet.
At cape re defer sedes, re federe pacta:
Omina si verè dedere vis animo.
En operam ratibus des · sed subit, arma repone:
Aut aræ subige legibus æra tua.
Sana vel ora cave si seva, Carole, vanas
Res, i, morte pete perpete Petro miser,
At parêre decet, tedet recedere rapta;
Seu leves animi limina, seve, lues.
Ingeret ille pedes, a sede pellite regni,
Sera pares ubi de sedibus era pares.
En operata lues, sedes, seu lata, repone;
Ausa vel è regno congere leva sua.
Et si se retro feret; utere fortè, resiste,
Te uret, ati, ludes, sedulitare ruet.
Ire vacet, at se jam majestate caveri,
Si levata feret, sistere fata velis.
At semel ora cito, & voti, Carole, mesta,
Seve latro, tacito Gotica torta leves.
Sic i demisse, patiens ne ita pessime dicis
Jure miser & vi utere, si merui.

Versus & verba alternis versibus Consonantia.

In natalem Christi.

Magne puelle, jaces lectô, te stringit egestas;
Agne tenelle, taces tectô, me cingit honestas.
Æthera pax spernit, dux majestate tremendâ:
Sidera fax cernit, lux libertate verendâ.
Hic ædes, cænum, fit cælum, gramine fartum:

Sic ſedes fœnum, ſit velum, ſtramine partum.
Extundit fletum, luctum, Rex natus amoris:
Effundit lætum fructum grex gratus honoris.
Adde loco cunas, nudumque calore fovebis:
Subde foco prunas, udumque vigore movebis.
Aſpice gens dominum, nunc Agnum, numen, adora:
Suſpice mens hominum, tunc magnum lumen honora.
Stemma vetuſtatis generoſum ſpectat honorem:
Gemma venuſtatis numeroſum exſpectat amorem.
Unus adorato donat munuſcula vultu:
Munus inaurato deponat pluſcula cultu.
Divitiaſque ferant, quas noto fœnore fundant:
Deliciaſque ferant, has toto pectore condant.

Alii verſus conſonantes.

Vos anguis dirus triſti mulcedine pavit:
Nos ſanguis mirus Chriſti dulcedine lavit.

Serpentinum carmen.

Victor ovat, victor per prælia, præmia ſpectat;
Dum ſuperat pugnans agmina, Victor Ovat:
Victor ovat, parteſque inimicas cogit arenâ
Cedere: conſperſus pulvere, Victor ovat:
Victor ovat, lauroque nitens Capitolia ſcandit:
Plaude triumphanti patria, Victor ovat.

Concordantes Verſus.

Sol radios Sol ridet, auræ.
fundat terris, &
Nox tenebras Nox luget, umbræ

Alius.

gravat labor, qui frangit.
Membra defeſſa corpora
levat quies, quæ mulcet.

Alius.

ventus quas obruit
Accendit flammas, unda.
vinum quod temperat

Alius

Alius.

indurat terras, mitigat imber.
Si calor has
emollit ceras, frigora firmant.

Alius.

fluat flores, virtutis odores.
Ros in ſpargent
cadat vites, ſua germina mites.

Alius.

Cycnus flumen, cantuque in undâ.
amat exſpirat
Turtur ſilvas, gemituque in ulmô.

Alius.

ſi ſervetur, floret
Lex res publica in urbe.
contemnatur, languet

Alius.

pius, ſcandes, beatus.
Vive cælum viveſque
nocens, perdes, ſub Orco.

Alius.

audax ſequitur qui fugat
Dux præeat, grex hoſtes.
timidus fugiet territus

Alius

dives, ſed curis cinctus.
Sis vives, undique
pauper, ſine curis liber.

Prodiga dives, fundit,
res munera opes.
Indiga pauper, quærit,

Alius.

Ægri ægris veneno.
Vina bibant, ſunt vina
Sani ſanis ſaluti.

Alius.

Si Mars graſſabitur, ſternit.
per campos oppida
Si pax firmabitur, florent.

Correlativi verſus.

Prædator, miles, lictor, neco, ſaucio, macto,
Plebem, hoſtem, furem, fraudibus, enſe, cruce.

Sic legito præcedentes verſiculos: prædator neco plebem fraudibus: miles ſaucio hoſtem enſe: lictor macto furem cruce: ita etiam ſequentes verſus ſunt legendi.

Cæſar, navarchus, paſtor, rego, navigo, paſco,
Regna, æquor, pecudes, legibus, arte, thymo.
Pictor, amans, cantor, depingo, diligo, canto,
Corpora, corda, melos, artibus, igne, ſono.
Paſtor, arator, eques, paſco, colo, vincere certo,
Capras, rura, hoſtes, fronde, ligone, manu.

Sobrietas

Conſervat, roborat, auget, purgat
intellectum, corpus, divitias, animam
conſumit, debilitat, dilapidat, conſpurcat

Ebrietas.

Hic locus odit, amat, plectit, cuſtodit, honeſtat,
Nequitiam, pacem, crimina, jura, probos.
Grandævus, docilis, pius, egit, prætulit, emit,
Curſum, jus, cælum, tempore, lege, fide.
Hiſtoricus, vates, Rhetor, celebrat, canit, implet,
Geſta, ignis, aures, ore, lyrâ, eloquio.
Mors hominem, requies animum, monumenta cadaver,
Solvit dura, fovet grata, profunda tegunt.
Vt placuiſſe viris prudens, hoc tempore, miris;
Det, capiat, quærat, plurima, pauca, nihil.

Gradationes.

Poſt viſum riſus, poſt riſum profluit uſus;
Ex uſu tactus, poſt tactum, proſilit actus,

Poſt

Poſt actum factum, ſequitur miſerabile fatum.

Gradatio peccatoris per deſcenſum ad Tartarum.

Viſum ſequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem conſenſus, conſenſum opus, opus conſuetudo, conſuetudinem neceſſitas, neceſſitatem deſperatio, deſperationem damnatio.

Gradatio alia.

Prata Deus finxit, pratis Deus educat Agnum,
Agnum homini; ſed nos condidit ille ſibi.

Gradatio alia.

Parva latet ſcintilla foco, ſubſtrata favillis,
Scintillam mora, flamma moras, incendia flammam
Vaſta ſecuta; parit diram ſcintilla ruinam.

Scalaris gradatio,
ſive verſus, creſcens per ſyllabas.

Sol ſolus ſolidat ſolamina ſollicitorum
Sollicitatorum ſollicitudinibus.

Alia ſcalaris gradatio.

Te gentes opibus majeſtatem imperioſam
Collocupletabunt innumerabilibus.

Alia ſcalaris gradatio.

Vix virtus, vitio, vitiatur virginitatis
Vituperatorum vituperabilium.

Alia ſcalaris gradatio,
ſeu verſus creſcens per ſyllabas.

Mens conſtans, ſtabili firmamine, conſtabilitur,
Conciliaturis impenetrabilibus

Alia ſcalaris gradatio,
ſeu verſus creſcens per ſyllabas.

Vi via virtutis laudabilis anteferenda
Formidabilibus ſollicitudinibus.

Alia ſcalaris gradatio,
ſeu verſus creſcens per ſyllabas:

Cor Thracum rigidum ſuperabis calliditate,
Muſulmannigenis inſuperabilibus.

Alia ſcalaris gradatio.

Fons fluit illimi cryſtallinus integritate,
Manſuetudinibus lucrificabilibus.

Alia ſcalaris gradatio.

Rus vaſtant rapido populatu pernicioſi
Depopulatores anxietudinibus.

Alia ſcalaris gradatio.

Laus ducis invicti celebratur, poſteritatis
Commentariolis commemorabilibus.

Alia ſcalaris gradatio.

Si languet medicus, ſanabitur ingenioſus
Acritudinibus vituperabilibus.

Alia ſcalaris gradatio.

Vis pugnax periit generoſæ nobilitatis
Pentheſilæarum collacrymabilium.

Alia ſcalaris gradatio,
ſeu verſus per ſyllabas creſcens.

Flos lætus radiat, dulcedine verſicolore,
Oblectaminibus lucrificabilibus.

Alia ſcalaris gradatio.

Mars furit: audaces, formidine, congrediuntur,
Conſuetudinibus perniciabilibus.

Alia ſcalaris gradatio.

Lis fora perturbat, certamine litigioſo
Conſiliatorum commemorabilium.

Alia ſcalaris gradatio.

Mons Cyrrhæ tremuit, fundamine præcipitato,
Bellerophontæis anxietudinibus.

Alia ſcalaris gradatio.
In Hiſtriones.

Per ludos recreant juvenilem mobilitatem
Amphitheatrorum perniciabilium.

Alius

Alius, ſcalaris verſus per gradationem.

Rem, regnum, regimen, regionem, relligionem
Reſtauraveritis Relligionicolæ.

Degradatio,
ſeu verſus, decreſcens per ſyllabas.

Virginitatis odoratæ candore viret flos.
Imperioſus adorando ſplendore regit rex.
Officioſus inextincto fulgore micat Sol.

Gigantei verſus.

Terrificaverunt Otthomannopolitanos
Intempeſtivis anxietudinibus.
Debellaverunt Gratianopolitanos,
Terriculamentis, Carolomonteſii.
Depugnaverunt Conſtantinopolitani,
Opprobramentis illacrymabilibus.

Vox gigantæa una, per catachreſin ficta.

Inhonorificabilitudinationibus.

Monoſyllabicus verſus.

Dic: quid id eſt? Rex, dux, fons, lux, non nox: an hic eſt Sol?

Leoninum carmen, in Natalem Chriſti.

Naſcitur in caulâ rex cæli, dignior aulâ:
Rex jacet inter oves; regia turba, boves.
Ille Deus magnus, de numine paſtor, & agnus,
Quod puerile ſonat, rex ſuper aſtra tonat.
Cæleſtis partus mortales induit artus:
Nos ut ditaret, divite ſede caret.
Non eſt confectum, Superûm pro numine, tectum:
Quem neque terra capit, vilior aula rapit.
Excipit hunc foenum, tecti communis egenum:
Friget nocte locus: nec micat igne focus.
Non hic ſunt prunæ: fartæ ſunt ſtramine cunæ:
Eſſe vides gazam, pauperis antra, caſam.

Dum nix ſæviret, ſelegit, ut antra ſubiret,
Nec tanto Regi, nec ſatis apta gregi.
Faſciolæ ſtringunt, divinaque brachia cingunt:
Hac ſibi veſte placet, qui ſine veſte jacet.
Non dominus noſtro prodit ſpectabilis oſtro:
Arridet Regi, ſimplicitate tegi.
Non ambit vaſtum divina potentia faſtum:
Nos Deus (hoc clamat cultus egenus) amat.
Nec Superas ſedes, deſertas eligit ædes;
Vult habitare pares, indiga tecta, lares.
Sub pannis plorat: quia nemo numen adorat:
Fit gemituſque meo vocula prima Deo.
Ingemit in vili (rupes immunda) cubili:
In lacrymas plenas rex jubet ire genas.
Fortè puer moeret; quia ſub magalibus hæret?
Aut quod, ſi quis eget, numen is eſſe neget?
Straminibus foedis an membra tenerrima lædis?
Vox æterna taces, quæ ſine voce jaces?
Soli tantorum ſumus, heu! nos cauſa malorum;
Et tanti fletus eſt homo cauſa vetus.
Ah! nimium cari nos cur mereamur amari,
Pro quibus iſta geras, & mala tanta feras.
Nos fles ingratos homines. per crimina natos:
Nudus membra tremis: crimina noſtra gemis.
Solatur tantus te, qui ferit æthera, cantus:
Et tangit cælos, quod ſonat aure, melos.
Sidereas mentes, modulamina ſacra canentes,
Aligerûmque chorum cernimus ante torum;
Effundunt flores circum præſepia amores,
Spargunt formoſas ad ſua verba roſas.
Munera Paſtores nato dant ruſtica flores.
Defruta, mella, dapes quas fabricatis apes.
Admittit vultu placido puer aurea cultu
Dona: placet donum ſimplicitate bonum:

Brachiolis, mellis puer, excipit illa tenellis;
Porrigit hæc matri, dividit illa patri.
Parve puer, gaude: pastorum nascere laude.
Hæc divina specus continet omne decus.
Teque vel in pannis venerabitur omnibus annis
Et, qua turba solet sedulitate, colet.
Numen dicêris, rex cuncta per ora ferêris:
Te Reges quærent, qui tibi tura ferent.
Rex Regum totus mundo super æthera notus,
Orbe triumphabis, cui sua jura dabis.

Versus recurrentes seu reciproci. ex heroico Pentametrum.

Agros cultor aro non pigrâ sedulitate.
Sedulitate pigrâ non aro cultor agros.

Alius recurrens versus.

Patrem mente colo, quem probris exonerabo.
Exonerabo probris, quem colo mente, patrem.

Alius recurrens versus.

Librum scribe mihi, tunc lucrum suppeditabo.
Suppeditabo lucrum, tunc mihi scribe librum.

Alius recurrens versus.

Fabros sæpè juvo, qui pigros exstimulabo.
Exstimulabo pigros, qui juvo sæpè fabros.

Ex heroico accipe versum heroicum, præposterè recurrentem.

Mille tibi solvi nummos, quos reddere debes.
Debes reddere, quos nummos solvi tibi mille.

Alius versus heroicus ex heroico.

Hostis barbarus est, Romanis prælia movit.
Movit prælia Romanis, est barbarus hostis.

Alius

Alius heroicus verſus ex heroico.

Hoſpes perfidus es, detrectas ſolvere nummos,
Nummos ſolvere detrectas, es perfidus hoſpes.

Pro heroico verſu reddo pentametrum, & pro pentametro reddo heroicum.

Relligio pia nos ornat: fraus impia probro;
Perfida fraus, cautas hæc tegit inſidias.
Inſidias tegit hæc cautas, fraus perfida probro;
Impia fraus: ornat nos pia relligio.

Reddo ex hexametro pentametrum, & ex pentametro hexametrum, ſenſu contrario.

Judæus Chriſticolæ, & contra.

Impietas quibus eſt mendax, nec numina curant,
Noxia fraus illis, non fero Chriſticolas.
Chriſticolas fero, non illis fraus noxia, curant
Numina, nec mendax eſt quibus impietas.

Omnia peritura.

Præcipitat cita mors, finito tempore vitæ:
Omnia floreſcunt, quæ citò deficiunt.
Deficiunt citò, quæ floreſcunt omnia: vitæ
Tempore finito, mors cita præcipitat.

Laus & vituperium Cornelii Bontekoe, Archiatri.

Auxilio venit hic ægris: non ſanguine gaudet:
Vulnera tot ſanans, hic ſubit invidiam.
Invidiam ſubit hic, ſanans tot vulnera: gaudet
Sanguine: non ægris hic venit auxilio.

Felici, & infelici bellatori.

Magnificas tibi do laudes, non languida miſces
Prælia: cur virtus ſtet tibi dedecori?

De-

Dedecori tibi ſtet virtus: cur prælia miſces
Languida? non laudes do tibi magnificas.

De M. Tullio Cicerone.

Æneadas regit hic vindex, non Martia pugnat
Prælia: nam Latiis hoc fuit opprobrio.
Opprobrio fuit hoc Latiis: nam prælia pugnat
Martia: non vindex hic regit Æneadas.

De ſilvâ florente exciſâ.

Luxuriant modò, quæ frondeſcunt arbore ſilvæ:
Palmite truncantur, quæ citò floruerant.
Floruerant citò, quæ truncantur palmite ſilvæ:
Arbore frondeſcunt, quæ modo luxuriant.

Dialogus inter Religionis reformatæ cultorem, & Pontificium.

Relligio tua te perdit: ſic numina temnis:
Numina, tu rogitas quæ pia, ſubveniunt.
Subveniunt, pia quæ rogitas tu numina: temnis
Numina: ſic perdit te tua relligio.

Ex Pentametro redditur Pentametrum.

Auriacus decus, & pax nova Belgiadum.
Belgiadum nova pax, & decus Auriacus.

Pontificius ad Luthericolam.

Sacrum dico mihi, quod tibi duco probro.
Probro duco tibi, quod mihi dico ſacrum.

Ex Jambico verſu habeto pentametrum.

Diem, nitente ſole, complexu excipe:
Excipe complexu, Sole nitente, diem.
Deum, calente ture, Relligio, excole:
Excole, Relligio, ture calente, Deum.

Ex verſu Jambico accipe heroicum.

Látebris, probroſe prædo, ſilvarum abdere.
Abdere ſilvarum, prædo probroſe, latêbris.

Li-

Literæ retrogradæ.

Laus filii literarum ſtudioſi.

Pater, filius tuus frugi vivit, nec precioſius tempus; & pecuniam dilapidat: frequentandis identidem templis & gymnaſiis, non compotationibus comeſſationibus, venatui, aleis, ludis operam dat. Honeſtioribus ſcientiis vacare, quam otioſus vagarii amat. Propterea præmio, quàm ſupplicio potiùs eſt dignus. Eſſe dicitur integritatis flos, non vitiorum vorago; verecundiæ roſa, non libidinum fax; ſpeculum innocentiæ, non juventutis peſtis: candoris gemma, non honoris labes. Incumbere comparandæ eruditioni, non deſperatis cum ſociis ſatagit noctibus & diebus proterere tempus inutiliter. Exemplis bonorum proficiet, neque moribus diſcolorum Pravis, credo, totus corrumpetur. Commonitionibus ſalubribus & piis, non comminationibus & caſtigationibus animum juvenilem territantibus & frangentibus, excipere filium paternum in modum curato, & memineris eſſe pater.

Perlege præcedentes literas præpoſterô ordine, à fine recurrendo, & invenies vituperium ejuſdem filii literarum ſtudioſi, quem præcedente epiſtolâ, iiſdem omnino verbis laudatum legeris. hoc modo:

Pater eſſe memineris, & curato, modum in paternum, filium excipere, frangentibus & territantibus juvenilem animum caſtigationibus & comminationibus, non piis & ſalubribus commonitionibus: corrumpetur totus, credo, pravis diſcolorum moribus, neque proficiet bonorum exemplis: inutiliter tempus proterere diebus & noctibus ſatagit ſociis cum deſpe-

deſperatis, non eruditioni comparandæ incumbere. Labes honoris, non gemma candoris; peſtis juventutis, non innocentiæ ſpeculum; fax libidinum, non roſa verecundiæ; vorago vitiorum, non flos integritatis dicitur eſſe. Dignus eſt potiùs ſupplicio, quam præmio. Propterea amat vagari otioſus, quam vacare ſcientiis honeſtioribus. Dat operam ludis, aleis, venatui, comeſſationibus, compotationibus, non gymnaſiis & templis identidem frequentandis: dilapidat pecuniam & tempus precioſius, nec vivit frugi tuus filius, pater.

Echo, de Pace.

Mars *diras iras*, & cum *parma arma* reponit:
Patria, quæ pacem feſſa *reclamat*, *amat*.
Pacificus gaudet Mundus ſibi *vivere*, *verè*.
Pax ſignata venit foedere *grata*, *rata*,
Aurea pax Belgis properat bona *proſpera*; *ſpera*:
Tu, qui ſperatâ pace *fruêris*, *eris*.
Itur in exitium, dum bellum *ducitur*, *itur*.
Felix, quæ pacem patria *quærit*, *erit*.
Arva tument, multo conſtrata *cadaverē*, *verè*.
Mars populatur agros, gramina *lædit*, *edit*.
In Thraces bellum vis ut *moveamus*? *eamus*:
Bellona ad Lunam mox *proparabit*, *abit*.
Arva relicta labor Cereris *reparabit*, *arabit*.
Pace, novâ turget meſſe *novale*, *vale*.

Luſus in literâ A.

Laus Guilielmi III. *Principis Arauſionenſium, Ducis exercituum.*

Agglomerata acies, addenſans agminis alas,
Advolat auxiliis, arvoque affulget aperto:
Auriacuſque ardens animis, animoſior arte,
Auctoratus adeſt, arma aureus, aureus arma
Adfremit; auratis armis accingitur armos;
Armillas auri argentique Adamantibus aptat

Ar-

Armiger armatas animas ardoribus afflat,
~~Accenditque, acuitque artus, atque aſperat agmen:~~
~~Armipotens, acies animans, aſſurgit ad auſus,~~
Accenditque, acuitque arcus, atque aſperat agmen:
Armipotens, acies animans, aſſurgit ad auſus,
Attollitque alacres animos acerrimus arcu:
Antevolare actis aſtutior ardet. Anhelis
Addit amans ardorem, aut aggreſſoribus aufert.
Adſtrepit armiſonis, admurmurat acrius agger,
Arcubus alliſis, arma armis, æribus æra.
Auriacis acies alienas agmen adurget,
Attentanſque aditus, aditus abrumpit apertos:
Abjicit attonitos, ampliſque abſterret ab agris,
Arcet anhelantes atrocior ardor ab arvis.
Atterit adverſos, attritæ affligit arenæ.
Audet adhuc audax, agros affectat agreſtes:
Ambit adorandam æratis amplexibus arcem,
Arcem admirandis aſſultibus angit acerbus:
Arduus aſcendens, armatus acinace atroci
Attentatam aufert: alienam aggreſſor amicat:
Adverſantem arcas, aurique abducit acervos.
Applaudunt amnes, applaudunt altius agni;
Amnes allapſu, accenſis affectibus agni.
Applaudunt Aquilæ, atque applauſibus aſſonat aura.
Aurora Auriacis adventat amabilis: aër
Æthereæque animæ aſpirant albentibus alis.
Adſtruit artifices auguſto amor aulicus arcus.
Arbor Arauſionum aſſurgens argentea ad aſtra.
Auriaci auſpiciis accreſcit adorea avita.
Auguror æternum, Auriace, aſſociabis amorem:
Æternabis avos, atque accumulabis amicos.
Annibalem, auguſtumque anima admirabilis anteis;
Acris Alexandros armorum audacia adæquas.

JOH. DE BISSCHOP.

ECHO

IN

IGNATICOLAS.

JOH. DE BISSCHOP.

C H O

IN

IGNATIOLAS.

ECHO

IN

IGNATICOLAS.

Patres, Ieſu nomen ſibi arrogantes, furantur, urantur.
Eſt ſocietas ſuperba, famoſa, paſſim inviſa,
orbi fatalis, talis.
Patres quærunt gloriam ſui, non Dei majorem; orem!
Ignatium, hominem militarem Deo
aſſimulant, ſimulant.
Xaverium mentiuntur plures reſuſcitaſſe
mortuos, quàm Chriſtum; iſtum?
Qualia ſunt Xaverii miracula patrata? atrata:
Jactant eundem, exſtinctas vaccas donaſſe vitâ; ita?
Avancinus, audax Jeſuita, eum Chriſto etiam
comparat, parat, arat.
Ignaticolæ inſtituunt ſodalitates Marianas, Arianas:
Hoc vaframento allicientes ad ſe populum
captant, aptant.
Peccatorum confeſſiones, ſacerdoti faciendas
vociferantur; ferantur?
Frequentiore gaudent, quem inculcant,
uſu Sacramenti, amenti.
Permittunt virgines ſuas (ſues) indies
communicare, caræ, aræ:
Non propter Chriſtum; ſed Lazarum, & munera, æra.
Cui rei hoc nigrum Corvorum agmen militat? litat:
Quem in finem initiatur ſacerdotio? otio, io!
Ingueſcit alienis ſudoribus; interea ſubterfugit,
labores; ores!

Quid, quæso, agit frugi, si non laborat? orat:
Dum orandum est, matutino tempore, stertunt
negligentes, gentes.
Cui lucro jubentur, horâ quintâ matutinâ,
meditari? ditari:
Ditissimi sunt; tamen amant dici, mendicabulum
exsile, sile.
Non canunt nocte in choro; sed stertunt,
asinorum more, ore, re,
Videntur sancti Patres, Mundo mortui; sed
sunt exangues angues.
Qualis est Ignatianorum sociorum virtus? tus.
Detractio alienæ famæ, in societate istâ,
estne licita? ita;
Nec censetur esse flagitiosum hoc nefas? fas.
Ab iis pastoribus, impostoribus, docetur
juventus, ventus, tus:
In vitiorum scholâ docent magistri insignes, ignes:
Carent in castigandis discipulis moderatione, ratione:
In flagellando nimis sunt atroces tyranni, ac ferrei, rei:
Politicis, ac Senatoribus inprimis, passim
sunt invisi, visi
Olent ubivis locorum, potissimùm in Gallia, allia
Fugant cultores fidei & Dei, ipsi ultores,
militibus, litibus
Quos spoliant fortunis, vitâ; patriâ; atria, tria
Exosi sunt Parisinæ Sorbonæ bonæ
Lovanii, Venetiis, Romæ, ubique vapulant
severiùs, veriùs
Ejecta passim societas, irrêpit rursus, sus
Nullibi studiosiùs, quàm in Foederatum Belgium
irrépere sollicita, ita
Scilicet propter animas montium aureas, reas, eas
Suntne, exemplo Christi, inimicorum suorum
cultores? ultores, o res

Hc

Hoſtes ſuos atroci ſtylo calami ſtudent
confodiſſe, odiſſe:
Cum aliquem infamare ardent, quâ utuntur
fallaciâ? Latiâ:
Nam ejus vitam conſcelerant fictis
criminationibus, minationibus, nationibus:
Spargunt de eo mendacia impudentibus
commentis mentis;
Quem perſequentes, ut me, clam quærunt mactare, re;
Et hoc appellant ſacrificium Deo pergratum, ratum:
Interea infamem vitam ſuam occultant aſtuti, tuti.
Calumnias bonorum patiuntur Loiolicolæ
innoxii? noxii.
O ſi noſſent Ignaticolarum machinationes, nationes!
Jam jam toto terrarum orbe, ut Templarii,
eliminarentur, minarentur:
Et ad Orcum exterminarentur, minarentur:
Eſſet tunc in Mundo pax tranquilla, illa.
Quas ob cauſas in odio ſunt Monachorum? chorum?
Avertunt à Monachis plebem, templis
ſuperbiæ conditis, Ditis:
Jeſuitæ nolunt audire Monachi, niſi ob
hæredium ædium.
At cur miſelli Patres tot inimicis juratis, & iratis
gaudent? audent.
Audientes de Poſâ ſuo, pædore, pudore
conſtringuntur, ringuntur:
Scripſit is Jeſuita Hiſpanus de Chriſto impiè, ac
impurè; ure; re:
Examinabat Poſa, an Jeſus excrementa, in vitâ
degens, egereret? gereret?
Quem doctè refutavit Vocontius, pater
Dominicanus, canus:
Scripta Poſæ publicè ſunt in Hiſpaniâ
combuſta; buſta, ſta:

Iisdem flammis exuri omnes nigri Jesuitæ
sunt digni, igni:
Easdem cum Posa sententias clam adstruunt; ruunt;
In busta igitur, tot animularum busta, præcipitari
congruit, ruit.
Estne Jesuiticum dogma, ac vita secura? cura:
Præfervidi certè pastores sunt lupini ovilis vilis, lis.
Ardent impugnare Lutheriana, ac Calviniana
castra, astra:
Fovent in eosdem odium implacabile,
& execrabile, bile:
Quos ad internecionem persequuntur alacriter, acriter:
Conscientias cogunt per vim, & armatos milites, lites:
Damnant religionis tenaces ad mortem, ignes,
triremes, emes:
Proscribunt in exsilium innocentes gentes:
Consecrata Deo templa demoliuntur, moliuntur:
Disturbant conciones secretas, ac sacratas, ratas.
Conscientiæ libertatem tollunt carnifices
animorum, morum:
Invitos tormentis cogunt religionem Romanam
admittere, re:
Coguntne, ut errent, dum suppliciis
terrent? errent:
Catechisant pueros ferro fulgente, consonantibus
classicis, sicis:
Ille scilicet est mitissimus Christi spiritus, ritus:
Sed, an Jesus pueros ad se, virgarum
terrore, vocavit? cavit:
O rerum ignare, nescis Jesuitis multa supra
Christum esse permissa? Missa.
Frequenta catechismum Romanum, disces
dogmatibus Christi eruditiora, ditiora:
Nam tot sunt Romanæ fidei Bullæ, ut pastores
ipsi eas ignorent, orent:

In-

Infinitæ ſunt tam bellæ fidei Bullæ, Romæ à pontifice, diſſeminatæ, natæ;
Cur non omnes amplectuntur pontificiorum Jeſuitarum vexilla? illa?
Militant enim ſub lege ferreâ, & gratiæ militaris ducis ſignis, ignis:
Et Loiola, Jeſuitarum dux, fuit miles loripes claudi agminis. minis,
Qui omnes populos ad bellum, & arma ſuſcitavit, citavit:
Et ſub palliolo paupertatis, ſuos milites docuit prædari exuvias, vias.
O religionem ſanam, canam, ſanctam, reverendam, verendam!
Aiunt, ſe fidem priſcam, & canam per ſacras literas erudire, diræ.
Et hoc ſcilicet probant ex veteribus patribus, tribus.
Quos eſſe garriunt viros miros, & â Deo illuminatos, natos:
Quibus fidem derogare, eſt capitale, tale:
Patres hos in ſuam ſententiam trahunt nequiter, iter, ter:
Tunc clam de ſuâ fraude mirificè gloriantur, oriantur,
Et ovantes imperant, ut omnes aſini ſibi applaudant, laudant:
Id agunt, ut ab archityranno Capitolino æſtimentur, timentur.
Vah Ulyſſes ſubdolos, dolos!
Sic itur in exitium, dum omnis populus corrumpitur, itur.
Ah, quis tot animarum ruinæ occurrat pietatis antiſtes? ſtes:
Si te ſervet ſanæfidei umbo, dices, non ſuccumbo, umbo.

At quam rationem reddent Patres judici
supremo? premo.
Propâgant novitates, regum atque
armorum terroribus, erroribus:
Pervertunt quotannis in fœderato Belgio penè
bis mille animulas, mulas.
Quos ad ſuam fidem pertrahunt, mittunt
ſcilicet Antverpiam, piam;
Ne religionicolæ volvant, ſub tacito corde,
irarum fluctus, luctus.
Si tot animas ſoli Jeſuitæ perdant; quid
agunt lupi alii? ii?
In Fœderato Belgio centum quinquaginta
Jeſuitæ degraſſantur, aſſantur.
Urbes pagoſque miramur pontificiis
alienigenis ſcatêre; tere:
Heu, Loiola ſerit lolia nimis noxia, ac amara, arâ!
Avertat miſericors Deus tantam cladem à
noſtra Batavia, viâ!
Doctrina patrum ſcatet erroribus inauditis Di s:
Docent licitum eſſe, à privato vitam
tyranni vi auferri, ferri:
Propter hoc dogma Patres ex totâ Gallîâ
fuerê extorres torres.
Jeſuitæ non abrupêre Delphis Gulielmi I.
Auriaci vitam ferro, erro:
Nam tantum ſicarium, datâ pecuniâ,
ſubornavêre, ac abſolvêre, verè:
Hanc Principis cædem etiamnum lugent
Jeſuitæ ſicarii, Icarii, ii:
Nam, atratâ togâ adhuc induti, cæſum
hoſtem ſuum deplorant, plorant, orant.
Reſtrictiones mentales paſſim
ſparſerunt, arſerunt, ſerunt, erunt.
Probabilitates florent ſub Loiolitarum tutelâ, tela.

Scien-

cientiam mediam, damnatam Romæ, dolent; olent.
ıfſeverant non ſervandam eſſe religionicolis
fidem, idem.
gitur licet Jeſuitis omnes reſcindere
contractus, tractus, actus, tus.
Morientes Loiolitas omnes fore cælites,
aſſerunt ſerunt:
Si id probari vis, imaginem primi ſæculi
ſocietatis Jeſu conſulito, ito;
n quo libro fingunt, Jeſuitas omnes, in ſocietate
ſua exſpirantes, eſſe cælites, lites;
Neminem ſuorum damnandum, aiunt â Deo
eſſe revelatum, velatum, latum.
Anima Ieſuitæ damnati Cortraci Joanni Ipols,
in collegio apparuit, aruit, ruit:
Studioſè, & cautè celant hoc portentoſum
ſpectrum, ne infamentur; amentur;
Id tamen novit, quæ habitavit, in Cortraceno
Jeſuitarum collegio, legio.
Deſertores ſuæ ſocietatis, & me, Tartaro
adjudicant; dicant.
Quid fit Loiolicolæ, dicito, accuſato à
neſcio quo? ſcio quo:
Falſò accuſatus, ſine teſte, ſemper pœnas dat,
quas non meruit, ruit.
Innocentem Patrem Alphonſum Saraſam,
quam barbarè excepêre? cepêre:
Quâ pœnâ, in publico triclinio, tempore cœnæ,
eſt afflictus? flictus;
Flagellans laniavit miſerum, ac inſons
corpuſculum ſuum atrocius, ocyus:
Sic Lovanii plures, & Cortraci duodecim
ſimul ſe flagellavêre, verè:
Celant carceres ſubterraneos, ſeptos cratibus,
ac clathris ferreis, reis:

In hos carceres, à neſcio quo accuſatum ſine teſte, intrudunt, rudunt;;
In his antris nec lux, nec ignis eſt; cibus eſt panis; aqua, potus, o tus!!
Gemitus captivi exſibilant; precibus illudunt, ludunt::
Alloquium omne, ac ſolatiola quævis excludunt, ludunt..
Imò Samſonem captum crebrò excipit hoſtilis turba plauſibilis, ſibilis::
Superaddunt probra, cachinnos, ludibria, blaſphemias, diras, iras..
O Scythæ, & pectora tigribus barbariora, ora!!
Horror, diritas, barbaries incolit loca tam tenebroſa, & anguſta; guſta..
O umbroſa, profunda, ferrata, fætida, cavernoſa Averni, ac Tartarea, area!
Et erit, qui Jeſuitas tam truces Thraces, Patres appellat? pellat..
Nota, atque experta eſt mihi Loiolitica ſævitia, vitia;;
Cum hereſios inſimulabar à neſcio quo homine, omine
Detinuit me captum novem menſes, examinavit que Pater Manderſcijt crebrius, ebrius;;
Et ut me exſtingueret, araneum grandem commiſcuit appoſitis mihi cibis, bis..
Deprehenſô veneno, nolui veſci pane, niſi ab aliô, prægustatô, guſtato..
At cauſam meam impigrè egi Romæ, ut triumphum egerim abſolutus, ſolutus..
Tunc benè, imò (ſi diis placuit) malè valere Loiolidas omnes juſſi, uſſi..
Cum tam immanes, & inhumanas manus evaſi, conſulens mihi fugâ citâ, ita..
Jam Veras Valachrorum incolo, ex animo abjurato idolomaniæ errore, ore, re..

Diſ..

Diſce exemplo meo, minimè fidere, nedum
credere Loiolidis, olidis.
Nemo, niſi expertus, ſcit, quam vafrè norint
plebi imponere, onere, nere, ære, re.
Incredibilia fingunt impudentes, atque
imprudentes, rudentes, dentes:
Quæ (ita me ament Divi) alio graviore
volumine prodam, rodam:
Nam vulgabo hiſtorias ac facinora nova, mira,
perhorrida, inaudita, ita.
Tot novitates inauditæ ſuſcitant
tumultum multum, ultum, tum:
At quo in loco, prægraves excitantur turbæ? urbe.
Novitates fovent decies damnatas, Pontificum
ſigillis illis, lis.
At nihil pernicius, nihil perniciosius novitate; vitate:
Hi gerrones ſunt errones, qui temeraria docent
præcepta, recepta:
Receptâ à deceptâ, credulâ, leviculâ, ſcabioſâ
juventute, en tutè:
Quæ vel centies damnata, numquam deſerent, ſerent:
Ieſuitæ palinodiam canere, muſicam ſibi
injucundam, ignorant, norant, orant.
Clypei, buccinæ, buccæ inflatæ ſunt infulati
Romani papæ: papæ!
Sunt antiquatæ ſuperſtitionis vindices, indices, dices:
Innocentii XI. gratiâ fuere deſtituti, tuti:
Huic Romano Jovi clam, cum ab eo palam
fulminantur, minantur.
Sex menſes fruſtrà affatum Innocentii XI.
ambivêre, ivere, verè, re:
Ignatius ex omnibus aulis excuriandus eſt
meritò; erito, ito. o!
Quid fieret, ſi Romano pontifici pontifex Jeſuita
ſuccederet? cederet, ederet, et.

Cæ-

Cæderet Monachos, ederet mitras divites, vites,,
Devoraret orbem, crocodili, ac draconis ingluvie
inexpletâ, lætâ,,
Claves ac gladium Petri, piſcatoris annulum,
numquam reſignaret, ſignaret,,
Tunc ſemper eligerentur Ignaticolæ, Pontificum
ſucceſſores, o res!!
Tunc è Jeſuitarum virginibus crearetur nova
rurſus Johanna pontifex, fæx!!
Quæ nuberet Jeſuitæ pontifici tum
auctorato, orato, rato::
Imò tum permitteretur, ut uxorculas ſuas
ducerent omnes ſacerdotes, dotes;;
Qui in ſuis ubivis collegiis canerent impiè, Te
Deum laudamus, mus;;
Loiolitæ, Romæ monarchæ, ſupplantarent
regulos ſuperbo faſtu, aſtu;;
Collegia ſibi baſilica, marmorea, aurea
fundarent, undarent, darent,,
Præſtat eoſdem eſſe pontifices in
cavernis, Avernis, vernis.
Uſuſne eſt patribus ſacrarum literarum? rarum;
Corrumpit Dei verbum popellus is
plauſibilis, ſibilis, bilis, lis, iss.
Ajunt patres patrati, atrati, ſuis favere
partibus Paulum, paulum;
Quem ſectarii ii callidè trahunt in ſuas partes, artes;
Diſputant enim argumentis, argutiiſque,
plenis fallaciæ, acie;
Diſceptant, an infallibilis ſit pontifex
Romanus, o manus, anus
Perſequuntur Janſeniſtas, qui id negant,
odio funeſto, eſto
Quos ſuggillant apud pontificem calumniis,
& invidiâ hoſtili, ſtyli

His viris insidiantur, quos devovent miseris,
ac miris Diris, iris
Cur Jansenii, Iprensis episcopi, cadaver è
tumulo clam effoderunt? oderunt:
Patres Dekens, & de Cleyn, & Rentergem
effoderunt Jansenii corpus, pus:
Quod in agro, sub patibulo, condecoraverunt
honore sepulchri pulchri:
Eodem loco dignos sepeliri nos, religionis
sanctæ cultores, proclamant, amant.
Verè, per injuriam, odêrunt Jansenium,
dogmatis sanioris flumen, lumen:
Pater Franciscus de Cleyn, Antverpiensis,
fuit hostis Jansenistarum alacer, acer:
Quos debellare omnibus viribus clam apud
pontificem R. studuit impiger, piger:
Qui Jansenii, antistitis Iprensium, vitam ac
mores descripsit stylo immansueto, sueto;
Ea vita scatet injuriis, calumniis, mendaciis,
convitiis, vitiis
Bruxellas ex Galliâ transmissa sunt clam
numerosa scripta Jansenii, senii,
Hæc ex Archivo Bruxellensis aulæ, à Leopoldo
Archiduce, Patres emendicavêre, verè.
Ex iis scriptis putant patres, evulgaturos se
inaudita, ita?
Et hæc in præjudicium Jansenistarum,
quibuscum dimicant, micant,
Sed conscriptam Jansenii vitam tantisper
differunt publicare Patres, tres, res,
Donec aliquot Lovanienses Theologiæ
Doctores è vitâ decesserint, cesserint,
Cur? Ne Doctores hi eruditi refûtent famosum
istum libellum, bellum:

Eam

Eam cauſam eſſe unicam ipſe mihi Pater de
Cleyn clam detexit, texit
Iſte Franciſcus de Cleyn, Ieſuita fuit,
omnibus Ieſuitis inviſus, viſus, ſus;
Superbus ambitione, plagoſus, exoſus
tyrannus, humilis natalibus, talibus,
Qui evaſit Provincialis, per partes, quas
fovebat ſimultate, multate:
Ab eo, ſoli Antverpiæ nati, Rectores
inſtituebantur, tuebantur,
Aiebatque Antverpienſem gentem, præ
reliquis, dignitatum capacem; pacem!
Quales rexere Dekens, Rentergem,
Clein, Engel-grave, ave:
Rectoreſque, ſolos Antverpiæ natos,
regimini pares cenſuit ſuo, o!
Progrediebatur elato ſupercilio ac collo,
nulli placidus, acidus,
Intractabilis, implacabilis, inexorabilis,
plagoſus Orbilio, io!
Solo oculo, nutuque torvus, Loiolæos
populos regebat, egebat,
Ut Patres eminentiores incarceraret, cum
Patre Dekens conſpirabat, ſpirabat,
Patres Poirters, Villeenfæigne, Huver,
Boeregem in carcerem compegit, egit,
Annis ſeptem iſti in antro ſubterraneo animam
trahere ſunt compulſi, pulſi,
Fratres van der Speck[illegible], Haſenburg cum
magiſtro Lannoi captivi fuerunt, erunt,
Et erant innocentes, teſtis eſt Deus,
judex ſeverus, verus:
Nam ex invidiâ eruditionis animoſæ
detinebantur Patres capti, apti,

Pa-

Pater Villeenfaigne, ob ſententiam Ianſeniſticam,
catenis eſt revinctus, vinctus,
Quem, metu mei Patribus minantis,
ſolverunt vinculis conſtrictum, ictum.
Pater de Cleyn, hoſtis Flandrorum, inprimis
Bruxellenſium, dominabatur, minabatur,
Sed uni Sinnichio, Ianſeniſtarum coryphæo,
imparem ſe eſſe indolebat, olebat:
Is Lovanii anno 1666. à ſuis Theologis,
linguis laniatus eſt immanibus, manibus,
Diſcerptuſque probris, calumniis, ludibriis,
ac ſannis tam inſanis, ſanis,
Ut Antverpiam fugiens, mox mœrore
deſperans, deliranſque obierit: ierit:
Sic Pater, Guilielmus de Lands-heere,
Bruxellis detentus carcere, arce re,
De ſalute ſuâ deſperans, laceratis veſtibus, æſtibus,
Squallens ſordibus, infelicem animam
dæmoni dedit, edit:
Ob eam atrocitatem Patrum, plurimi è
ſocietate Ignatii abivere, ivere, vere, re,
Cum viderent tot inſontes opprimi jugo ſervili, vili.
Magiſter, Hermanus le ſage auratum calicem
clepſit extemplò templô,
Qui à magiſtratu captivus Antverpiæ,
Ieſuitarum dolo exemtus, emtus,
Militiæ nomen dedit, latrociniis vitam trahens
inter fures, ures.
Novi plures, quam triginta ſex, qui ſocietatem
Ignatii reliquêre, quære.
O Jeſuitæ, ſocietas veſtra non diu ſua cornua
eriget, riget!
Videntur Patres eruditi; ſed ſunt ſapientum
octavi, & ſtolidi, olidi:
Mentitam docent, impiamque pietatem, ætatem:

Au-

Audiunt, & ſunt vafri, fucati, perſonati, nati::
Deſipiunt; ſed decipiunt doloſis præſtigiis, Stygiis..
Perſolvendo precationum penſo, toti miſerè
ſunt præfrigidi, rigidi::
Suntne in exſtirpandis pravis, inveteratiſque
moribus violenti? lenti..
Vah crabrones, noctilucæ, loripedis pulli,
hypocritæ occulti, culti, ulti!!
Docent caſus pro amico, laxatis habenis, &
plenos diſcriminibus, criminibus::
Surripis alienam rem in neceſſitate gravi? non
furaris, aiunt Patres, tres::
Docent patres viam latam, ac ſpatioſam, qua
itur ad inferos feros..
Sunt ſectarum coryphæi, adulatores, buccones,
ludiones, gerrones, errones,,
Ventilatores pro concione narrare ſoliti fabellas bellas..
Audiunt rabulæ, ſcarabæi, viperæ, ſacri Bacchi
ſervitio, vitio, io!!
Tyranni, expilatores, ingenioſè verſuti, ſuti::
Probitatem adulterant, integritatemque
dogmatibus peſtiferis, feris..
Nobilis, doctus, & dives inter Loiolidas
admittitur, mittitur, itur::
Qui tribus his dotibus caret, proſcriptus
excluditur, luditur::
Nec ullum admittunt oriundum ex ſtemmate
Judæorum, eorum::
Excludunt à ſuâ ſocietate mendiculos,
pauperculos, egentes gentes;;
Admittunt tamen, ut intempeſtâ nocte, ſua virgines
ſubeant cubilia, ilia::
Cum ſuo Patre dormit, cujus reverenter
tangit, filia, ilia..

Inun-

Unable to display this page

Ut augeret Ignatianam familiam, infantes tres procreavit, creavit;
Id mihi confessa est ipsa villica anno 1669. peste laborans, oranss
Et quisquam putet Iesuitulas defuturos umquam in terra? erra
Hoc lepidum est; Patres bis fiunt in toro patres, tam re, quam nomine, omine
Et puella amatoria, facta est duplex homo; & sic redit âd hilares laress
Quia parturiens fit Iesuitularum (vitulorum, inquam) mater, terr
ô Societates, satietates inquam, amoribus plenas, lenas
Virgines verò (concubinas intellige) Patres suas vocare ardent Magdalenas, lenass
Lenonesque Patres, se leones appellare gaudent sine rubore, ore, re
Interea illi Patres castitatem Deo voverunt scilicet, licet
Cras credo, hodie nihil; mihi credito, ito
Pater Petrus de Schildere, Brugis in templo, devotam virginem procavit; cavit
Confessiones ejus excipiens per horas, hanc Venerem deperibat, peribat;
Exibat per posticum collegii noctu, ut viseret suam Helenam, lenam;
Quid autem cum illa egerit ille leno, vel leo, ego sileo, leo.
Peregrinabatur crebrò in villam Soetendaliam, cum fido socio, otio,
Judocus le Bacq alter, alter Petrus Pomaert vocatus est, catus est;
Uterque impigrè potare, ac procare norat, Paridis more, o re!

Pa-

Patrem Schildere lascivientem vidi cum villica, illicò:
dormiente villicô
Patri fatigato succenturiatus Pomartius Martius;
Hoc prælium nocturnum erat, villicô scilicet gnarô.
ignarô
Post menses novem ex utero prosiliit vulpecula, io!
masculus pusio,
Erat Patri de Schildere tam similis pupulus facie, acie;
Ut Magister Overbeeck, Iesuita, mihi diceret:
en imaginem Pictoris, oris;
Pictor noster Schildere ad vivum, alterum se
novit efformare, forma, re.
Amores illos nocturnos ego Superiori Guy set
declaravi, clara vi;
Qui jam viginti, & amplius annos floruerant, erant;
Pater, Schildere Alostum missus, intabuit
moerore, rore.
Frater Bacq, Cortraci exsul, mox inglorius periit, iit.
Centum, imò mille similes historias narrare
super sedeo; sedeo.
Cortracum novit, quàm malè frater Gulielmus
van de Male rem egerit; gerit, erit, it;
Defloravit mendicantis puellæ pudicitiam,
quam exoravit; oravit;
Cui largiebatur stipem lautiorem, ut
redderet florem intactum, tactum, actum;
Puellæ nolenti succumbere, leno vim
intulit impudicam, dicam.
Dimissus è societate, exclamavit, o quam
voluptas est brevis, vis!
Omnes Patres sectantur cum suis mulierculis
voluptatem noxiam animis nimis;
Omnia Iesuitarum collegia, Veneri sacra sunt
(per-lustra) lustra:
Ex regnante societatis libidine, tot sunt scorta orta.

Frater, Matthias de Meyer fuit Brugis luxurie famosus, amosus:
Nam coierat cum scorto, pectore amoris pleno: leno:
Dimissus est è societate in Venerem pronus, onus:
Sic Frater, Thomas Iourneel, dimissus est eâdem amoris fœdi causâ, ausâ.
Frater, Lambertus Engels, eliminatus fuit pedibus, ædibus;
Quia more meretricio sui corporis faciebat quæstum, æstum.
Frater Robertus Lammertijn ardebat his igniculis benignis ignis,
Donec fugiens societatem fuit cum mulierculâ rursus conjunctus, unctus.
Frater Henricus Wedts, Gandavi fugit ob copulam lucrosæ rosæ.
Sed Pater, Gulielmus van den Eeden insaniebat vi amoris indomiti miti:
Totos dies adsidebat mulierculis; quas, dum cupidine perfurebat, urebat.
Peregrinabatur cum illis, aperiens nudas flammas sui pectoris, toris, oris,
Quibus cruce signatis benedicebat, cum è thalamo erubescente surgebat, urgebat.
Pater, Albertus Raymaker, laxabat Cupidinis amator non parcus arcûs;
Ad Mechliniam in villa illa, nomine Ambrosia, osculabatur rosea ac decôra ora.
Fallor; erat amor furtivus, & cautus, & vocabatur sacer, acer:
Nam nemine mortalium consciô, nisi solô cum solâ, satiabatur suavi vi:
Prudentes sunt Patres, non diffiteor, in occultandâ Venere indomitâ, ita:
Laudo cautelam. nam dedecet palam meretrices titillare illa re:

Sed

Sed an non offendit Deum amasius, virgine
impurô oculô conspecta? specta.
Frater, Antonius van der Planken Cortraci
succubuit lascivia victus, ictus.
Eum in finem deserta Iesu societate, initô
conjugiô, Venerem amplectitur, plectitur.
Sed Antverpiæ regnat Venus, cujus gregem
detegere pudet, & pœnitet, enitet:
Istic Pater, Iacobus Damman, amans, amens,
fœtidus, ac fœdus hœdus,
Cum Patre, Andræa van Assche, nocte ægras
amore virgines visebat avidè, vide:
Cum ægrâ miscebant pocula, oscula, copulam,
nocte integrâ, ægrâ.
ô Solatia erga ægras animulas, ac pietatem
insignem, ignem!
Laudo charitatem societatis erga proximos,
& mirificè extollens prædico, dico.
Famosus ille Pater, Ioannes Ackerboom, quot
Antverpiæ historias dedit? edit:
Per suburbanorum hortorum villas, ducebat
exercitum scortorum, hortorum, torum:
Hic amabat torum; & erat flos amatorum, torum,
Diebus Solis, ubi catechisarat, cum virgunculis
ludebat lusoriis chartis artis.
Flagellabat virginem (ut Brugis Cornelius)
ut nudam conspiceret, iceret:
Effundebat in suas genas ac venas plenas
lagenas, genas:
Frater, Petrus Wils, ejus socius, ludenti,
flagellanti, potitanti aderat, erat:
Qui duo, cum virginibus duabus, sex hebdomades,
peregrinabantur pariter, iter:
Fessi ab itinere indies nocte concumbebant
quatuor in uno conclavi, clavi:

Sic quieſcentes, magis magiſque fatigabant ſe
luctâ Cupidineâ, eâ:
Tum virginibus Pater, nocturnam luctam Iacob
in angelum, commemorabat, orabat,
Et centum crucibus ſignatis benedicebat
concubinis, binis:
Id mihi utraque amatrix, & Frater Wils
confeſſus eſt ſæpius, pius:
Deperibat ex illis concubinis alteram idem Petrus
Wils nequam equam.
Pater, Adrianus de Wolf, ſucceſſit Ioanni
Ackerboom in amoris officio, io!
Ludebat chartis, flagellabat, potitabat, Venerem
colebat, olebat,
Cujus ſoror Leodio Antverpiam venit, ſub veſte
devotæ virginis, gravida, avida.
Frater, Maximilianus Daems, Brugis, Pharma
copôla Patrum (audire expetis? petis?)
Ad ægram villicam accerſitus, equum lepidulè
ita adornabat, ornabat;
Locô geminæ minimæ balliſtæ, clyſteris gemini
fiſtulas ephippio imponens, ponens,
His armis inſtructus Pharmacopôla, ad ægram
equitabat próperè, opere;
Villicæ tentans arteriam, pectus, ventrem;
laboras diarrhœa, exclamat, amat,
Vitello gallinæ pulveriſato bibitoque, mox
ægram perſanaſſet, ſi voluiſſet, oluiſſet,
Sed gaudebat ægram jacêre, Veneri magis
devotus, quàm Æſculápio, pio:
Ægrotæ per noctem aderat perſôlus continuis
curis, uris,
Perſanaberis, inquit Ieſuita, ſi, abſente viro,
uti cupis clyſtere medico, dico;

Re-

Reſpondit langens Pharmacopôlæ; clyſtere
gemino ſum contenta, tenta.
Clyſtere geminô in ſtillatô, addidit tertium,
ſed ſuum, Venereum, reum, eum.
Gratulor ſocietati medicos ſuos expertos, &
nocturnos Turnos,
Qui omnes norunt artem medicam expellendi
fœtum è vulvâ gravidâ, avidâ,
Quod remedium cum ſuis virginibus clam
communicant Ignatii filii ii,
Ne fortè ex ignaris prodeat, poſt menſes
novem, novum ovum.
Hinc Veneres venerantur, & venantur Patres
docti decoctique ingenii, genii:
At vos, o Patres, ægri nimis libidinibus
inhoneſtis, & inceſtis eſtis:
Regnat per totam paſſim ſocietatem Cupido
penniger, niger;
Qui bellum gerit in ſocietate Amor exitialis alis.
Omnes meretricis tricis irretiti, ſegni luxurie
diffluunt, luunt,
Quorum mollities impura exuit omnem
verecundiæ purpuram puram.
ô Quàm probroſum eſt, ardere religioſos viros
Venereis alimentis mentis!
Et illi Patres ac Fratres gaudent dici ſocietatis Ieſu
comites, ô mites?
Qui volutantur identidem in obſcœno cœno,
amore ſoluto, luto:
Quisquis adſcribitur Ignatii ſocius, ſtatim
inhæret amor in juvenis venis.
Sed Patrem, Ioannem Baptiſtam Goyvaarts,
nequeo tacitus præterire, ire:
Ille ſapientiſſimus, ac pientiſſimus Corvus, ad
Batavos miſſus, is ſus,

Fingebat ſe aſthmate laborare, ideò vino aduſto
ſemper eſt uſus ſus ,,
Diu inſidiatus caſtæ, formoſæque juvenculæ, non
tectâ favillâ, illâ ,,
Tandem & morbo, & amore ſimul languenti
dedit medicamen, amen ::
Pudet evulgare facinus horribile hominis,
libidine obruti, o! bruti ::
Quæris, quæ illa medicina fuerit laboranti, &
oranti ſalutaris? aris ,,
Imò ex aris depromta medela, ut curaretur
languida, angui da ::
Sacrum oleum ut caperet ægra virgo, Pater
injunxit, unxit ,,
At illa reſpondit: ſacrum oleum non licet mihi
tangere, angere ;;
Rectè ais, ſubdit Pater; ſed ego liberabo animum
tuum ſollicitum, licitum ::
Inungam ego membra tua infirma ſacro oleo ex
aris, ſi patiaris, aris ,,
Annuit imprudens dicam, an impudens, ut ungeret
membra invalida, da ,,
Pater, precibus fuſis inunxit oculos, aures, ubera,
pedes, palmas almas ,,
Præterea nolim dicere, quo loco inunxerit
virginem tenerrimam, rimam ;;
Nam, poſtquam haurire jufſerat, vini aduſti
copiam, piam,
Ipſe ebrius Pater inunxit ſacrato oleo ebriolæ
muliebria ebria ::
O pietatem Babylonicæ meretriculæ
ſalutiferam, feram!
Hoc facinus in Hollandia patratum ipſe Goyvaerts
mihi explicavit, cavit.

O me-

medicos Patres, qui ægrorum membra
miraculis curant, urant!
Qui his Romanæ Eccleſiæ miraculis detrectat
credere, eſto anáthema, thema.
Recitare poſſem, ſi placeret, talium miraculorum
volumen, lumen;
Sed, ſatis per ſe ſordidam ſocietatem, nolim
maculis aſpergere, pergere.
Ardeant hirci libidinibus, quantum volent, olent.
Nunc gaude, calame, & aude Ieſuitas meritiſſimâ
condecorare laude, a de;
Dic eos genio eſſe ſoſpitali, peri liberali ac
hoſpitali, tali:
Nam inhiant, ut ſtruthiocameli, non vili ferro;
ſed theſauro, auro:
Gaudent Paterculi corraſis undique opibus
immenſis, menſis:
Immanibus congeſti argenti maſſis ſunt
impeditiores, ditiores;
Sed identidem hiant tam inexſaturabiles, quàm
inexpleti, læti;
Ambiunt tamen, amantque dici pauperculi,
mendiculi, miri viri, Iri:
At plebs tam opulenta, an inopiæ eſt devota? vota:
Minima hæc ſocietas ſummam, ſed ſplendidam
percolit inopiam; opiam!
Scilicet eſt titulo, & nomine pauperies, non
onere, ære, re;
Struunt claudi ducis filioli ubivis invidenda
Principibus palatia, Latia.
Dégulant patrimonia lautiſſima, excluſis
hæredibus, ædibus;
Et comminiſcuntur, ſe nummorum vim
teſtamentario commodaſſe, aſſe:

Hæreditatis cauſâ aſſiſtuntne migrantibus ex hac
vitâ? itt
Alienis patrimoniis oneratur paternorum
ventrium graviditas; aviditaa
Sic depeculati ſunt patrimonium meum;
iniquus eſt raptus, aptuu
Saginentur ventripotentiſſimi meis fortunis,
pingueſcant, ut crepent, reperr
Patrum prima lex eſto, cautè ſapere; altera,
aliena rapere, ære, ir
In Foederato æratoque Belgio, quivis Pater
vorat familias mille, illle
Et legata, & donationes inter vivos, cum
ſummis nummis, iis
Quantum mendicati æris Antverpiæ in domo
Profeſſâ congerunt? gerunt
Reſpondeo, Patres quotannis corradere octoginta
millia aureorum eorurn
Quantum repertum eſt Amſtelædami in arcâ
Patris Tylingen exſtincti? tinctu
Reperta ſexaginta aureorum millia, magiſtratu
teſte; eſtet
Tantamque ſummam hæredibus magiſtratus
adjudicavêre, dicavere, cavere, vere, rec
Inanibus igitur manibus dimiſſi ſunt Patres ſine
hæreditate, ditatet
Eho, Amſtelædamenſes hìc naſutiores fuere
Patribus, tribus
Quaterdecies centena aureorum millia
Gandavi accepêre, cepêre, ære, rec
Teſtis ſyndicus Doedens, qui in archivo hanc
datam ſummam reperit, erit
Winoci Bergis ſexcenta aureorum millia his
numerata Harpiis iis

Sexx

xcentas quotannis libras Flandricas ex arcâ
publicâ Cortraci emungunt, ungunt,
eter eleemosynarum incredibilem
cumulum, mulum,
ui tamen Patres, census annuos, quadraginta
mille aureos possident, dent.
ter Meldert, ex pago ad Neomagum, annô
unô, quid abstulit? tulit?
etulit in Flandriam redux unum, & viginti
mille aureos, eos:
uod ipse Meldert Winoci Bergensis Rector
mihi confessus est, sus est.
nnô 1665. Patres jussi sunt Cortracenæ civitati,
quæ emunxerant, restituere, tuere, ere.
ssô regiô ad hanc restitutionem compulsi sunt
hi fures, ures;
enatores Mechlinienses Vader Zype, & Monchaut
rapinam hanc detexerunt, texerunt, erunt.
nummorum hirudines, quæ exhauriunt
sanguinem plebis bis!
rater, Clemens Verschoor, Jesuita, Amstelædamum
cur incoluit? oluit?
Loiolæ fraterculus, nummis foenori datis,
negotiatus est, otiatus est;
ummos ad usuram, duos in centum, accepit à
virgunculis suis is;
lis nummis lucratus quinque in centum, lucrum
Patribus vindicabat, dicabat;
rater, Jacobus Coornhart, avaro huic Clementi
successit in negotiis iis:
n, ignaro Pontifice Romano, Iesuitæ
nundinantur própalam; palam, alam.
iunt etiam ipsum Pontificem mitras quaslibet
vendere ære, re.

Ant-

Antverpiæ nobilem virginem Houtappeliam
insidiis obsedêre, sedêre, edêre, ære,,
Quæ sexcenta aureorum millia donavit Patribus
mendicis, di
Mendicantes Patres hanc stipem vocare non
erubescunt egregiam, regian
Interea generosi hæredes exclusi legitimâ suâ
portione carent, arer
Litigant frustrà hæredes cum societate, verius
dicerem, cum dæmone, mon
Loiolitis interea in sinu tacito clam
subridentibus, dentib
Emedullatum bellis Belgium, totamque
patriam prædantur avidi, vi
At malæ fidei possessio, cucullatis his cuculis,
non proderit, oderit,
Nam peribunt incendio tam agri, quàm malè
parta supellex, pellex, le
Cum agris simul, ac supellectilibus ipsi helluones
peribunt, ibun
Cogentur jure, quæ per injuriam rapiunt
tandem revomere, merè, æ
O Eucliones, ganeones, thrasones,
seductores, ductore
Et miraris in templis Ignatianis pompas
luxuriæ stupendas: penda
Rident, ac renident picturata laquearia,
lampades argenteæ, præclaræ ara
Nihil modestiam Deo amicam spirat, omnia
sunt fastus miracula præstantia, stantia
Mille de solido marmore candido columnæ,
centena candelabra argentea ea
Inauratæ cruces prodigiosæ, imaginosæ Rubenii
tabulæ, coloribus distinctæ, tinctæ

Pu

rpureæ infulæ, gemmis, argento, acu
operoſiore elaboratæ, laboratæ,
ɔera ad invidiam ſuperba, & ad alliciendam
plebeculam perpolita, ita,
namenta luxus dicam, an religionis ſanctæ
invitamenta? judices; dices.
ntverpia, aſpice in his templis ſuſpenſas
lacrymas inopum, opum,
c ſtipes, egenis debitæ, in perditiſſimæ
vanitatis delicias dilapidatæ ſunt, datæ ſunt,
, quibus oculis tremuli mendici ſpectant
hæc baſilica, ac profana fana!
ii ſub nudo Iove pernoctant famelici, ſeminudi,
ſemimortui, obſiti pannis, annis,
rent pane, Dei ſervuli, & miſeriis
intabeſentes plorant, orant,
nendicant ſolatiolum penuriæ ſuæ, &
repulſam ferunt importunam unam.
quo aſtu furantur Patres piarum muliercularum
marſupia pia?
i virgini uni communicanti ſex ſimul hoſtias
diſtribuunt perliberaliter ter:
Pater Adrianus de Wolf auſus eſt Antverpiæ
patrare ſæpius pius:
atulæ virgunculæ, quæ ſex ſimul Chriſtos
ſcilicet ſorbebant uno ſuo corpore, ore!
ɔpiam hanc liberalitatem lupi iſtius, imitantur
frequenter Patres reliqui, qui?
tres, Manderſcheit, Damman, Meerhout, van
Aſſche, Schildere, & multi ſtulti alii, ii.
um confeſſiones auriculares excipiunt,
procant puellas illecebroſas roſas;
deres hic ardentes nives, ac canitiem florere
Patrum antiquorum, quorum?

Poſ-

Poſſem nominare plures ; ſed dumtaxat taxo
vitia in genere
ô Quas animulas, bellulas, & quoties illigant
amplexibus Venereis, reis, ei
Lepidulè teneras illas juvencas, Patres uxorculas
ſuas appellant, pellan
Quas, dum communicant, appellant Ieſuitæ
materculas Chriſti alteras, tera
Ergò Patres, amatorculi Venerum clandeſtini
audire conſuevêre, ver
Ah quibus, & quàm blandis oculis aſpectant
tam ſuaves ave
Lenocinantur columbæ, capiunturque
blanditiis columbuli amatoris tori
Ineſcanturque á piſcatore Ignatio ſex hoſtiarum
conſecratarum veſcà eſc
Sub auriculari confeſſione garriunt, ganniunt
ganeones, juvenantur, venantu
Et architectantur voluptates Cupidineas, inter
clandeſtinos parietes, arietes
Ut decipiant ſimplices aſellas, contemtim vocant
oſcula imprimenda, menda
Aiuntque ; ſacerdotes in ſacro ſeſe oſculantur,
dum canunt, pax vobis, ô, bis
Equites ducis Ignatii, temonibus ſuis prominentibus
animoſius aurigantur, rigantur
In conclavibus ſolitariarum virginum baſilicè
equitant haſtati, parmati, armati
Arietant cornu, balliſtâque transverberantes
mœnia circumvallata, lata
Donec triumphet Cupido, & Venereus exercitus
debellatus ſit, latus ſit, tus ſit, it
Tunc muſicus Patrum chorus pæana concinit
Cupidini triumphatori tori

E

Et virginum devirginatarum echo gratulatur
flammarum victori tori,
Et exuvias manubiasque, & virginitatis laureas
aureas rapti floris consecrant imperatori, tori,
Tunc inter se plaudunt, & narrare gestiunt suos
amores, & somnia, omnia:
Virginibus, jam matribus, adhinnientibus
suis equitibus dilectis, lectis:
O Sirenes incantantes! o fuscæ muscæ! o
versipelles, ac veteranæ ranæ!
Pater, Antonius Guyset, Cortraci nocte puellam
conveniebat per scholarum aream, ream,
Tum sororculas tres diffaviabatur, virginitatis
conservandæ honore, ore, re;
Placebat virginibus procus, porcus, inquam,
luxuriosus, o sus!
Sed non diu placuit canus canis Charitum triadi,
& amori honesto, esto:
Nam illæ amorum Loiolæorum pertæsæ, Patribus
valedixere, dixere:
Eæ sorores vocantur Nequam nomine; sed reipsâ
sunt honestæ, & modestæ, este.
Ad excipiendas confessiones auriculares patres
sunt amantes, imò amentes mentes;
Sed auditas confessiones auriculares furtim inter
se propalant; audivi, divi!
Nihilominus expetunt confessiones illas in dies
avidius audire, diræ!
Quibus impiis coactisque confessionibus extorquent
massas argenti genti:
O Avaritiem sacrilegam; vindictam divinam
inclamantem, amantem!
Sed exasperatur Ignatius, sanctus vir, cujus
sacra avaritia censurâ tangitur, angitur:

Gratus advenit, qui vulturibus istis affert, & offert munera, æra:
Per Fœderatum Belgium passim nummorum vim expiscantur, piscantur;
Quam ad sua in Brabantiam collegia quotannis vehunt, bonis navibus, avibus;
Avehunt penè milliones tres quotannis ex civitatibus Fœderatis, æratis:
ô Quanta gazophylacia conspirantes monachi, onagri, è republicâ nostra auferunt? ferunt!
Sic ditantur pauperculi Loiolitæ, & prædones regnorum publici coronantur laureis, aureis.
Qui ad luxuriam ac delicias diteſcunt conditis Batavorum testamentis, est amentis,
Per Fœderatum Belgium passim possident Iesuitæ sub alieno nomine, ædes ac sedes, ædes:
Id interdictum est per leges, quas non curant Patres, Batavorum avorum:
Hoc mecum testatur Pater Iacobus de Vos, qui & Iesuitarum leges fuit professus, fessus.
Sed Gaudæ Patres deseruit, religionemque nostram amplexus percolit, colit.
In iis suis ædibus habitant plures virgunculæ; quem in finem non ignorant, norant;
Quæ Patribus suis filiæ serviunt per diem, & magis per noctem familiariter, ter.
Iesuitæ ad Indos navigant, ut sint mercatores ac piratæ, rate;
Fuitne Indis gratus horum torvorum Corvorum adventus? ventus? tus?
Agunt ultra Oceanum strenuè Ignatianos quæstus, æstus:
Piscantur in ora Piscariæ, attrahuntque aurum facundiâ magneticâ, ethicâ.

Quæ-

Quærunt non animulas perditas; ſed gemmas
ac coralia, alia!
Sinas Iaponeſque jugo ſuo ſubjicere perdiu;
noctuque adlaborant, orant;
Fruſtrà: noti ſunt illi doctores, & decoctores
plus aſinis Sinis.
Nonaginta novem Ieſuitæ, qui infidam in Japonia
fidem ſparſerunt, arſerunt
Quibuſcum utinam Corvorum illorum ultimus
eſſet ſuſpenſus ſus!
Non per incuriam, nec per injuriam exturbantur
ad orcum locuſtæ ex Africa, frica
Quia ſuperſtitiones ſuas apud Sinas ſpargunt per
matheſim, theſim,
Occultanteſque ſub togâ crucem; divulgant
reſtrictiones mentales, tales:
Chriſtum ipſum reſtrictione mentali uſum eſſe;
docent in academiâ e ſuggeſtu, geſtu.
Id in Lovanienſi academiâ publicè docuit me
Ieſuitarum Profeſſor Eſtrix, ſtrix:
Igiturne arguitur mendax, à Patre Ægidio
Eſtrix, filius Dei? ei?
Verè nihil audaculis Ieſuitis eſt ſacroſanctum;
profanant quælibet. væ, libet!
Miniſteriis, & myſteriis abutuntur ſacris,
magiſterio formidoloſo, doloſo:
Reſtrictiones illæ fruſtrà damnantur Pontificio
fulmine, minæ;
Quas perverſis argumentis confirmare conantur
per ſacras literas, iteras, teras.
At quâ fortè ſorte, in toto Belgio, ſors Patribus
ſecundat? undat?
Pelliciunt ad ſe adoleſcentes ſtudioſos, ac
virgines roſeas, eas;

Etiam molles, amabiles, affabiles, pecunioſas,
egregias decòre, ore.
Vix hominem in terris, præter Ieſuitas omnes,
ſalvandum declamant, amant:
Id ſtudioſis identidem inſinuant è ſacris roſtris, pro
concione Latinè perorantes, orantes.
Sic tyrones credulos ad ſui ſocietatem alliciunt
his Panicis timoribus, moribus, oribus.
Ieſuitas creant, quos norunt in ſcholis nobiles,
argutulos, opibus potentes, o tentes!
Quos palpant verborum lenociniis mellitis,
fucatis, nectareis, reis, eis;
Quibus perſuadent fore, ut in aulis, & à populo
magni æſtimentur, timentur:
Sic incautum me, & nimis citò credulum hi præceptores,
deceptores, deceperunt, ceperunt;
Teſtes Cortraceni juvenes plures, qui mecum
literis Latinis ſtuduerunt, erunt;
Magiſter noſter in dies nos periculis præſentis
vitæ territans ſeverius, verius,
Aſſeverabat ſanctè Mundo deditos omnes
damnandos ad cavernas, Avernas;
Ideò Rhetores plerique ad aſceteria, metu ſalutis
amittendæ, confugimus, mus:
Detectâ exinde fraude, quid mirum, ſi abierim,
ſocietate neglectâ? lectâ?
Sed quâ pellaciâ à virgunculis, ac idiotis extorquent
auri non parcas arcas?
Pietate ſimulatâ, fictâ inopiâ, meritorum
mercede, vanis promiſſis, Miſſis:
Incantant puellas nobiles, nubiles, mobiles,
credulas, niveas, eas;
Amant, quotquot vident; habent, quotquot
volunt virginum Adamantes, amantes:

Eligunt

Eligunt genarum lilia, frontis crystallum, oculorum aſtrum;
Soles, colli alabaſtrum,
In quarum ore blandè rident, colluduntque oſculis;
Venerum Charites cum floſculis,
Cum gratiæ lepidæ per floridos amœnæ frontis litant;
honores volitant,
Ejuſmodi eligunt Amaryllides, quæ canunt vitate;
luſciniarum ſuavitate,
Quæ emolliunt, illecebroſi amoris inſidiis, pectus;
Patrum aſpectus,
Et ocellorum arcu, telo norunt collineare, ad cordis;
centrum excordis
Ac ſpicula emittunt, non veneno; ſed philtro, ita:
& ambroſiâ illita,
Quæ non vi; ſed uno intuitu tacendo tonat virgo; urat;
& loquendo fulgurat,
Quæ Veneribus, non vulneribus præliando adit;
invadit,
Et corculum amicum obſidet, expugnat, triumphat, aciem:
& fugat animi glaciem,
Sine voce perſuadet, ſine vi vim affert, immutat Stygiis;
ſine præſtigiis
Sine catenis illaqueat, dum amplectitur certis;
lacertis
Et vidiſſe, viciſſe eſt, dum eminus pupilla micat;
dimicat,
Cujus frons, amoris ſerenioris fons eſt; & tela:
formæ nitela
Quæ quærentium oculos non eludit, ſed amantem ludit:
in ſinu concludit,
Tales Livias diſpereunt Patres, ſpecioſæ libidinis vitate;
proclivitate,
Quibus obſcoenum voluptatum cœnum eſt amanti:
cælum Rhadamanti

Vis, ut enarrem Patrum in amoribus fœdis
amentiam ſupremam? premam.
Pater, Joannes Batiſta de Viſſchere navigat in
Hiſpaniam, quæſiturus Galateam alat eam,
Gadibus ab Inquiſitoribus cæſus eſt virgis ob
meretricios amores, mores:
Nam repertus eſt hic Sardanapalus in
lupanaribus naribus:
Pater, Matthias Schweytzer, id mihi faſſus,
Ieſuitas dimiſit, it.
Pater, Petrus Gerſen virgines ſuas nudas cædebat
in agris flagris, agris;
ô Quale ſpeculum, ac ſpectaculum, videre
virgunculas pulcherrimas, rimas imas!
P. Ægidius van der Beke quos, amabo te,
compoſuit libellos? bellos?
Erant libelli (pace veſtra dixerim) pleni
emblematibus ſtercoreis. reis, eis:
Addiderat hoc Virgilii lemma: gratum opus
agricolis, colis:
Quos puriſſimos libellos is collegis ſuis
prælegere ſolebat, olebat:
Ille nequam erat Provincialis creatus inter
Ignatii collegas, legas:
Qualis rex, talis grex; qualis vita, finis ita;
reſpondet Ieſuita, vita, ita.
Poſſem, ſi vellem, viginti, & plures Sodomia
infectos infelicitare, citare;
Quia Jubilæi tempore Sodomias ſuas quidam
mihi confeſſi ſunt cum gemitibus mitibus;
Sed ſilentiô, conſulam honeſtarum familiarum,
mihi familiarium, honori, ori.
Cogitent honeſti viri, ſi tot ac tanta unus ego
Patrum facinora novero, (o vero!)

Quæ

Quæ coram Deo, cordis mei inſpectore, ac teſte,
refero candido calamo, amo;
Quid univerſæ ſocietatis Jeſuitæ norunt; &, ſi
auderent, poſſent revelare? velare?
Aures arrige; pejora prodidit de Gallis Ignatii
deſertor, Iarrige, árrige:
Peſſima Hiſpani, perhorrida Itali Patres patrare
ſe indies gloriantur, oriantur.
Ecquis Cortraci, anno 1663. accumbens menſæ,
in lances vomere viſus eſt? ſus eſt,
Fuit Magiſter, Balthaſar Engelgrave, quem
honoris gratiâ nominare volui, olui;
Certè olui ſemicoctam placentam: accumbebam
enim inter convivas; (vivas!)
Frater, Balthaſar Merendonk Antverpiæ, totus
potus, vino lotus, ac perfuſus (ſus)
ê Feneſtra nocte proſiliens, cervice fractâ,
exhalavit animam temulentam, lentam,
Exclamans, ſe unico ſaltu cælum Ignatii
ingredi, redi.
Quid evênit Ruremundæ Magiſtro, Iſaaco
Beyaart, ejus collegæ? lege:
Is cum magiſtris à toparchâ hoſpitaliter exceptus,
ebriuſque foris, is,
ê Feneſtra nocte prolapſus in aquas coronantes
domum, ſubmerſus fuit, ſus fuit
Evax, Ieſuitæ ebrioli, feſtivi ſunt choragi;
amant ſaltare, altare.
Fratres, Nortbertus Collaart, & Jacob del
Vaal equitare voluere, oluere,
Uterque ex equo lapſus, diu raptatus eſt
à cornipede, pede.
Pater, Andræas Loſſon ebrius, apoplexiâ
corripitur, & interit, it.

Occurrebat prurienti equæ, caballo vectus, colonus, onus!!
Equâ vehebatur bene potus Pater, Joannes Vrammout, Belliolanus, anus,,
Caballus lasciviens inscendit equam, deturbato pigro, nigroque hippiatro, atro::
Speculabatur eminus Iesuita equinam comoediam, tacita lascivià viâ::
Equitare identidem inardescunt Patres seu die, seu nocte effreni, & efferi, feri..
Pater, Petrus de Coninck, Brugensis, solemnis mulierum amator dici expetit, petit,,
Cujus barba rufa, ut scortis placeat, indies ab ancillâ plumbeô pectine discriminatur, criminatur
Ego cum Patre Bierens, è Patris Koninck cubiculô, clepsi hunc pectinem plumbeum, eum,,
Hic amasius virgunculas promiscuè devirginat, ut multiplicetur Ignatii sanguis, anguis;;
Non novi taurum magis Venereum, arietantem petulantius cornu furenti, urenti..
Et putas in terris unquam defuturos Ignatii filiolos succedaneos? eos?
Agunt cum mulierculis illi Hercules diu, noctuque citra discrimen, crimen::
Fingunt se, impiè pios, ægris feminis per noctem adesse; se!
Tunc ægras amoribus virgunculas amatorculi isti deflorant, orant;
Quas devirginant amasii ebrioli Cupidineo furore, rore, ore, re
Profectò leviculæ adolescentulæ non sunt virgines illibatæ, libatæ, à te
Has tamen appellant Patres, devotas Deo famulas, mulas
Etian

Etiam Christi sponsi sui sorores, materculas,
consanguineas, sanguineas, anguineas, eas:
Adde & Patrum pedisequas, equas;
Sed, ut candidè loquar, sunt mancipia dæmonum,
servilia, vilia;
Quia Venerem venerantur, & venantur
adulteram, teram;
Quæ est mater obscoeni Cupidinis, & nuda,
impudicaque Cytheræa, rea, ea.
Patres inhiant opulentioribus mulierculis, &
marsupiis, piis;
Qui fascinant has Orci porcas incantamentis,
deliramentis, velamentis amentis mentis:
His fraudibus, coguntur Patribus stultæ filiolæ
aperire suas miserrimas rimas:
Sunt & fornaculæ ardentes, & viri
effeminati, nati:
Clandestini mulierum omnium viri verè
prædicantur, dicantur;
Id novit Deus, qui secreta cordium
perscrutatur, utatur;
Hic vindicabit lascivias illas intempestas: tempestas!
Erit tempestas fulminum, & divini
furoris, roris, oris.
Viduæ, & virgines Patribus testamento legant
suas copias, o pias!
Quas mortuas fingunt annuere capite, ite:
Id Bruxellis contigit dominæ, toti urbi notæ,
exstinctæ, tinctæ;
Et quidem ante annos quinquaginta, teste totâ
civitate; vitate:
Cum id exprobrant cives Patribus, suffunduntur
pudore, ore.
Certè ardent Jesuitæ mirifico, ac incredibili
mulierc ularum amore, more, ore, re:

Omnes hi sunt amoribus virgineis, id est,
Venereis capti, apti:
Imô Jesuitas, libidine infectos masculâ
Pentapolitanâ, novi, vi;
Nam hoc flagitium, mihi in auriculari confessione,
ipsi fassi sunt, assi sunt;
Clam luxurie libidinosi Patres, palam amant
pudici, dici;
Sacrificant Patres Cupidini, amori divino, vino:
Liberalius Cereri, & Baccho indulgentes gentes:
Celebrant Bacchanalia quotidiana, Saturnalia,
Liberalia, alia;
Vivunt Hilaria, celebrant Floralia, Orgia,
Vinalia, alia:
Inflati vento ventres, & Bacchico
tumore, humore, more, ore, re:
Curandæ cuticulæ, & abdomini laborant
indefessi, fessi:
Exercitus cauponum, & caponum vix sufficit
singulis gulis.
Patres, magistri artis sympotiacæ, ac symphoniacæ
quas docent regulas? gulas:
Prima lex esto, largè bibere; altera, perjucundè
vivere, verè, ære, re,
Tertia, parasitari inverecundè; dapinare cibum
opiparè, & hospitaliter, taliter:
Quarta, comessari pollucibiliter, sine modo potitare,
sine curis sertere, tere:
Quinta, rapere audacter quævis, & caventes
leges abolêre, olêre:
Postrema, in salutem Divi Ignatii, ac devotarum
virginum, ebibere pateras, teras.
Patres (evohe!) plenis culinis, ac integris caveis
saturantur, urantur:

Ju-

Juris periti illi ſtudent farciendo
abdomini, domini, omini.
In pateris Patres, ac patinis liquidius
diſputant, ſputant, putant.
Epulones exgurgitant pocula, plenis venis, ac
lagenis, genis.
Emedullant ebrioli ampullas exundantes
muſto, uſto.
Amphoras doliares exſugunt trium ventrium, trium.
Lurcones delectantur poculis, foculis, joculis, &
inprimis loculis, oculis;
Imò oculis, & oſculis blandiloquentularum
formarum, & pulchrarum: rarum!
Dum epulantur, poſt horam ære ſignum dant
menſæ abſolutæ, ſolutæ;
Tamen pergunt menſæ accumbere, identidem
vorando, oran lo:
Ære, inquam, publico dant ſignum, ne, convivari
leſuitas, externis ſuboleat, oleat.
Accumbentes menſæ leſuitæ numquam colloquuntur;
degulant tam avidè; vide;
Menſa indies ſub prandium ac cænam, vino fervet
generoſiore, ore, re;
Prandia grandia, lætitiis optimis, & lautitiis
opimis ſtruunt, ruunt:
Quavis hebdomade, ter convivantur egregiè; regiè,
Et quavis hebdomade prodigè, & opiparè dapinant
in ſuis villis, illis, lis:
Saltant, cantitant, comeſſantur, cyathiſſant,
vinâ coronantes, nantes,
Celebrantes genialiter Bacchi funebria ebria.
Tunc rixantur, præliantur, vomitant ut
ſordiduli nefrendes, frendes;
Titubant, pergræcantur, heiluantur, linguâ
tardeſcente, ardeſcente.

Convivium unum, dic amabo te, quot lancibus
turget? urget??
Perſæpe triginta, octoginta, ſæpius centum
lancibus, mihi credas; edas::
Epulum vulgare ducentis, etiam tercentum aureis
valet, alet..
Numeravi crebrius, pro uno convivio, tercentum
lances inſtructas, ructas::
Antverpiæ, per annum ſæpè, epulo uni ſexcentos
expendunt aureos, reos, eos..
Houtappelia quotannis ſolebat adornare convivia
tam celebria, ebria::
Etiam Bruxellis, Lovanii, Mechliniæ, Ruremundæ,
Gandavi, & alibi, ibi;;
Item Brugis, Ipris, Cortraci, Donkercæ, in Divi
Ignatii tricliniis, iis::
Profectò pater veſter Ignatius vos ſuos filiolos
fovet delicatè, catè;;
Vos ſaginaus, ut capones, & porcorum
greges, Reges, eges::
Mendiculi interea ſordiduli, ac pauperculi fame
pereunt, eunt;;
Et vos degulatis capones, cervos, apros, nefrendes
oſtrea, ea;;
Turdulos quoque, & lepuſculos, phaſianoſque, ac
perdices, dices..
Hauriunt Rhenanum, Gallicum, Ibericum,
Canarinum prædivinum vinum::
Ita vino ſe ingurgitant omnes, ut jaceant porculi,
vino egeſto, ſemiſepulti, pulti::
Prægravi crapulâ heſternâ ſtupent inertia capita,
vino obruta, bruta.
Sic conſumuntur ſtipes, in mendicantes, omnia
poſſidentes, erogatæ, rogatæ,

Et

Et eleemosynæ civium, vidua.um, virginum
innocentium, nocentium:
Hæ tam copiosæ phagonum phalanges emedullant
populares, lares.
Patres sanè gaudebunt cælo pro mercede, cede, ede:
Sed an podagricorum elephantum agmina cælum
scandere poterunt? terunt:
Cui igitur apto loco Patres tradis, ut commodius
jaceant conditi? Diti.
Sed ebrietatem per se esse tantum peccatum veniale,
Jesuitæ clamant, amant:
Ergò abomni vinculo excommunicationis à cælo
merentur absolutionem, solutionem.
Cælum igitur possidebunt cum Patribus semper madidi
anates, & anseres; seres.
Sed quo loco cælum suum sunt reperturi? quo sunt
gavisuri? visuri?
At de cælo securi, excitant epularum tempestates
perjucundas, undas;
Et in terra siccâ vappæ patiuntur naufragium
hilare, lare.
Perdicum, caponumque reliquias objiciunt canibus,
& felibus, ne infamentur, amentur.
Nam malè audiebant, cum analecta mensæ
lauta dabant mendicis, dicis.
Cum jejunant, bibunt manè calicem absinthii
alterum capacem; pacem.
Cui superaddunt alterum, & alterum bolum
panis, ne potus noceat, eat,
Omne liquidum non violat jejunium, docent
inter pocula Iesuitæ, ite.
Hospitesne externos ad epulas suas admittunt,
& invitant? vitant:
Sola est Loiolitica gens cum Baccho tenebrio ebrio:

Et

Et hi archiſtrategi calicum ſunt catholicorum
primipili, pili ::
Qui geſtiunt inter mendicantes ordines ubivis
locorum tenêre primas, imas..
Nemo æquo animo fert hunc inſolentem
Phariſæorum faſtum, aſtum ::
Officioſi ſunt ad nutum Regum, ac pediſequi
famuli, muli ;;
Identidem venerantur, apud quos mendicant,
& amplexantur magnates, nates ::
Politicis negotiis ſe intricant, & pro amiculis
ſuis intercedunt, cedunt, edunt :
Magiſtratûs creant, Principum ac Patrum
favore deſignatos, ſignatos, natos :
Decem, repulſam paſſos, hoſtes ſibi lucrantur,
amico uno promoto, moto :
Epiſcopos, & antiſtites creandos Ieſuitæ
commendant Regulis, gulis :
Ii creati antiſtites, Patrum collegia perædificant,
fundant, dant.
Aiunt ſe ſacra facere, catechiſare, docere, ægris
adeſſe, ſine mercede, cede, ede :
Aſſiſtunt peſte infectis, ut teſtamenta
ſorbeant, eant.
Quas ædes paſſim frequentant? an inopum
caulas? aulas :
Arcana regni, ac ſecreta regum dextrè norunt
expiſcari cari ;
Quæ extemplò revelant ſuis uxorculis,
caſtimoniam colentibus, olentibus :
Quidquid arcani eſt in Europa, etiam in Sinis,
omnia per literas produnt, rodunt.
Tranſcribunt Romam ſuorum mores, vitia,
vitam, ignoto charactere, tere.

Agunt

Agunt inter se politicè, non candidè; sed cautelâ
circumspectâ, specta:
Suis nec credunt, neque fidunt; hinc mutua
declinant alloquia; quia,
Quia invicem odere, odio clandestino, ac
implacato, cato:
Simultates continuas movent, & identidem
fovent in Patres, quos devovent, vovent:
Causa est, quod hic Pater plures, quàm ille, ad
se pertrahat Helenas, lenas:
Hinc & Rectoribus, & Iesuitarum monarchæ
produnt defectus mutuos, tuos:
Sic lupi lupos vorant; ah, utinam ultimus esset
devoratus, voratus, tus!
Imperiosius dominantur hi lupi Principibus
magnis, agnis:
Optimates singuli Loiolitas, ut regulos,
adorant, orant;
Quos summa solent reverentiâ, & amore timido
revereri, vereri:
Sed abnuunt Patres magistratibus subesse, quorum
leges nolunt audire, dire:
Vociferantur ad ravim, dicentes nolle se
episcopis subesse, se:
Imò jactant suos Rectores esse potentiores
episcopis, scopis:
Quod probant hoc argumento: episcopis non
licet à peccatis Iesuitas absolvere, verè:
At licitum est Iesuitis Iesuitas, & quosvis episcopo
subjectos absolvere, solvere, re.
Et adhuc dubitas de Ignatianâ monarchiâ
imperiali dominante? minante?
Approbandi audiendis Confessionibus Patres
horrent episcoporum examen, amen:

Nam

Nam excipiendis auricularibus Confeſſionibus
inepti Patres ſunt plurimi, imi:
Ii, puta, qui in examine Philoſophiæ, & Theologiæ
& Caſuum malè reſponderunt, erunt::
Sed hos ſuos maximos aſellos magnificant
phaleratis applauſibus, auſibus..
Propter hanc inſcitiam, ambiunt gratiam
præſulum pavidè, avide, vide::
Quibus declamant ſolemniora dramata in theatris, atris::
Iiſdem repræſentant perridiculas Comœdias,
ſumptuoſioreſque Tragœdias, dias ::
Sic eleemoſynæ, in Patrum gazophylacia erogatæ,
in vanitates avolant, volant;;
ô, Videntur Ignatii Patres, fraterculi eſſe
perfaceti, aceti!!
Nam norunt ſe populari gratiæ, cujus favores
ſtudent captare, aptare, re..
Ab epiſcopis opimas portiones legatarias
emendicant, dicant..
Vultures, corvique ſunt; amant, quæ abliguriunt,
cadavera, vera..
Decipiunt deſipientes neſcio quo, ſcio quo faſtu,
aſtu Graio, aio, o!
Creant nobiles epiſcopos, ſed indoctos aſinos, ut
grex ignorans pereat, eat,,
Parvane ruina eſt, tot animulas in barathrum
præcipitari? o nefas! fas!
Nam ſocietas corvorum, gaudet plurimos ſecum
ſocios ad Orcum devolvere, verè.
Jeſuitæ familiariter vocant ſe præſulum, ac
ſummatum ſervos famulares, mulares, lares,
Quibus adulantes blandiuntur melleis verbis,
veluti ſemellæ, melle:
Magnatibus tamen, ſenatoribus, ac nobilibus paſſim
inviſi ſunt, viſi ſunt.
Certè

Certè nimis se ingerunt, quæ confundunt, alienis
negotiis, otiis.
Sunt nimis irreligiosi, vani, leves, aulici,
effrontes frontes:
Societas est pantomimorum, ac panurgorum
fucatorum, catorum:
Societas appellanda est Romæ Pantheon: nam Jesuitæ
adorantur dii, ii.
Christus est comoedis Patribus in theatrali scenâ
factus actus;
Quia tam historias sacras, quàm patientem Jesum
inducunt in theatra, atra.
Divi! quid? Deusne servit scenæ, ac plebis ludibriis
rursus exponitur? ponitur:
Desunt historiæ, ac fabulæ, ut Deus cogatur
histrioniam adornare? ornare, re?
Plebecula vana oblectari gaudet nugis tam sceleratis,
& histricis? tricis:
His ineptiis exoticis aucupantur popelli plausum, ac
præconia solemnia, Lemnia.
Babæ, babæ, Patres estis; sed nec testamenti
veteris, scio, io!
Neque etiam (nam satis vos novi) Patres estis
testamenti novi, ovi:
Ex novi ovi cortice exclusit vos, pullos suos,
Ignatius, corvorum pater, ater.
Et vanitati, & gloriolæ toti estis dediti, Diti:
Ostentatis amplissimas, & plenas libris
bibliothecas, vesicâ inflatâ, latâ,
Argenteamque supellectilem templi,
arrogantes, rogantes.
ô Patres, nimis evaditis turgidi, ac
insolentes, olentes!
Vaticinor tam superbæ corvorum, imò pavonum
deprimentur cristæ istæ;

Quia nullus eſt ordo in Ordine illo (ut vocant)
perditiſſimò, imô.
Vovent Deo, ſe repudiaturos, quos ambiunt,
gradus honoris, noris:
Interea Rectores, Provincialeſque, id eſt,
ſatrapæ creari, clam ſuſpirant, ſpirant,
Ut ſcopum dignitatum tangant, adulantur
Superioribus polyarchis, archis;
Quibus exarant literas crebriores, officioſiſſimas,
peramicas, micas,
Invitatos excipiunt menſa, ſuperbo luxu
opipara, para;
Quos hoſpites tractant hoſpitaliter in villis
ſuburbanis, urbanis;
Ubi inter pocula jurant, ſe nullis honoribus
tangi, angi;
Velle ſe contemtos, contentoſque Jeſu ſervulos
vivere, vi, verè;
Ad clavum reipublicæ Ignatianæ regendum
ineptiſſimos eſſe, ſe;
Malle ſe milites vulgares eſſe, ſub Ignatio duce,
quàm duces potentes; o tentes!
Sic inſinuant ſe in gratiam ſatraparum,
regentium gentium:
Tum bibit Pater ter quater, in ſalutem Rectorum
fauſtum hauſtum:
Et, dum audiunt ex ſatrapa, tibi Rectori futuro,
propino, Pater, ter,
Subridēnt, excuſant ſe modeſtè, gaudent, manum
exporrigunt, & dant decies; cies:
Simulant ſe religioſos, tenaces; ſed ſummorum
nummorum vim corradere, re.
Incedunt ſupercilio turgido, Catonum, ac
Bombomachidarum veſtigio Stygio.

Al-

Alloquuntur familiariter seniores Patres, minorem gregem tuum dedignati, Ignati:
His technis hypocrytæ irrêpunt præcipiti saltu in Rectorum fastigia, Stygia:
An id me latet, qui Brugensibus Jesuitarum scholis fui præfectus Rector? Hector?
At qui ambitu irrêpunt in pulvinaria, quo moderamine suos ardent regere? egere::
Subjectos flagellant, deprimunt, vexant, opprimunt, affligunt Radamanthæis imperiis, iis,
Tunc dominantur, promulgantes leges numerosas, Fannias, & exleges, leges:
Si quis hiscat, lentescat, obmurmuret, piaculum est palmare, almàre.
O oves miseras, sub ferreo pedo pastoris tam crudelis, ac crudi, rudi!
Scythicum jugum, tametsi sit barbarum, ac perhorridum, est magis mansuetum, suetum.
Quisquis Iesuitas laudat, convincam Thraces truces, esse clementis mentis:
Et erit, qui subesse cupiat ejusmodi plagosis tyrannis, & tam barbaris aris?
Certe ego fugâ mihi benè consului: vos saluti vestræ periclitanti prospicite: ite.
Hercle mallem, esse Scytha, quam Jesuita, id est, Loiolita, ita.
Nunc valeant Patres fucorum antesignani, nani:
Regnent inter cæcos lusci; ego juxta claudos claudicare nolim olim:
Nil mihi cum sycophantis, fucis, ac scarabeis est negotii, otii.
Ediscere cupis, quando deseruerim Jesuitarum manus? anus?
Frater, Dionysius Brack, Jesuita, natus in pago kalken ad Gandavum, avum,

Bergis Winoci in Flandriâ, anno 1675. me, cum Patribus omnibus, teſte, eſte;
Spiritum Sanctum, veram eſſe columbam (quam ita pingunt) credebat, edebat:
Addebatque illam divinam columbam triticum edere, re;
Præterea eam gaudere caudâ plumigerâ, & colore eſſe niveam, eam;
Tertiò ſanctè aſſeverabat, hanc divam columbam excrementa ſua exonerare, onerare, re;
Denique jurabat, Deum patrem canam prolixamque barbam alere, re;
Hanc ſententiam coram omnibus Patribus, & me, Winoci Bergis tueri auſus eſt, ſus eſt,
Et hoc perridiculis, & anilibus argumentis convincere velle viſus eſt, ſus eſt:
Confirmabat ſe in pago Kalchenio primam inter catechumenos palmam reportaſſe, aſſe:
Hic morologus errorem tam cæcum mordicus tuebatur iratus, & juratus, ratus:
Dicens & catechiſmum ſuum id docere, ſimul cum paſtore, ore, re:
Paratumque eſſe ſe, pro ea fide, migrare ex hâc vitâ, ita:
Adfui, audivi, ac blaſphemiam inauditam argumentis allatis refutavi, vi, i:
Refragabatur pervicacius, aiebatque, id vel cæco eſſe manifeſtum, ani feſtum;
Id pueris ipſis, imò lippis & tonſoribus eſſe notum univerſis, verſis:
Et Cortraci, anno 1664. in ſolemni ſupplicatione, Sacramenti feſto (eſto)
In globo Mundi, folia ſua magis magiſque aperiente artificialiter, (aliter)

Vi-

Vidisse se, albam vivamque illam Sancti Spiritus
columbam, cum ramo olivæ (væ)
Descendentem in altare, & illud olivæ coronamentum
Sacramento imposuisse, posuisse:
Tunc iterum in cælum evolasse columbam illam
(aiebat) Sancti Spiritus (ritus)
Ascendente paulatim, ac folia sua concludente,
globo terrarum; rarum:
Adfui tum Dionysio Cortraci, spectans hanc columbam
in platea, arâ adornatâ, ornatâ:
Sed nihil ad rem impia ista pietas spectabat, nedum
ad Sacrum Spiritum tum:
Quare minatus sum fore, ut Romam de columbâ istâ
literas exararem, ararem, rem;
Ostendique ei terribilissimos, in turri collegii,
Patrum carceres, arcêres;
Quibus conspectis, cohorruit Brachius, flevit
errorem, cecinit palinodiam diam.
Tunc tædebat me cum asinis vivere ridens
discessi, cessi.
Evax, Iesuitæ videntur, sed non sunt, docti
decoctique ingenii, genii, ii:
Nam admittunt in suum collegium juvenes novitios,
plurimos, imos,
Qui memoriâ non sunt tenaci; ingenio verò rerum
imperito, ito?
Quos pulchros asinos ad prima in scholis loca
promoverunt favore, ore, re:
Et primo præmio donant hos pueros venustulos,
& opulentos, lentos;
Qui per transennam Academias inspiciunt; Minervam
à limine salutavêre, vere:
Quid præclari, quid generosi ab ejusmodi masculis
cerebro vacuis exspectes? spectes:

Sed ſimul ac Jeſuitæ ſunt, credunt ſe momento præ aliis ſapere, impeccabiles eſſe,

Virtutes alienas indies carpunt, conſecrant ſuos defectus,

Defectus ſociorum ſuorum occultos revêlant Superioribus,

Patres docent licitum eſſe, propalare Rectoribus collegarum peccata,

Idque ſine fraternæ charitatis vulnere, ac nocumentis

Deſideras noſſe, quid Ignatiana lex præcipiat?

Jubet Ieſuitas, extra confeſſionem auricularem, reddere rationem conſcientiæ,

O ſervilem Ignatii legem, ac tyrannicam conſcientiarum coactionem!

Hoc Dux Albanus, religionis flagrum, conſcientiarum tyrannus, numquam coëgit,

Quid? extra auricularem confeſſionem, homini ſua crimina revelanda ſunt,

Ah, nimis ſacroſancta ſunt, humanæ mentis ſacraria arcana!

Videt Deus (& ſufficit Deus) peccatorum, ac pectorum penetralia intima,

Ut quid Ieſuita percurioſus, adunco naſo, ſcrutatur ſordes animorum?

Id mihi diſplicuit: ob hanc exlegem legem, Pontifices omnes & Ignatium criminantur,

Ejuſmodi ſervitutem nec Mahomet, nec epiſcopi in terris ulli imperavêre,

Ego tyrannidem iſtam intolerandam expertus, jure conſcientiæ evitavi,

Et quiſquam arguat me, quod has peſtes valere juſſerim?

Eia, damnentur ſacrilegi animarum carnifices, & flammis opprimantur,

Imò rimantur conſcientias, ut puniant ; æternis dentur :
ignibus trucidentur,
Nam divitiis, vitiis, voluptatum deliciis vita ſpecta :
Loiolitica eſt ſuſpecta,
Numquam, o numquam eſtis exſaturati, o viri fames !
infames ;
Cavetis, ne ulii, niſi vobiſmetipſis, ac ollæ o ſitis !
Loiolææ profitis :
Non ſerò ſapies, mi homo, ſi quammox inglorios, pelles :
probroſos, verſipelles
Pereant, pereant ſycophantarumgreges, toti dolis Afri ;
conſuti, & vafri
Ne affricent Afri Vafri contagionem incorruptæ ætati.
pietati,
Denique, quales ſint Jeſuitæ, voce unicâ monſtra.
demonſtra ;
Vah fungina capita ! Vos publica hominum peſtis eſtis ;
Eſtis, imò eſtis, hominem induta, cacodæmonum ora :
corpora,
Eſtis obſcoeni mollitiei coeni ſordidiſſimi porci, orci.
At quibus ſuppliciis porci Orci digni ſunt ? igni ſunt.
Quam duris diris, ſempiternis tormentis ? mentis !
Quid ? ut impune vitam leporinam agant, luant.
corraſiſque opibus affluant ?
Merentur torqueri, & excarnificari à dæmone tali :
laniena fatali,
Commigrent ad irremeabiles cavernas, Avernas areas :
ac Tartareas
In Tartaro meritiſſima ſceleſtis Manibus ſupplicia
ſunt repoſita, poſita, ſita, ita :
Iſtic ſempiternos animi ſudores exſudent, urentibus :
incendiis furentibus,
Dæmonibus, frigori, fami, ſiti, cruciatibus, luctentur :
æternitati oblu&tentur :

Flammæ atroces atros Cupidinis torres torrebunt, horrebunt!
Certè cælum non eſt nigrorum corvorum cavea, ea
Augebunt corvi, Dæmonum fraterculi, atratum numerum, merum
Sed dubito, an peſſimis pejores à dæmonibus admittendi ſint invitis: itis!
Dii malè perduint Rectores tenebrarum harum Tartarearum, rearum!
Vah, tam exitialis optimo populo peſtis pereat! eat
Exulet importuniſſimum crabronum examen: amen:
Exulent Mundo, qui ſunt tam Babylonici, quàm inferni regni fundamen, amen
Celebret in ſubterraneâ criptâ Miſſas pro ſalute dæmonum, Ignatii flamen, amen
Omneſque dæmones à peccato, tam veniali, quàm mortali, abſolvat, ſolvat;
Et in cælum neſcio quod, neſcio quando, neſcio quò ducat cum ſuis collegis; legis:
Cælum Plutonis igneum Ignatiano nomini, & genti convenit; venit;
Quod apud Charontem, Brontem, Acherontem reperitur; itur.
Nunc ego vos, Patres, laudavi; ſed echo has laudes truncavit, cavit:
Si irati vindictam ſpiratis, ultionem echo declinabit, abit, it:
Valete igitur (ſi poteſtis, & Deo placet) valete benignè; en igne:
Et ſi vos valetis; benè eſt; ego quidem rectè valeo, leo, eo:
At meminerit Ieſuita, fidei apoſtata, quod dæmoni ſit affinis; finis.

ACRO-

ACROSTICHIS TETRAGONA.

Ante tuas aras, ô
Numine dexter ades,
Terrificum belli, quo
Et furias, peſteſque,
Tu terres hoſtes,
Vulneribus diris:
Agmina ſternis humi.
Spiculaque, & frameas, &
Agglomeras, ſpargiſque
Regales turmas,
Ad tua ſigna vocas
Sanguineis animis.
Obtritu miſero
Mille viros morti
Ante tuas aras ô
Rex belli mea ſigna
Si mihi, Mars, pugnes,
Militibus jaceo:
Erige (poſco) tuo;
Ad tua tendo manus
Vota, pias lacrymas.
Obturbat pavitantem.
Terrificas: fulmenque
Ad tua, Mars, ſupplex
Largifluos oculos.
Ipſe tuum properans,
Tota meo erigitur.

MArs, *mea vota litat* A
Nocituraque prælia, fulme N
Tellus funere ſorde T,
Et monſtra tonantia pell E.
Turmas tua tela fugabun T
Violento barbara vult V
Armis arma ſonantia, & ær A.
Scuta impervia teli S
Aciem; involviſque ruin A,
Regalis præda paratu R.
Audacia pectora, foet A
Saturatæ cæde cohorte S
Occumbunt Mars percitus oeſtr O
Mactas, ſpargiſque cruore M
MArs *mea vota litat* A.
Rege: en mea caſtra fugantu R,
Sine te miſerabile funu S
Me, me ſub Marte merente M
Et dextrâ victrice tuer E.
Altaria: ſuſcipe ſacr A.
Vis me tua, turbida mot V,
Omnes, Mars dire, flagell O
Tuum cataphractus adora T.
Allabor limina; ſpect A
Lauro redimire tribuna L
Ignavia pectore, ſenſ I,
Te milite, & auſpice, pugnan T,
Ardeſ-

Ardeſcuntque manus: Animo mihi perfurit ir A
Turbatura globos: mea Te duce, dextra triumpha T
Ante tuas aras, o MArs, *mea vota litat* A

HEXACROSTICHIS

Arcus triumphalis Guilielmo III. *Arauſionenſi Principi.*

Arcus	Arauſiones	Attollit	Amoenior	ArmA,
Virtuteſque	Vehit	Victoria	Vivida	VultV,
Regia	Rectori	Reddit	Reverentia	RobuR.
Imperat	Imperio	Illuſtri	Immortalis:	InermI
Auriacos	Animos	Accendas	Armiger:	Arm A
Caſſide	Criſtatus	Calcas	Certamine:	Cor ſiC.
Victores	Virtute	Urget	Violentiùs	Uſ U.
Servaſti	Socios:	Sublimia	Sidera	ScandeS.

INSCRIPTIONES.

Horto ſuburbano.

Sola ſolitudo, ſolida ſolatia.
Hic ridet Mundus: brevis eſt, ut cætera, riſus.
Flos homo, vix oritur, moritur.
Hic regnant mille colores.
Oculum da floribus.
Surgent, urgente calore, colores.
Turgent flores, & ſurgent colores, ſi urgent calores.
Naſutis animam dono.
Curarum portus, eſt hortus.

Flumini, vel piſcinæ.

Hortis lude color, flumine ludat olor.

Fon

Fonti.

Fons purus, puræ mentis imago, micat.
Animâ fons virgine vivit.

Villæ ſuburbanæ.

Villa illa non erubeſcit laudata.

Urbis portis.

In urbe turbæ.

Arci.

Defendunt arcubus arces.
Vigili tutanda magiſtro.
Arcent inimicos arcubus arces.

Moenibus.

Certant manibus pro mœnibus.

Armis.

Armis, & parmis, atque haſtis vincitur hoſtis.
Armos defendimus armis.
Militibus murus ſunt arma.
Victoria militat armis.

Tormentis muralibus.

Hoc Reges ore loquuntur.
Vomo ore ruinas.

Feſtis triumphi ignibus.

Inſignis ignis, ſignis, triumpho dignis.

Claſſi navali.

Pons ponto ponitur.
Bonis avibus, & navibus.

Gladio militari.

Hæc acies acies ſternit.
Hæc acies cernit, ſpernit, ſternit acies.

EMBLEMATA.

Fides illuminat tenebras mentis, ut credat abſcondita. Pictura: charta candida, in qua picta, aquâ forti, non apparent legenti, niſi admoto lumine.

Epigraphe : *Abdita, luce, vides.*

Non nihil eſt, quod adeſt; quamvis nihil eſſe videtur:
Nec nihil eſt, quod abeſt; abdita, luce, vides.

Guilielmus III. Auriacus gaudet armari.

Pictura : Magnes, chalybe armatus.

Epigraphe : *Arma amat.*

Armari gaudet magnes, & amicus amari.
Auriacus ferrum, quod latus armat, amat.

Auriacus inter cædes ardentius dimicat.

Pictura : Igniarium, & ſilex percuſſus.

Epigraphe : *Conflictus prolicit ignes.*

Cædis? It in flammas, ſilicis vena emicat ardens:
Dimicat Auriacus; cæde furente, micat.

Conjugium Honoris, & Meriti, ſeu

Guilielmus III. Auriacus, Mariæ Stuartæ maritatus.

Pictura : Adamas annulo aureo inſertus.

Epigraphe : *Cum gemmâ Convenit aurum.*

Aurum Adamas amat; Auriacum Maria maritas.
Aurea conveniunt: cum Jove juncta Dea eſt.

Aurei Auriaci connubii gemmeus fructus,
Prolis abundantia.

Pictura : Conchæ geminæ, patulæ excipiendo rori; gemma in conchâ.

Epigraphe : *Parit par, divite fructu.*

Concha coit conchæ, quæ gemmam concipit imbre:
Conjugii, prolis gaudia, fructus habet.

Votum Belgarum.

Par Regem pariat; par vivite, divite fructu.
Conſpirent votis aſtra ſerena piis.
Qui gremiò ludet, ſit ferreus hoſtibus, infans:
Aureus Auriacus, parvus Julus erit.

LO-

LOGOGRIPHI.

Vir, cui nomen, Bis.

Bis natus, puer, & juvenis; Bis virque, ſenexque;
Bis ſemper vixi, Bis mortuus, atque ſepultus.

Sanguis, anguis.

Per me vena tumet: ſine me quis vivere poſſit?
Si tollas frontem, per me tibi vena tumebit.

Navis, avis, vis.

Viva ſteti, vivos alui; ſed mortua curro;
Meque regunt vivi, vivos veho, protego vivos.
Tolle caput, volito: vim ſervat cauda ſuprema.

Dolor, olor.

Odi lætitiam; quia triſtia lugeo: mortis
Solor olor, pereat ſi litera prima, dolorem.

Dapes, apes.

Delicias Regi totum, pars mella propinat.

Heros, ros.

Totus bellator, pars ultima rorat in hortis.

Corona, cor.

Fons vitæ, caput eſt; ſed Reges ambio tota.

Piſtor factus paſtor, & ſibi nihilominus pinſit.

Fit paſtor, qui piſtor erat, neque mutat iöta.

Ovis, vis.

Mollis, & imbellis; caput aufer, bellica vis eſt.

Juventus, ventus.

Flos vitæ dicor: caput exime, ſpiro per auras.

Corpus, cor, pus, porcus, Orcus.

An cor habet corpus, quod pus ignobile nutrit?
Fit corpus, porcus: porcum convertis in Orcum.

Se-

Senex, nex.

Sum modò, quod volui: quod ſum modò, pœnitet eſſe.
Si perdat ſenium; niſi nex, nil denique reſtat.

Caper, aper.

Frons cornuta mihi; ſine vertice, dente nocebo.

Color, olor.

Servio pictori, ſum rex, plebs, miles, imago:
Vertice ſi careo; tangar, nec tingar ab unda.

Virtus, virus, vir, tus.

T ſi ſuſtuleris medio de nomine; rerum
Optima quæ fueram, rerum tunc peſſima fio.
Mas caput eſt: mea cauda petit ſibi funus, & ignes.

Aquila, ala.

Regnator volucrum nubes tranſcendo volatu:
Obtutu Solem non caligante videre
Non vereor: prædas venatrix regia ſector.
Junge caput caudæ, tunc addo volantibus alas.

Lapis, apis.

Ima peto gravitate meâ, ſum terrea proles:
Si caput obtrunces, animam tum colligo florum.

Laterna, lana, later.

Dux ego ſigno vias, quas nox tegit alta tenêbris:
Ter mihi deme, nihil me mollius: induit agnus:
Adde caput ventri, nihil eſt me durius ipſo.

Cometes, comes.

Terra parit, Vulcanus alit; me, Phoebe, coronas;
Dum naſcor; caudâque auras, cælumque flagello:
Proſpera ſæpè noto, vel triſtes nuncio caſus.
Te mihi ſurripias, tunc te comitabor Achates.

Muſca, Mus.

Nocte caput currit; ventrem capiti adde, volabit.
Tum capiti jungas, ſine caudâ, muſtea promo.
Litera quarta mihi ſi tollitur, occino Muſa.

Grex,

Grex, rex.

Taure, præire ſoles toti: pars regna guberno.

Dominus, do minus: Dominas, do minas.

Do minùs, ùt dominus; dominus quia dicor avarus.
Uxor amo dominas prodiga, doque minas.

Mars, ars.

Qui partes foveo, faveo pars artibus una.
Artibus addo togam; ſed partibus arma miniſtro.

Muſica, mus, ſica, muſca.

Curro tribus, quatuor perimo, quæ quinque volabo
Literulis; ſenis, aures oblecto ſonore.

Sus, tinea, mus.

Furfurem edit, pannum, panem quoque, *ſuſtineamus.*

Lupus, lepus.

Litera mutetur ſi nominis una, timore
Venantes fugio, quos bellua ſæva fugabo.

Caupo, capo.

Venales propono cibos vir: litera deſit,
Ipſe cibus fio, nec femina dicor.

Mendicus, medicus.

Tu te fers medicum, nos te plus eſſe fatemur:
Et minor es medico, medico ſi litera creſcit.

Menſis, enſis.

Aſpicias totum, pars ſum mutabilis anni:
Frontem tolle, ſuis me miles geſtat in armis.
His vinces armis, abſint ſi millia menſe.

Ludus in vocibus, & literis.

Studioſo adoleſcenti, cui nomen van Belle, *qui primum in Schola Eloquentiæ præmium retulerat.*

Bellaſti bellè: bellum Bellona libellum
Dat bellatori; Belgica, bella probat.

Ju-

Juveni Bloemendaal mortuo epitaphium.

Flos florens fuerat: flori fortuna favebat:
Floſcule, fis funus: florida Flora fleat.

Mulieri ebrioſæ.

Sobria manè manê: plus hinc tibi manat honoris.
Et vitia, & vites (cum ſit cognatio) vites.

Ad ebrios monitum.

Pocula vos cupitis; ſanum eſt caruiſſe cupîtis:
Ebrietas prodit, quæ dicere ſobrius odit.

Interrogatio, & reſponſio Popinonis.

Petre, quid eſt vinum? Liquor aureus ante caminum.

Ludus in vocibus longis ſimul & brevibus, pronunciatione & ſignificatione Variatâ.

Pôpulus in ſilvis, populus floreſcit in urbe.
In ſilvis lepores, in verbis quære lepôres.
Ad Veneris, ne venêris, cum vêneris ædes:
Educat illa canes Dea, quos edûcat in apros.
Cauſidicis differre placet, niſi munera plâcent.
Dédere ſe Superis par eſt, cum dona dedêre.
Víncite ferro hoſtem, victum vincîte catenis.
Sêcuris caput abſcîdit violenta ſecûris.
Sæpè arbor cecidit, quam ferro nemo cecîdit.
Dum vir es, atque vires, cape vîres, non cape vi res.
Pro ſtipe, quid duro mihi tergora ſtipite ſtîpas?
Saxa jacêre ſinas, jácere hæc puer improbus udet,
Lude pilâ, pectaſque pilos; ſed projice pîla.
Promiſſâ vir fide fidê; fide ludere dulce eſt:
Pérfidus abſque fide eſt; ſocio eſt perfidus amicus.
Délige, delectum poſt dilige. Curia cura eſt.
Ipſe nitor décorat: quâ nîtor, forma decôrat.
Oblitus unguento, non es oblîtus amoris.
Ut vagit ore lepus, vâgit puer; unda vagatur.
Sêde ſedê, ſedeſque ſitim: nocet arida cordi.

Litora nullus aret: terra, inſtar pulveris, âret.
Nemo cadaver humet terræ, quæ fontibus hûmet.
Si parere uxores nolint, parêre jubentur.
Gallus ovat, cum gallinæ circumſpicit ôva.
Qui dicat ingenuis librum, nil dîcat inepte.
Indicat obſcurè, quod vult, indîcat apertè.
Nonnumquam in luteo ſurgit flos lûteus agro.
Lâtius inſonuit Latius modò ſermo per orbem.
Dum lâbor, greſſuque labo, labor hæret euntis.
Militis, heu, lâtus mucro, latus hauſit apertum.
Æger edit minimum, lamentaque crebrius êdit.
Egere cum vomitu, nec egêre medentibus optes.
Dum molîtur patiens, molîtur in aëra ſaltum.
Fîlia ſub tiliâ mea net ſubtîlia fila.
Sunt avium piſciſque plagæ, plâgæque medentum.
Dum metîmur opes, métimur; mors mêta laborum eſt.
Occîdit lictor gladio. Sol óccidit orbi.

LAUS PUELLÆ.

Amicus Amico. S. P. D.

Virgo illa, quam mirifice commendas, mihi & hominibus placebit. Numquam adhæret pravis perditiſque conſortiis: perpetuò pietate & ſacris literis delectatur. Nullis ſevanis & levioribus virgunculis conjungit. Pluribus eſt in amoribus & venerationis æſtimatione: improborum morum hominibus eſt exoſa & inviſa: probis arridêre ſemper laborans, vanitatis ſtudioſis rarò: honeſtati & ingenuis moribus excolendis vacans: hinc amabilis, & grata: nemini moleſta, & difficilis fuit: Pacem colentibus, & in ore omnium famoſa. Ficta, procax, & garrula minimè: ſincera, & candida ſupra modum. Ludo, choreis, licentiæ, & libidine

dinè ſervivit nullò tempore ; frugi vixit. Etiam atque etiam meditare , an amores ei tuos , teque ipſum totum conſultius ſis conſecraturus. Valeto.

Legito precedentem epiſtolam ab initiô uſque ad finem , immutatis tantum interpunctionibus , & habebis ex laude ejuſdem puellæ vituperium, hoc modo.

Vituperium Puellæ.

Virgo illa, quam mirifice commendas , mihi & hominibus placebit numquam : adhæret pravis perditiſque conſortiis perpetuò. Pietate , & ſacris literis delectatur nullis. Se vanis & levioribus virgunculis conjungit pluribus. Eſt in amoribus & veneration is æſtimatione improborum morum hominibus : eſt exoſa , & inviſa probis ; arridere ſemper laborans vanitatis ſtudioſis : rarò honeſtati , & ingenuis moribus excolendis vacans : hinc amabilis , & grata nemini : moleſta , & difficilis fuit pacem colentibus , & in ore omnium famoſa. Ficta , procax , & garrula ; minimè ſincera , & candida. Supra modum ludo , choreis , licentiæ , & libidini ſervivit ; nullo tempore frugi vixit. Etiam atque etiam meditare , an amores ei tuos , teque ipſum totum conſultius ſis conſecraturus. Valeto.

JOH

JOH. de BISSCHOP,

ÆNIGMATA.

JOH: de BISSCHOP,

ÆNIGMATA.

Quorum Solutiones in fine omnium Ænigmatum exhibentur.

1.

Formamur flagris: aciem componimus: auri eſt,
Argentique color nobis: tranſfigere noſtrum eſt:
Ornamus Mundum muliêbrem: ſæpè puellæ,
Veſtibus ornandis, nos labra corálina ſervant:
Sæpè tamen dominam leviori pungimus irâ
Res numeroſa ſumus nihili: caput ære globoſum eſt.

2.

Parvula, longa tamen, fingor mea membra metallô:
Vincla trahô captiva, ſequentia vincula ferrum:
Copulo diviſum & lacerum: connecto ſoluta:
Inſontem dominam (mea tanta ferocia) pungo.

3.

Corpore parva mico, ſum corpore dura robuſtô:
Unus ineſt oculus capiti; Polyphemus habebor
Hôc tibi? Non video, nec homo ſum, aut bellua; quamvis
Nuda traham caudam: caudam mihi ſæpè puella
Mulcet, & hunc oculum transfigit: corpore nudus
Me ſine rex eſſet. Pretiô vix veneo nauci:
Vulnera multa fero, rarò lædentia læſum.

4.

Patre carens, habui matrem, quæ gaudet habere
Me natum, poſt fata, ſuum. Me lignea nutrix

Non puerum, ſine lacte virum nutrivit. Amavi
Uxorem; ſed erat mihi filia; nata, ſimulque
Nupta ſuo patri, quam matrem hic fecit honeſtam,
Inceſtu purô: mihi conjux illa nepotem
Progenuit. Rex urbe carens, ditiſſimus aurum
Non vidi; nec, quid precioſa pecunia, novi:
Naturâ me facundum, non arte magiſtrum,
Omnis homo meruit præſens audire docentem:
Omnia cum ſcivi, ſtolidus plus ſcire laboro:
Deſipio, cum dementor ſapientia: ſuaſu
Femineo ſilvam carpo, quam perdo, beatam:
Cum conſorte thori profugus, de Rege colonus
Non colui numen, terram colo: viſcera matris
Diſſecui; mater gremiô me denique condit:
Conjugium feci ergò jugum; fuit antè beatum:
Immortalem uxor perimit malè ſuada maritum,
Uxorem conjux, omneſque peremit uterque:
Scintillâ è minimâ ſurgunt incendia tanta!
Semine de tenui fructus guſtatur amarus:
Evomuit ſerpens aconita; hauſêre nepotes,
Qui nondum nati; miſeri periere nepotes:
Heu! nondum viſus genitor tibi fata propîno,
Cum nondum vitæ libamina prima bibiſſes.

5.

Quid me quæris? habes: ipſum me prodo latendo:
Mentior: ipſa meam ſoleo celare figuram,
Perſonata tuis oculis pictura, recondor;
Quò me celo magis, tibi me magis abdita prodo:
Sit niſi divinus, nemo me noverit umqûam.

6.

Dicere ſi nôris, *quidnam eſt ænigma?* Solutum eſt.

7.

Eſſe tyrannorum me clamant cuncta tyrannum:
Vis mea, vis blanda eſt. Totus mihi ſubditus orbis,
Et Deus, ipſe Deus. Qui me caret, odit, amicus:

Non

Non videor; ſed cuncta poteſt, cui milito nudus:
Ex unâ geminos reddo, dum copulo binos.

8.

Ferrea ſum: minitor punctis mucronis adunci:
Cum ventis luctor, cum gurgite pugno profundô:
Rimor aquas, Thetidem perſcrutor, mordeo arenas:
Si tabulas Boreæ furor abripit, undaque tortô
Vortice; ſi puppis ventis ſolvatur, & undis;
Hanc ego firmabo: curret mihi ſalva carina.

9.

Inſerar ut digitis mico parvulus orbis in orbe:
O felix Adamas! Felix ô flamma Pyropi!
Nunc datur æthereas, deterſis ſordibus, auras
Cernere; meque tibi tota aurea ſphæra marito:
Et facit invidiam radiis lux æmula Phoebo.

10.

Anniculus pater eſt, bis ſex qui pignora gignit:
Bis ſunt triginta natæ; ſed diſpare vultu;
Altera pars nivea, nigra pars altera formâ eſt:
Utraque, dum vivit, moritur; poſt fata renatæ.

11.

Ventre voro, raucuſque cano, gravis elevor alis;
Sordibus oblector, quos roſtrô rimor, aquoſis:
Exuvias gero molliculas; & veneo carô;
Tela meum gaudet pennis ſpoliare cadaver;
Quas tu, dum recubas, dorſo geris ipſe ſupinus:
Tu, duce me, ſcribis: toſtum te paſco cadaver.

12.

Amplexata roſas animam delibat odoram,
Dulcia prædatur roſeæ convivia Floræ:
Florea rorifluô ſaturat ſua pocula ſuccô,
Et ſatura Auroræ lacrymis, muſtôque roſarum

Ebria, melliferis prædis ſibi conſtruit aulam,
Conſtruit artifici mellita cubilia flore:
Pro ſaxô, cera eſt; pro calce liquamina mellis;
Proque domô totâ, conſurgit Nectare celſa.

14.

Patria natalis cælum, mihi patria tellus;
Sæpè oculos habito. Lanæ, ſum floccus, adinſtar;
Extenuata cado. In cineres effundor ab auris,
Non diſpar fumo. Formam ſalis induo ſæpè,
Me cogente gelu. Procudor frigida ſæpè,
Ut lorica tibi ſtem ſplendida, quam pede firmô
Percurrens calcas. Venti concreta rigore
Sum lapidoſa, tuo capiti ingruo, verbero campos:
Sum ros, lac, vinum, ſanguis; pontum impleo, & auras.

14.

Sum venter: manibus careo: pede ſtamina duco;
Ipſa colus radiuſque mihi, & cum ſtamine fuſus:
Molliculam & tenuem glomerans eviſcero lanam:
Conſtîpo telam telæ, centumque ſuperbit
Ordinibus: tunc excubitor, ſtatione morando,
Venor in inſidiis viles, mea pabula, muſcas.

15.

Pendeo venatrix; nil ſum, niſi venter, & horror:
Excubiæ nec me terrent: nam Regis in aulas
Irrumpo, texoque dolos, & ſanguine paſcor.
Noſtra domus tenuis, quæ tempore conditur horæ;
Quam nec muſca quidem ſubeat, niſi ſanguine fuſô.

16.

Aſpice textorem: gyrus gyrum excipit alter,
Arte laboratum; ſed parciùs ordine primô,
Mox ſpatiô majore auctus, ductôque priore,
Circulat ordo ſequens, naſcuntur ab orbibus orbes

Diſ-

Discreti ; & stamen de stamine latius exit ;
Sic ordo crescens ex ordine circinat orbes.
Cuncta rotundantur : sic volvitur orbibus orbis.

17.

Me Pallas docuit textrinæ nosse labores :
Non traho fila manu : duco pede licia telæ :
Quære, laboranti quæ cedat debita merces ?
Exiguum lucrum est, & præda miserrima, musca.

18.

In nubes motu placidô, similisque natanti
Paulatim surgo, gyrosque per aëra duco :
In prædam, ranas, rostrumque oculosque sequaces
Vivida defigo : supra caput ingruit asper
Intereà prædo, rostrô bellator & ungue ;
Verberibusque alarum arma insonat arma ;
Imminet hinc atque hinc, meque omni à parte lacessit :
Librat in hanc partem corpus, modò vibrat in illam,
In latus obliquus, pronus, rostrô, ungue supinus,
Ante pedes dum præda cadam, pennasque revellit.

19.

Me dicis vivum, cui non est vita, metallum :
Commendor gravitate, & mobilitate fluente :
Me fluxum versas, in partes diffluo mille,
Momentô coëo, massamque revolvor in unam.
Immûto rerum species, immûto colores.

20.

Signa tenet clathrum junctô agmine sculpta quadratum.
Illita tota cohors furvi est fuligine succi :
Candida, mox tactu nigrum bibitura colorem,
Vi compressa gemit sub torcularibus, exit
Charta, ferens hausstas bibulâ compage figuras :
Emicat, & legitur plausum meritura per orbem.

21.

Senſa animi impreſſis ſignare laboro figuris,
Et captiva novis inſcribere verba tabellis:
Candida conſtratô diſtinguitur area ſulcô:
Ordine ſtant apices, ferratô que agmine clauſi;
Muta cohors primum, mox ſuccis ora diſertis
Oblita Palladiis, ſub prælo prælia ſudant:
Æternas reddit voces charta ebria lymphis:
Unô effunduntur partu bis mille gemelli.
Abſenti loquitur præſens: vox, muta tabella eſt.

22.

Res levis, & fragilis, ſurgo vicina fluentîs:
Dulcè cano Muſis, ſed paſtoralibus: & me
Contrectare ſolent digiti, pro voce, magiſtri.

23.

Sulphure de tepidô ſudo: fumo ignis & unda:
Sum mare, ſed parvum: languentis curro ſaluti;
Membra lavaturus, nudus me convenit hoſpes.

24.

Res facit una virum, pueris metuenda, caprumque.

25.

Inſudaverunt centum mihi luſtra creandæ:
Sum corpus de corporibus plus mille: parentes
Me genuêre viri famoſô nomine; per me
Græcia, cum Româ, & gens poſthuma vivit Hebræa:
Non vivo; mutuſque loquor, ſine voce, Magiſter:
Sum [illegible] theſaurorum (nec vana eſt fama) [illegible] clauſtros.

26.

Codicibus conſto variis: mihi corpora turgent
Foeta voluminibus: florent hic inclyta facta
Poſt fata heroum, ventoſaque gloria linguæ:
Ingenti curâ, ſumptuque majore coëmptos

Hic

Hic cernis fratres, mutis expreſſa metallis
Signa, locuturas tibi deſignantia voces;
Voce tamen careo, quæ garrula, verba profundo.

27.

Os mihi, de ferrô, totum eſt gula; ferrea vox eſt:
Ore vomo flammas, naturâ frigida maſſa:
Obvia quæque peto, proſternoque omnia glande.
Ultima lex regum; nil ſum, niſi terror & horror.
Servio venanti, ſum bellatoribus arcus.

28.

India lanivomum genuit: neo, ſtamine, veſtes;
Arte meâ, pereo: mihi fabricor ipſe ſepulcrum:
Fila mei lethi lætus traho; fiò volucris.

29.

Stamina ventris opes effundit, & ordine ducens
Stamina ſtaminibus denſat, dum circinat orbes
Intextos. donec fulvô ſe carcere claudat
Immoritura thoro aurato glomeratur in ovum,
Eluctata volat volucris; ſed vellera donat
Regibus; & prolem numeroſô fœnore gignit.

30.

Vere novô naſcor. morô florente ſaginor:
Serpo; fila vomens, exentero viſcera tota;
Contexoque faber mollem mihi carceris aulam:
Transformis volitans novus ales in æthera tollor;
Rex mihi ſuccedit, qui carceris incolat aulam.

31.

Noſtra ſuperficies convexa, figura rotunda,
Admiranda ſitu, totâ mole incubat orbi:
Ambitus immenſus; motus par fulminis alis,
Qui requiem neſcit. Nos cærula forma coronat,
Cujus inextinctis facies Adamantibus ardet:

Omnia ſcintillant: ſoliô hic Sol regnat eburnô,
Et calor, & Solis lumen, radiique comantes,
Lunaque ſtellarum regina, ſequentibus aſtris.
Hic aurum argentumque, & purpura viva triumphant
Pompa coloratæ micat hic, & gratia Floræ;
Deliciæ reſident, nec terris nota voluptas:
Non adeunda domus, niſi cui loca terrea ſordent:
Sum tibi ſtructa domus. Quod ſim, ſi dicere nôris,
Altior & ſtellis, & Solibus altior ibis.

32.

Dic quibus in laribus (divinus habebere) cælum eſt,
Tres longum, latumque duas, ſublimius ulnas?

33.

Sæpè rubens, & ſæpè albens ſum corpore ſphæra:
Mordeo, mordentem qui me mordêre laborant:
Nemo meos morſus (careo nam dente) veretur:
Et ciëo lacrymas, ſine cauſâ, flentis amaras:
Excorior, ſectiſque comis, ſecor omnia membra:
Secta tuum ventrem paſco, ventoſior eſca.

34.

Forma rotunda mihi, venter longuſque cavuſque;
Quem medium nodis conſtipat ſpiſſa medulla:
Porrigor in caudam, cui barbula veſtit utramque
Oram; remigiô volucri ſervire laboro.
Exanguis de carne ſatus, ſum carnis alumnus:
Vertice truncatus niveô gero cornua bina:
Ora nigris ſuccis mea proluo candida ſæpè:
Nec moritura, loquor reſonantia verba per orbem.

35.

Lignea Cyclôpum ſumus, & quoque ferrea proles.
Par fratrum vinclis conſtringimus. Imus in undâ:
Sub plantis terimur. Juvenis volat, atque puella,
Nos quibus ala ſumus. Patitur ſtans unda volûcres.
Vulnere multiplici patientes lædimus undas.

36.

Corpore candeſco, nivis æmula, ſaxea maſſa:
Ardeo, fontanâ fuſâ ſuper, ignis ab undâ.
Servio ſtipando lateri, domibuſque ſtruendis.

37.

Candidus enaſcor: Vulcanus dénigrat ora;
In gremiô ſedet ille meô: ſubtilia figit
Oſcula, ſed tenerè; me tempore dévorat: inſtar
Æthiopis me depingit: per guttura noſtra
Transfuga flammarum volitat. Venti arceo frigus.

38.

Me pulſat ferrum; tunc auras pulſo ſonantes:
Auræ aures pulſant; ſumus omnes, crede, ſonantes.
Cogo hominum cœtus, fulmen fugo, nuncio tempus.
Sunt mihi templa, lares: incendia murmure prodo.

39.

Lingua mihi ferrum eſt, æs corpus, caudaque reſtis.
Pendeo; ſæpè meam turbant violenta quietem
Brachia: ſeditio, pietas, nova bella, triumphi,
Nuncia ſigna mei. Quæ non loquor, audior orbi.
Sum gravis, & prodo, quas neſcis, pulſibus horas.

40.

Sub terrâ latito cavus alveus: acta repente
Unda meos tranſit, ſecurô calle, meatus;
Viſcera per terræ vehitur, quæ ligna vehebat.

41.

Non caput, at naſum furvum gero. Corpore pingui,
Veſcor edax pingui, memet conſumo voracem;
Ore tamen careo. Vitam mihi reddis ademtam:
Do tenebris vitam: Quia candida, ſordibus expers
Si videar, tetrum moriens exhalo vaporem.

Ma-

42.

Mater erat meretrix (quam nec cenſurat honeſtas)
Perdidit hæc oculos alienâ in fronte pudicos:
Pane tuô veſcor, tectôque moramur eôdem:
Niſus, & Euryalus, duo nos ſumus: inſtar Achatis,
Sum fidus domino cuſtos, & furibus hoſtis:
Pervigil, & præceps, audax & denique mordax.

43.

Seminor, evellor, ſtringor, putreſco ſub undis,
Exſiccor, tundor flagris, diſcriminor, artus
Torqueor extenſos intertextoſque ligamen.
Copulo diviſum: ſed ſtrangulo deſperatum.
Principium & finis ſum funeris. Aſpicis? hic ſum.

44.

Barba gravis ſetis, juvenis caneſco capillis,
Cornibus intortis; ſcopulis delector, & herbâ
Silveſtri; ductorque gregis, per prata vagantis,
Paſtori tremulâ reſponſo voce vocanti.

45.

Nemo ſecare poteſt, poſſunt deradere multi
Me, rem pertenuem; ſum totô corpore cauda.
Mollis, verſicolor; canus per tempora fio.
Malo manêre niger: mentitas orno puellas,
Orno viros, frigus pello, poſt funera creſco.

46.

Silvula noſtra, fovens animalia ſordida ſæpè,
Horrori eſt cunctis, cunctis (mihi credis?) honori eſt.
Audio, guſto, loquor, video, bibo, ſentio, odôror,
Mordeo: plana mihi pars eſt, pars plana rotunda eſt.
Inſiito turri, rubet hæc candetque colore.
Orno feras, homineſque. In cælô à funere vivo.

47.

Natus abigne, ſimul pereo denâtus abigne:

Ab

Absumsi silvas, sum dignus ab igne perire:
In fumum & cineres abeo, post fata superstes.

48.

Cor tibi si durum est; sum duri cordis imago;
Interius rugosa, foris est lubrica pellis;
Hirtus & hirsutus quam circumvestit echînus:
Et pro pane famem compescere sæpè laboro.

49.

Ferrea connector, socios junctura revinctos;
Sed prius ipsa ligor; nexu tunc copulo vincta.
Constrictos solvo; non sum tamen ipsa soluta.
Solvere si possis; solidum, pro munere, solvam.

50.

Parva domus, perfecta domus, cælestibus aula
Hospitibus, quâ pernoctant nullius egeni:
His pastum dominus, Cerealia dona, ministrat:
Turba saginatur; pastori ingrata, retentat
Egressum semper. Grex ô rationis egenus!
Hinc castigatur: fio, domus aulica, carcer.

51.

Bis geminis utor pedibus, manibusque duabus,
Idem dissimilis, qui sum non unus, & unus;
Et vehor, & gradior; fero me mea sarcina, & idem
Bajulus, & pedibus propriis homo, bellua, portor.

25.

Forma rotunda, cutis rubicundô pulchra colore est:
Quem fugas sub ventre latet vinaceus humor:
Os pro corde gero: tegit os sua semina corde.

53.

Sum labor ingeniosus apis, mihi stuppa medulla est:
Igneus est nasus, nigrôque colore notatus:
Me domini in tenebris præeuntem ponè sequuntur:

Red-

Reddo diem: maſſâ fluidâ de virgine fio.

54.

Tempeſtas cerebri dicor, ſi copia ſucci
Eſt nimis hauſta mei. Mihi cives oſcula libant,
Queis gravido ventres, nec prolem formo; tumeſcit
Paulatim aſſurgens alvus; ſe tempore prodit:
Frigida ſum; Venerem non ſuſcito: ſuſcito lites,
Ruſtica turba meô quando ſaturata furore eſt.

55.

Ramoſâ fruticat ſilvâ latè ardua cervix:
Auribus arrectis mihi vertex ſurgit, & omnes
Excubat in ſtrepitus, & hians inquirit in auras:
Currentem non me ſaltus, foſſæque morantur:
Fulmine tranſilio campos, monteſque relinquo.

56.

Corniger, & trepidus formidine tránſvolo montes,
Ocyor aut Aquilis, Aquilonibus ocyor ipſis:
Pura fatigatas inſtaurant flumina vires.
Sæcula, per ſilvas, vivacior impleo multa.
In ſilvis vivo, genus inſuperabile curſu.

57.

Æmula ſcintillo ſtellis, quæ ſplendeo nocte:
In cælum terras muto; micat ignea tellus:
Conſequeris lucem propius, cupiduſque videndi
Exploras formamque meam, lucemque per umbras;
Immundas tractas ſordes, inamabile monſtrum.

58.

Æreus, atque biceps: pes punctô ſtare jubetur;
Alter at erectus citò circulat actus in orbem:
Infinita ſuô, quæ linea ducitur, orbe eſt.

52.

Frigeo; ſed rigeo: ſuffunderis ora rubore?
Conclavis fiſſura tui mihi pandit apertum

Sæ-

Sæpè ſuum gremium. Secretô rimor in antro,
Infigente manu. Inſinuo me dulcis, amicâ
Vi, penetroque ſinus, pandoque latentes:
Non aliud ſubeo gremium: uni ſola maritor.

60.

Claudo domos patulas, quas rurſus pandere clauſas
Hoſpitibus ſoleo, dum clauſtri intorqueor antro:
Servo domum domino, domino quæ ſervor ab ipſô.

61.

Muta loquor multum; doccoque loquendo filêre:
Metior, & numquam tibi mentior: optima lex ſum
Dicendi cunctis, & lex facunda ſilendi:
Dum loquor, ore fluunt elinguia verba tacente.
Si neſcis horas, tibi noſtra ſilentia produnt.
Aſſiduis prodo, quas neſcis curſibus horas.

62.

Eſt mihi de vitro corpus; ſed carcere clauſum:
Ductilis anguſtô rivô fluit intus arena:
Stilla ſuum rimatur iter, raroque ruentem
Agmine arenarum ſubtilior excipit orbis:
Et licet inſtabili lapſu volvatur arena,
Et pulvis patuli premat impiger ora meatus:
Non tardat fluxum: fauces illabitur antri:
Nulla retardatas horas confundit arena.

63.

Sum pellucidius corpus, quod carcere ligni
Claudor: & evacuor, dum compleor: effluo quovis
Momentô, ſurgens ut pyramis. Indico nautis
Tempora: conſtipoque latus, dum tempus imago eſt.
Menſuro tenui citô tempora longa labore:
Amnis arenoſus cumulans ſic volvit arenas.

64.

Còncha mihi domus eſt; membriſque tenaciter hæret

Luci-

Lucida concha meis ; cava , gemmea , tortilis illa eſt :
Filia cæleſtis , quæ cælô naſcor ab ipſô.
Mecum porto lares , laribus migrare parata ,
Si muto patriam , vocor ipſe domeſticus exſul.
Eſt mea fæx pinguis , fæx ſordida , ſtirpis origo eſt.

65.

Pigra gradu brumas fugio rediviva calore ;
Prælongis oculis animal , cum cornibus , exos :
Meque meamque domum mecum fero : frondibus horti
Veſcor , & affuſo membris ſale , perdo ſalutem.
Cornua fronte gero ; neque lædunt cornua frontis.

66.

Gens cæli , quæ felle caret , neque conſcia belli eſt ,
In cujus ſimplex habitat concordia nidô :
Inſertat roſtris repetita per oſcula roſtra :
Sæpè gemit , ſed colloquiô , quod ſemen amoris :
Solamen partus , pius incubat ova maritus :
Et ſtudet aſſiduô gentem ſuccreſcere foetu.

67.

Arx tenui formâ , plumoſa cubilia centum
Continet , & totidem cives , ſine felle , cohortes :
Hæc , domus eſt Veneris ſine crimine , regia Amorum :
Oſcula ibi regnant : inſertantque oribus ora :
Hîc patet acceſſus venienti nocte dieque :
Sed grex ille ſuo domino cadit , hoſtia cæſa.

68.

Ignibus ẽ binis naſcor , tum foedere firmor :
Decipio vulpes : hæredes procreo Mundo :
Sunt duo per me unum : deque unâ bina reſurgunt :
Rex mihi ſubjectus ſervit , cui ſervio Regi :
Do mellis ſtillam ; ſed fellis pocla propino :
Sum Styx , ſum cælum ; ſpiniſque roſiſque corono.

69. No

69.

Non video; per me faciovidiſſe remota:
Extendor, minuor; manus adjuvat. Aſpicis ex me
Sidera; quæ fugiunt oculos. Ego ſervio nautis.

70.

Impero Rex Mundo, virtute, calore, minori:
Foecundo, vegeto, dependent numine noſtro
Omnia, fons vitæ ſubjectos paſco vigore:
Naſcitur ex me odium, ſimul & naſcuntur amores.
Quælibet exſpirant, meque exſpirante, ſequuntur.

71.

Atratâ ſemper (non lugeo) gaudeo veſte:
Nuncia ſum fati, pluvioſæ nuncia lucis.
Garrula diſpliceo, ſtudiis inviſa Minervæ:
Fluminibus caput intingens, velut occupo nimbos:
Multorum vitas vivo vivacior una.

72.

Sum nota regalis, regalis ſanguinis hæres:
Clara micante auro, flammâque imitata pyropos:
Extollor Reges ſupra, geſtamen honoris:
Incendoque oculos, gemmarum luce ſtupentes:
Bella mari terrâque mihi, ſine fine, geruntur.

73.

Gens inimica apibus, genus irritabile ſævit,
Spicula tranſmittit, figitque ardentia roſtra
Importuna phalanx: vulgo ac regalibus audax.
Inſultare thoris, pateriſque immergere roſtra:
Divitias furantur apum, fragrantia mella:
Impoſitaſque dapes menſis, & lancibus haurit:
Sanguineaſque ſitit venas: circumſonat acri
Murmure: nemo valet rabidam compeſcere peſtem.

74.

Peſſima ſervo mihi; quando optima ventilo, ſpargo.

75.

Creſcimus, & ſudor nobis alimenta miniſtrat:
Ornamuſque hominem, lenociniiſque placemus;
Luxuriem ferrô noſtram compeſcere cogis:
Aurati, nigri, flavi, per colla fluentes
Undamus: neglecti animalia foeda fovemus.

76.

Fortunam ſervo, ſervatam reddo petenti:
Fur inhiat noſtræ, quia ſum ditiſſima, prædæ:
Auriculas quisquis mihi vellicat, inſonat auri
Copia facta mei: & cupido mea munera promo:
Sæpè quod effundam memet, res prodiga dicor;
Indè meis laqueum dominus cervicibus aptat;
Me pendêre facit; tunc aurea viſcera fundo:
Cumque animam dono, vacuum dolet eſſe cadaver.

77.

Sum vagus, imbellis, ludens volo, circulo in orbem:
Cornua bina ſedent fronti: cutis arida venter:
Perlûcent hyalo pennæ, tenuiſſima crura,
Subtileſque pedum fibræ; cava fiſtula roſtrum,
Spiculat, & mollis tremulo filamine cauda eſt:
Murmuro, pertenuique tubâ do vulnera, & aures,
Vellico: at humano venter cum ſanguine turget, (
Sim ſatur) infixa tamen hæreo cuſpide pelli:
In rabiem pecudes fugientes verto, feruntque
Mordicus hærentem, tranſfixis ventribus, hoſtem.

78.

Tundor ad incudem flagris, qui ſplendeo flagris:
Dextra timet corpus, gaudet contingere caudam
Gnara meam: res ſum tenuis; ſed plena pericli:

Si

Si ſapias ludos noſtros fuge; proditor ima
Viſcera, corque peto: me ſtratis utere menſis.

79.

Sum totus guttur: tota horrea devoro ventre:
Noxius agricolis, Cererique, & frugibus hoſpes:
Sum tenui formâ, magnamque abſumo ſaginam.

80.

Sum nive candidior primâ; mens concolor illi:
Quique nitet plumis, nitet idem pectore candor:
Pacis amans, Jovis armigerum levis ira fugabit:
Adrêpit jucunda mihi, nec muta ſenectus:
Ut ſenſi metam vitæ properare ſupremam,
Non tacitum celebro Muſæ modulamine funus:
Emorior, dulcemque animam cum carmine fundo:
Unda mihi tumulus, modulis deſcendo ſub undam.

81.

Femina, maſque meam pario vix nata ſororem:
Mortua gigno meam, genitam prius, ipſa ſororem:
Meque ſoror fratrem, quando ſum mortua, gignit:
Vix orior, moriorque, nigra, & clara, utilis orbi.

82.

Orator per me loquitur, quem concio cingit:
Sol unus curſum abſolvit, quem fecit habêre:
Sex mihi ſunt ſimiles fratres, de lumine nati,
Qui cedunt ſplendore mihi. Dum regno, ſuperbit
Veſte laboratâ ſolitus perferre labores:
Ipſa quies dicor: vis ſomnum dicere? non ſum.

83.

Gaudeo centum oculis, ſed cæcis; pérfodit omnes
Vis operoſa manus: fine me manus illa madêret,
Sanguine læſa ſuô. Flaveſco, aut candeo membris:
Femineus noſtro digitus caput inſerit antro,

Nec pudet; hôc factô salva est sua semper honestas.

84.

Qualis honos, quantusque loci! quam pulchra superbæ
Se facies fabricæ nitidâ sub imagine pandit!
Me cingunt muri, laquearia, tecta, fenestræ:
Cum trabibus surgo; caveæ sed deprimor antro:
Ordine densati tigni, tabulâtaque summus
Ultima nectit apex, & tegmina plumbea surgunt:
Hic penetrale patet: strepitus secluditur omnis.

85.

Bellua me nasuta tenet, rex illa ferarum est:
Me si non teneat, jacet hæc edentula, tota
Viribus orba suis: docilis mordêre, secoque,
Et secor in partes: candescit gratia formæ:
Mole gigantæâ socios ego vinco minores:
Ossa gero preciosa; humanisque usibus apto,
Consulibus sua sceptra, triumphalesque curules.

86.

Ore modesta meo, non sum temeraria linguâ;
Nec prior ipsa loquor, nisi voce priore lacessor:
Multa rogas? paucis reddo responsa roganti:
Ex me disce loqui: leges ego servo loquendi:
Multa loquens, sileo, sine voce silentia rumpo.
Si mihi das loculos, oculos tibi prodiga reddo:
Si mihi das laurum, reddo tibi parcior aurum:
Vim das argenti? reddo promptissima genti:
Das mediam partem? reddo, non amplius, artem.

87.

Os expers oris, loquitur taciturna, silendo,
Vox est læsa & blæsa mihi, quam profero ab ore:
Sum sine mente sonus, sum muta loquentis imago,
Aëris effigies: non tota, quod audio, reddo:

Ip-

Ipſe, ſequar, præeas, conſenſu montis & antri:
Extremum tantum ſoleo reditura referre.
Non vir, non mulier ſum; dum loquor, ore laceſſo;
Ore tamen careo: per me ſaxa ipſa loquuntur.

88.

Horreo mole nigrâ, monſtrorum bellua princeps,
Bellua vaſta, potens, ſilvis nutrita Dianæ:
Corporis immanem molem, neque turribus impar
Pondus habet; geſtat quæ propugnacula dorſo:
Quercu digna cutis, nullô eſt penetrabilis arcu:
Prominet ore minax dens: exertata proboſcis
Pro manibus ſervit: robuſtior illa ferarum eſt.

89.

Non memet novi rudis imperfectaque maſſa:
Sum ſemen, ſum lac, ſanguis, caro; denique ſpiro:
Eſt mihi viva domus, carcer domus; illa ſepulcrum eſt
Sæpè: tamen carcer me carcere liberat ipſe
Sæpè: mihi mater vita eſt; ſed ſæpè ſepulcrum:
Legitimus, non legitimus ſæpè exeo in orbem.

90.

Conſervo vitam, ſed pluribus aufero, honoris
Dum punctum, nimiô irati fervore, tuentur:
Terrorem ſplendore mei circumfero puncti:
Me miles, me nobilitas, quos vindico, geſtant:
Per me miles ovat; laurum invidiamque meretur.

91.

Cum ſeſſore fero frenum · calcaria ſenſi?
Erigor obnixus, ſpumantia mordeo lora,
Et pugno cervice, & colla comantia vibro:
Lumina ſcintillant, ſtat cervix ardua, frontis
Emicat altus honos, & ſpiritus evolat amplis

Naribus, assurguntque jubæ; mihi sessile tergum est;
Sed castigatos reprimunt calcaria cursus.

92.

Nata simul, quæ nupta fuit, peperitque biennis.

93.

Nata, sed incertis (ea fama) parentibus, infans
Primùm, de minimo mea per mendacia crevi:
Impleo primum aures, & mox sermonibus auras,
Plena oculis linguisque sonant sermonibus ora
Mille; volo pavidam, pennis vestita, per urbem:
Murmuro nec certum, magnarum nuncia rerum:
Non avis, aut navis, nec dicor equesve, pedesve,
Non animal, non mas, non femina dicor, & una
Plus simul his cunctis eo, navigo, curro, voloque.

94.

Nympha loquax, audax, assuetaque fingere quævis,
Quæ fremebunda sono, quæ nulla silentia novi:
Excubo pro foribus, bibo ventos aure recentes,
Sibilaque, aurarumque animas, & nubila capto,
Semper hians. Linguam jactant novitate sonantem
Rumorum vaga turba, volantia verba ministrant:
Qui miris patulas complent sermonibus aures,
Credulitas adstat simplex; errorque, minister
Lætitiæ vanæ, & mentiti ex hoste triumphi:
His ager hostilis narratis ossibus albet.

95.

Dissimilis quávis mihi luce renascor ubique:
Et simul ac nascor, citra alas pervolo Mundum:
Oblecto doctos: cum bellô, nuncio pacem:
Sæpe tamen soleo veris inspergere falsa:
Pingo meô totum tenui sub corpore Mundum.

96. As-

96.

Assimilat teretem mea longa figura Cylindrum:
In gravidô latitat mihi sus pleniſſima ventre:
Belga colit noſtrum, faſtidit Apella ſaporem:
Spernor, amorque fide pariter; ſed diſpare cultu:
Mors mihi ſupplicium eſt, poſt mortem denique morſus:
Mergor aquâ, flammæ vi torreor, ingeror ori.

97.

Victima, ſaxa inter, tibi totos immolor artus:
Heu! vix effûgi totis contrita medullis:
Sed tamen in melius mea dilapidata figura eſt:
Nam flos exſurgo, qualis non creſcit in hortis.

98.

Naſcor ubique: meas trepidat rex, turbaque vires:
Corporibus noceo; ſoleo quoque ſternere caſtra:
Sim quid, & unde fluam, gens vel doctiſſima neſcit.
Diſcedo, reditura: fero ægro frigus & æſtum:
Augeor, & minuor: multos premo, denique perdo.

99.

Sum teres, & mollis; mellis, dulceſque ſapores
Lactis alo: Ambroſiis cum Nectare gaudeo ſuccis:
Impaſtis ſoleo cænam præbêre colonis;
Sed lapidoſa meo teneo ſub corpore grana:
Me cum lacte coquas, mala faucibus inſita ſano,
Et deſperatis fundo medicamina morbis:
Portendo foliis diræ contagia peſtis.

100.

Grande cavumque caput, cava cauda & longior; ignis
Me format niveum ſaxum, de pulvere terræ:
Corpore tranſſigor totô. Mea corpora tractant
Sæpè popinones, foliis mea viſcera replent
Accenſis: fit fumoſus mea cauda caminus:

Exonero ventrem : quæ merces? denique frangor.

101.

Sum pecudis membrum, pecudes quod territo vinctas;
Obsequiô errantes inflictô reddo dolore:
Castigo, ut sanem lædo, prosumque nocendo:
Tergora metiri soleo: de tergore veni.

102.

Arrident vivis argentea sidera campis:
Deliciæ Veris, Veneriſque crepundia, visûs
Illecebræ, pandunt Soli lactentia labra:
Penè locuturas promunt in gaudia linguas:
Risibus apta suis, quæ fragrant, ora renident:
Vestiti florent redolenti frondis honore:
Hinç odor, inde color, pretiô certare laborant.

103

Colligor è multis unus, qui fœdere consto:
Posthumus enascor. Formosas orno puellas;
Pectus odoratus decorat color, aurea Veris
Gratia, tristis hiems campô me pellit, & hortô:
Vere calente creor: recreo suffimine nares.

104.

Floreo purpurei cultissima filia Veris:
Picta coloratô scintillat corpore palla:
Collucent patulis argentea viscera labris,
Quæ violant candore nivem, vel odoribus Hyblam.
Candeo, flavesco, vireo: sed sæpè rubesco:
Vinco diem fulgore meô, Solemque lacesso.

105.

Clara domus, quæ voce sono; meus incola mutus:
Ipsa domus curro, mecum meus incola currit:
Indefessi animis; pedibus sed uterque caremus.
Non ego vivo, domus; per me meus incola vivit:

In-

Incola faſtidit terras; ego verbero terras:
Quando videt terras, moritur meus hoſpes in illis;
Tunc homo pro tumulo ſua viſcera conſecrat illi.

106.

Neptuni proles moveor, ſto ſalſa, ſuävis;
Me ſequor, & fugio; per terras curro, per æquor;
Et teneo curſum ſtabilem: laude efferor, alta:
Nec mihi turpe putes, quamvis vager omnibus oris.

107.

Florebam, cum gramen eram; ſed falce reſectum
Condemnor tenebris, & in horrea claudor acervus:
Mole mea nimium molle obruor: areo membra:
Perque hiemes ſaturo ventres cibus aſper equinos.

108.

Menſa locum nobis cedit. Tu tergora primum
Noſtra vides partita, vides tunc pectora picta;
Sed ſecreta tenes: certas: ſumus arma: triumphas,
Aut cadis, ut ſors eſt: ſtultus benè militat, & rex;
Sæpè tibi damno eſt, ſæpè utilis. Alea miſta eſt.

109.

Os aperit tumidum venâ, buccaſque vibrantes
Exprimit, ex totâ ſaliens ſeſe evomit urnâ:
Exſilientem animam, & violentô vortice motûs
Surſum attollentem exertat; fluvioſque fugaces
Egerit; emiſſos componit in aëre fluctus:
Hic fluit in lætas violas argenteus humor.

110.

Sum pellucidior vitris, argenteus amne;
Vividus exſilio, ſtabili glomeramine, in auras;
Humentes vibrans, venâ ſaliente, ſagittas:
Me numquam contingit aper: petulantior ales
Non ſua colla lavat; quia flumine virgine mano:

Saltibus æternis, quas irrigo, desero terras;
Et repeto liquidum, materna palatia, cælum:
Spiritus in tenues effusus diffluit auras.

111.

Par caput est ranæ, corpus breve, sustinet illud
Pes gruis (ô monstrum non mirum!) extensus uterque.
Durities sensum quamvis mihi tollat, ad ignes
Frigida Vestalis sine veste sedêre laboro:
Ipsa manu moveor, quod non potes, ipsa tenebo:
Audio sæpè tenax; sed nulla tenacia nostra est.

112.

Norma laborantûm, constîpo farre cavernas,
Sum vitæ, longæque hiemis præsaga futuræ:
Discurso tritô per prata virentia calle:
Non gero magna simul; paulatim congero multa:
Tunc gustat fructus Sapientia fessa laboris,
Quando sævit hiems: pereuntes ridet inertes.

113.

Ut scintillo Draco, & cælo me fundo patente;
Nox ruere, ignivomô nubes crepitare sonore:
Vibror ad Occasum, momento, Solis ad Ortum:
Vox, fragor horrendus; jaculumque quod aëra rumpit.
Exanimo audaces pavidô terrore leones:
Silva fremit sonitu concussa, fatiscit Olympus:
Impulsumque cavô cælum quassatur hiatu.
Commotô cælô totô sonat ætheris echo,
Conterrentque homines oracula muta tonantis.

114.

Elicio lacrymas, lacrymas sine fonte fluentes:
Ipse peto cælum: gravis aër tardat euntem:
Lentescit cursus sensim meus: actus in auras
Spargor ubique auris levior, cum separor à me:
Per me jactantur fumosa palatia Regum:

Cum genitore meô ſpirans exſpiro, gemelli.

115.

Per vacuas auras graditur, pedis arte, viator:
Itque reditque viam levis, invia ducit euntem
Semita; perſultat ſtellis vicinus, & auris:
Tranſvolitat gladios; per ſphæras tranſit in auras
Sublatus; verſoque in terras vertice pendet.

116.

Sum vates, doctus cantu prædicere lucem;
Auroræ matutinæ prænuncio partum;
Lucifer in cælô Phoebi dat ſigna renati?
Præcino voce diem: terris ſum Lucifer alter:
Bis naſcor primùm ſine motu, poſtea curro.

117.

Criſta rubet, greſſus turget, calcaribus altum
Crus moveo, ravôque oculô luſtro obvius hoſtem,
Oſtentans audax pectus, micat ardua cervix:
Pugno: ſibi regem conjux vult eſſe, virumque,
Qui ſe major ovat, ſibi qui canit ipſe triumphum:
Frango indefeſſô impaſtus mihi viſcera cantu:
Auguror auroram, numeroſâ conjuge dives:
Regali accumbit menſæ mea cæſa propago.

118.

Concha ſub Auroram, lacrymantem funera noctis,
Emergit patulis ſalſô de gurgite valvis:
Tunc matutinos gremiô bibit ebria rores:
Rore fluente ſinus implet; mox cortice clauſô
Maturos uterô gaudet grandeſcere partus:
Et figit tenues ſtillas, fingitque lapillum.

119.

Limpidius ſpeculum, ſto, fluctuo, curro liqueſcens,
Dura ſolum, Solemque inter pendêre coäcta:
Quæ facio faciem, geminaſque niteſcere palmas

Sæ-

Sæpè tuas, quæ nunc te durô verbere pulso:
Dura rigore meô tibi sum; quia frigore stringor:
Mollis eram: nunc dura homines extinguere possum.
Et soleo solidare vias, ubi nulla viarum est.

120.

Saxeus agricolæ supra caput ingruit imber;
Præcipitata ruunt, cælestia spicula, saxa;
Cunctaque terrificant, homines, armenta, ferasque:
Silvarum violatur honos: petit antra colonus,
Confususque feris latitat: gemit obruta messis;
Hæc tritûra fuit. Videas lapidescere campos.

121.

Ungue saburratô volito, portoque lapillum:
Ordine turmatim gradior per inania cæli:
Pervigil excubias in classes divido nocte:
Verberibusque alarum, & acuti cuspide rostri
Insono, Pygmæis moveo cum bella cruenta:
Paulatim, niveus, seniô veniente, nigresco.

122.

Blandior, ut perimam: lethi propino saginam:
Sum lenocinium, sumque insidiator in undis
Subdolus, objectâ mucronem celo sub escâ.

123.

Torva supercilio, canis hirsûta capillis,
Lentô pigra gradu, vestitaque pellibus adsum:
Barba gravis nivibus, glaciatur barba pruinis,
Canities horret brumâ, stant nubila fronte:
Ante focum rigeo; dependet stiria nasô:
Pallidus ore Rigor, gelidis Tremor ossibus alget.

124.

Horripilans telis, hirsutus tergore totô
Missilibus centum (quæ sub cute condita) telis,

Solus

Solus ab attactu procul hoſtes arceo miles.
Eſt telis armata domus ; tamen hoſpes inermis.

125.

Ille beatus eram ; vivum modò ſpiro cadaver :
Bella mihi movi : immortalis diligo mortem :
Formam infuſco meam : me perdo domeſticus hoſtis.
Vitam ſperno : meam quæro, mea buſta, ruinam.

126.

Nobilitas mihi cedit, opes quoque, formaque vultus.
Si tangor, lædor : verbò mea gloria ſordet.
Nocte dieque inhio famæ, Mundumque pererro.
Contentus vivit, noſtro qui nomine gaudet.
Me quicumque caret, moritur ſine laudis honore.

127.

Machina ponderibus pendet librata rotatis,
Hæc lucis noctiſque vices ſignare laborat
Motibus æternis ; volvendarumque rotarum
Denticulis intexa agitur : Soliſque labores
Irrequieta notans æquatô examine prodit :
Auratus ſtylus irradiat, tardoque meatu
Expreſſas monſtrat ſpatiis æqualibus horas :
Æra ſonant præſens repetitô verbere tempus.

128.

Sum quadrata domus : meus incola fingitur arte
Vulcani. Me ſervat hiems, me deſerit æſtas.
Uno aditu pateo : tectum patet omne feneſtris.
Femina me gaudet : cerno, quod celat honeſtas.
Nil oculis video, tamen ardent : ſervo ſilenda,
Si me nemo videt, ſentit : me prodo calore.

129.

Me nil nobilius, nil mobiliuſque putatur.
Rerum principiis ex me ſunt omnia nata :
Omnia conſumo ; per me omnia nata peribunt :

Me

Me nihil eſt levius; ſed habet mea nomina numen.

130.

Me nihil eſt levius, ſed nota audacia noſtra eſt:
Aggredior Reges Per me ſtant pulvere regna:
Conſûmo totas ſilvas, exploro metalla:
Auras aſcenſu irrumpo: volo pyramis alta:
Devoro cuncta avidus: flammantia Tartara fundo:
Omnia ſuccumbunt virtuti ſubdita noſtræ.
Marſque Venuſque ardent, quos noſtra potentia adurgett:
Omnibus ut vitam, ſic pluribus affero lethum.

131.

Ferrea ſum, pugnax domino, ferrôque flagellor:
Pulſatum tergus candentes excipit ignes:
Murmuro non patiens: ſcintillas, fulminis inſtar,
Evibro: fumoſos, hoſtes mea flagra fatigant.
Horrendô fremitu, & ſtridorum murmure vivo.

132.

Momentô vacuum, momentô corpore plenum,
Aſſiſto Regi ſemper non aulicus. Enſe
Per me rex petitur. Sum Regi munera prima:
Rex quâvis mutat me luce. Immiſceo Regis
Me quoque ſecretis, & amoribus. Utile Mundo
Sum quoque poſt funus: cuncti mihi brachia tendunt

133.

Livida tota genas, oculoſque oblîqua minaces;
Torva acies, livent dentes, vomit ore venerum,
Ungues corrodit; ſucceſſu moeſta ſecundô,
Extenuat magnas, lugetque accreſcere, laudes:
Felle intabeſcens peſtis, quæ mordet honores.
Excubat inſomnis, marceſcit; ſueta videndo
Inſultare malis, lætiſque ægreſcere rebus:
Suppliciumque ſibi, dum carpit, carpitur unà:

Sordida, ſub viriis ambit virtutis honores:
Lætatur lacrymis: monſtrum infortunia paſcunt:
Divitiis pauper, cunctis inviſa, ſibique.

134.

Sum corpus vivum, tumulus quod condit, editque
Vivus aquam tumulus meus, & bibit: exeo vivus
De tumulô: extinctum tumulus me condidit alter,
In quô nunc jaceo; poſt Mundi fata reſurgam.

135.

Non humus, aut ſaxum, non me tegit urna ſepultum;
Sed me marmor habet; fluit hoc quoque mobile marmor.
Ipſe meus tumulus vivus tumulatur in undis:
In tumulô vivo, tumulôque renaſcor eôdem.
Meque meus tumulus vitales vectat in auras.

136.

Auricomos roſeus pingit Sol quando capillos,
Nimborum ſoboles, Titane micante, creata,
Diſcolor effuſis undis cum Sole renidet;
Pingitur hinc violis, Narciſſis inde, roſiſque:
Pulchra triumphalem, pacis ſignum, inſtruit arcum.
Picta colorato Dea circulat orbe per orbem.

137.

Sol genitor nubi me commendavit alendam:
Cum phâretrâ Sol lunatum mihi tradidit arcum,
Et radios flammarum, & lumina digna parente.
Aurea curvatô meditor dare ſpicula cornu;
Puniceô & niveô rareſcit utrumque colore,
Ceruleôque magis, qui non eſt, ſæpè colore.
Semper ab adverſô capio data ſigna parente,
Cum mea, nube cavâ, rutilans ſe exertat imago.

138.

Tres nuper fuimus: nomen nos copulat unum:

E tri-

E tribus eſt unum : tres commiſcentur in unô :
Per ſe quodque valet : melius quod continet omnes.
Non ſapio, & ſapio jus non jus lance recondor.

139.

Forma decora recens de vivâ fronte renidet.
Odi ſervitium, ſum libertatis amator.
Me puto felicem, dum ſcenas impleo ludô.
Utilis ars odio eſt : laudata ſcientia ſordet.
Cum flos Veris abit, ſerò ſapuiſſe laboro.

140.

Fraus ſtipata dolis, & inextricabilis error,
Inſidiæque omnes reſident in limine primô :
Occurruntque ſibi variis ambagibus orbes,
Orbes implexi, ancipites, & in avia ducunt :
Implicitus gyris currit locus, atque recurrit :
Ancipiteſque vias centum, ſectaſque doloſis
Artibus iſque rediſque ; nec exitus obviat ullus.
Non exis, niſi cæca regas veſtigia filô.

141.

Purpura ſum primùm : muto candore ruborem
Coctior ; inde fluo, candore notabilis humor :
Emicat ille color, quô non eſt purior alter ;
Convenit infanti niveus, ne ſanguine tincta
Ora ſcelus ſitiant, pueriles Nectar alumnos
Mitigat ; ut diſcat candori aſſueſcere candor.

142.

Sum pellucidior, formâque ſimillima Lunæ ;
Plena magis placeo ; ſed me decreſcere cogit ;
Defectumque meo gremio induxiſſe laborat
Fæx hominum. Si ſum roſeô formoſa colore,
Oſcula & amplexus mihi fert feſtivus amâtor
Mille diu noctuque ; meis quem denique prodo
Ignibus, & perdo cerebrum, & cum corpore vitam.

143. Gal-

143.

Gaudeo ventre cavô, nil ſum niſi venter, & auris:
Quem ſugas de ventre meô tibi promo Lyæum:
Terrea me finxit mater, genitorque Promętheus:
In caput allidor, dum labor fracta, parentis.

144.

Affinis terræ, terrâ ſum durior ipſâ:
Sæpè tamen nautis atrocior hoſtis in undis:
Litera prima abeat ſi nominis, ipſe volabo.

145.

Luxurioſa comis commendor frondis honore:
Glorior ornatis redolentior una capillis:
Vinco hiemes, ſperno ignavos, forteſque corono:
Victrices pompas inſignio fronde perenni:
Læta coronandum duco ad Capitolia Martem:
Delphica Palladiæ non cedo ramus olivæ;
Serpentes, morboſque fugo, fulmenque tonantis:
Ipſa creo vates, meritæ ſum præmia laudi.

146.

Sum campus variô ſtratus per tecta colore:
Luce laboratur ſacrâ mihi manè colendo:
Sto pede bis geminô: quartum caput effero: cælum
Poſſideo ſemper, ſed tempeſtate ſerenum:
Cum mihi Mortis adeſt frater, tibi lumina claudo.

147.

In ſilvis dominor: majeſtas regia noſtra eſt:
Emicat é fulvâ generoſa audacia fronte;
Lumina ſcintillant; rictuſque hiat ore patente;
Et juba diſcurrit lætos diffuſa per armos:
Exultat lætum aſſurgens, falcataque gyros
Cauda ciet, terramque ir à commota ſuperbâ,
Cauda, animoſa auras, cono horripilante, flagellat.

148.

Floſculus è terrâ viridanti caudice ſurgit;
Deſpectatque humiles regali vertice flores.
Virgineâ ridente comâ; quam multus inerrat
Candor, & inſperſô fundit Saturnia lacte:
Viſcera, quæ pandit, ſubtilia fila coronant
Lutea malleolis: niveôque intexta calore
Purpura ſcintillat, fulvôque intermicat aurô.

149.

Filia ſum Floræ; ſed Francis cultior hortis:
Exorno Reges; inſignia regibus addo:
Corpore ſum tenui teneróque, at vivida virtus:
Candeo de nivibus: mihi purpura pura rubori eſt:
Frondis odoratæ nimium commendor odore.

150.

Nemo meos novit, neque me genuere parentes:
Natus adulterio non ſum; fero Cornua frontis,
Cognita nec conjux ulla eſt mihi: captus ubique
Porto meam, mecumque domum, quam deſero liber
Quâ ſim ſtirpe ſatus, me ſplendida linea prodit,
Quam, tumidè gradiens, mea poſt veſtigia, ſigno.

151.

Interpres cordis; ſum purpura, garrula pica;
Optima ſum, quamvis eadem ſim peſſima; laudo,
Contemno, diſco, doceo, fileoque, loquorque.
Eſt mihi murus ebur; geminô circumdata murô.
Servor; ſum remus, ſetvuſque, aurigaque ventris:
Per me, quidquid edis, tranſit: ſum denique vermis.

152.

Tres & viginti, doctiſſima turba, ſorores
Hìc & ubique ſumus; queis nocte dieque renatis
Uteris: imprimimur nigro niveoque colori:

Quo

Quod loqueris, noſtrum eſt; noſtrum eſt, quod numen (adoras:
Mutus erit, careat ſi noſtris uſibus infans:
Per nos majores hominum poſt fata ſuperſunt.

153.

Celo patrem; niveum gremium, nigrumque reſigna,
Prodo patrem: terrâque, marique, & naſcor ubique
Interpres mentis: bellum ſæpè, & nuncio pacem:
Mira fero: magnis me ſæpè interſero rebus:
Per me mille hoſtes, & mille lucraris amicos:
Clauſa meo tergo, tua geſto inſignia ſemper.

154.

Quæ cernis, ſtant buſta; carentque cadavere buſta:
Nec ſunt buſta; tamen poſitum eſt ſine mente cadaver:
Quam cernis ſtatuam, ſibi buſtum eſt, atque cadaver.

155.

Cornea ſum, vitrique inſtar: perlucida totô
Corpore, lumen alo, tenebris inimica fugandis:
Præfero nocte facem, faciem tunc prodo diei:
Ipſa viatori monſtro lumenque, viaſque.

156.

Servio, dumque feror, me Reges ponè ſequuntur:
Dux ego ſigno viam: tenebras quoque diſſipo noctis;
Me latebris fur nocte meis, dum diripit, abdit:
Tot mihi ſunt fratres, quot ſunt ſua ſidera cælo.

157.

Sum vaga per vacuum: facies argentea formæ eſt.
Curro vias, ubi nulla via eſt, ſtatione tenaci:
Impero Neptuno: terras vegetare laboro:
Corporibus mea dona fluunt: mihi portio cælum eſt.

158.

Nocte vibro lucem pauperrima, lucis egena:
Eſt mihi frigidius corpus; ſed lumine fœta
Diffundo radios: per me rus germine floret.
Defectu triſti, terrâ occurrente, laboro.

159.

Dentibus insanis, infamis terreo campos:
Arma mihi rictus, armentaque maxima sterno!
Attollo rabidam vocem, silvasque lacesso:
Omnibus invisus pastoribus, erro per arva.

160.

Est oculatus homo, sed lumine natus abortus:
Obliquos lustrat circum male quælibet hirquô;
Qui mare, qui terras, sed cuncta retorta tuetur.

161.

Os geminum, sine dente meô, sub ventre, videtur;
Et quatuor nasi, quivis est tortilis, exstant
In collô, prodoque animam sub ventre latentem:
Subsisto non carne, nec osse; sed arte manuque (
Quæ manibus careo) quatuor quoque gaudeo nervis:
Aures exhilaro res dulcis, vana, brevisque.

162.

Grande caput, virtus cui corporis indita tota:
Concutio capitis pugnâ, dum verbere pulso:
Ædifico, frango. figo, struo, destruo, fingo:
Sæpè struens aliud, mihi destruo denique corpus.

163.

Nos duo, vicini colles, servimus amori:
Post annos ter quinque tumescimus: esse gemellæ
Dicimur unius partus, niveæque sorores.
Nascimur illecebris. Festiva juventa coronat
Nos duo: blanditiis lenociniisque placemus
Virgineis, velat nos virgo modestia: nudas
Nos tetigisse, nefas. Fluimus non virgine fonte.

164.

Quinque fero ramos; nodi tres cuilibet insunt,
Unô primus eget, reliquis qui robore præstat:

Co

Colliculis surgo, quæ vallibus undique sido:
Harpago, do, capio, scalpo; tibi servio forceps.

165.

Me nil commodius: sum sarcina cara ferenti:
Dito; contentus vivit, qui possidet unum:
Et quocumque feror (feror ad venalia quævis)
Prodigo me: fervent ubi regno gaudia vitæ:
Et perdo, & servo multos: quot commoda, damna
Tot creo. Sum fortuna: mihi fur excubat astu.

166.

Cella capax animi, penus ingens, optima gaza,
Palladiæ custos, æraria mente tenaci
Servat, & illustres librorum stipat acervos,
Bibliotheca tenax, artis doctissima nutrix,
Et quæcumque vident oculi, meminisse laborat:
Auditus simulacra suo quoque pectore claudit:
Præteritum, præsensque tenet, retinetque futurum:
Mille citat libros, monstrum memorabile mentis.

167.

Infima dedignor, teneo sublimia tecta:
Et mihi conspirant venti. Me cerne volantem;
Sed sine pennatis alis. Tibi nocte dieque
Bis gemini fratres, ut sustentêre, laborant.
Sæpè susurrantes in me Thetis exerit urnas.

168.

Juncta viro conjux jacet hic; pigra, succuba sistit:
Impiger alter amat solus, toleratque labores:
Immotâque aliâ, citò circulat alter in orbem:

169.

Nos tonsi fratres, ventris pecus, otia in umbris:
Quærimus ignavis vitam traducere tectis.
Cantamus noctu, lux Bacchanalia vivit.
Mendici dici gaudemus, cuncta tenemus.

170.

E vitâ invitus (fruſtrà evitare laboras)
Curſor abis: & eris, quod ego ſum exangue cadaver.
Omnibus immineo, tollo omnes, ne ſcia vitæ.

171.

Tres animas domus una tenet, quæ viva movetur,
Diſceſſere duæ; quas tertia penè ſecuta eſt.
Quiſque ſuas animi, vel corporis incolit ædes.

172.

Diſſimilis patri, & matri, ſum diſpare ſexu:
Proereor ex aliis; ex me ſed nemo creatur.

173.

Parva caverna domus, cui ſemper limen apertum eſt.
Præda, cibus tenuis, de rapta vivo ſaginâ.
Per tenebras graſſor, docilis turbare quietem.
Infelix! felis vereor temidiſſimus ungues.

174.

Inter aves numeror, minimô quæ corpore conſto;
Frigore deliteo, redeoque æſtate tepente:
Vellico paſcentes pecudes, hominesque laceſſo.
Exanimor ventis, hiemis quoque frigore perdor.
In gyrum volito vaga, circum lumina ludens:
Ipſa meô ludô pereo: lux ipſa ſepulcrum eſt.

175.

Dicor odorato lacrymata ex arbore: nata
Pro lacrymis, & per lacrymas mea manat origo,
Ex oculis ſtillans, quæ ſum de cortice nata:
Lætus honos frondis, verique doloris imago.

176.

Pinniferæ ſilvæ ſum filia: navigo, velis
Culta: procellosos ſublimis rideo Cauros:
Cornutam frontem ludentia apluſtra coronant:

Incli-

Inclinare caput ſoleo, cum tranſeo pontem.

177.

Pulchra laboratæ commendor filia ſilvæ,
Silveſtri que feror comitata ſorore per altum:
Curro iter immenſum, veſtigia nulla relinquens.

178.

Sum nubis, cineris, fumi, vel noctis imago;
Nec ſum nigra tamen; tenebras ſuperaddo diei:
Aſcendo; pluviam indûco; ſed lapſa, ſereno.

179.

Ex nihilo innumeros numeros ego fingere novi:
Una ſuum multis numeris dat litera pondus:
Unum poſt nihilum ſequitur? nihil inde creatur.
Unum ſi nihilo præeat, nihil omnia fiet.

180.

Floccus aquæ tenuis, tenui cum vellere ſparſus,
Conſtîpo tectam, facturus flumina, terram:
Candida lanarum calveſcit terra capillis:
Hinc ſurgunt niveô montoſa cacumina cælô:
Sole calente fluo, ſto frigore, flumine ſiccus.

181.

Moroſô vultu hæreo culminibus deſertis:
Sim contemta licet, gravitate ſuperbio frontis:
Me nox atra tegit: mihi nox pro luce renidet;
Si per inane volo, volitanti obmurmurat ales:
Semper hirundineâ circum vallata cohorte:
Garrula perſequitur profugam, cum paſſere, pica:
Si cano, funeſtus vocor augur: terreo cantu.

182.

Bos vituluſque fui: mea nunc eſt ſedula cura,
Crura tibi veſtire: gero calcaria turgens
Bina foris; ſed carne tument mihi viſcera & oſſe:

Gramina quæ carpsi, viridantia gramina calco:
Quemque verebar, equi stimulô premo terga cruentô.

183.

Sum similis Soli: celsâ nam tutus in arce
Illustro parvum Mundum: vallorque comatis
Arcubus; & geminis me valvis moenia cingunt:
Sum pellucidior vitris; & plura vidêre,
Quam Sol, cuncta suô qui lustrat lumine, possum:
Sideribus certant mea lumina, sidera vincunt;
Sæpè sed, heu! casu mea lumina flumina fiunt.

184.

Flumen amo, ripæque thoros, rimorque profundum,
Fontibus immersus, niveisque argenteus alis:
Ludo super lymphas saliens, facilique natatu
Illâbor: vix remigiô pedis ima laborant:
Pluma in aquis vix tangit aquas; collumque superbum
Eminet, & liquidâ tangor, non tingor ab undâ.

185.

Qui meus est genitor, famulis prænunciat horas:
Prosequiturque meam matrem violenter amore:
Momentô nascor; sed quæ me parturit, insons
Voce suâ prodit Niveô sum corpore: parvô
Stem quamvis preciô, vinco aurum: servo salutem:
Devororantè diem liceat quam cernere vivo.

186.

Me nova Roma negat, quod sum; me numen adorat:
Omnibus utilior vitam servare labôro:
Vivere nemo potest sine me: sum carior auro:
Si me dente petis, non indignabor hianti:
Fortè rogas numen? tibi me petis: omnia in uno
Dives habes: me si teneas, potes esse beatus.

187. Gran-

187.

Grande caput, multæ linguæ, mea membra minora,
Et viridis pes eſt, ſed pes longiſſimus unus:
Indûco ſommos, non dormio, creſco per hortos.

188.

Qui modò ſerpebam, volucris ſuper æthera tollor:
Sed careo nidò: volito per tecta, per agros:
Ala gerens oculos, variô diſtincta colore eſt:
Ardeo amore ignis, conſumit & ignis amantem.

189.

Hortus odoratô Veris floreſcit odore:
Exulat omnis hiems: Boreæ poſuêre furorem:
Inviolatus honos violæ eſt: fonteſque perennes
Exſpirant latices, felicia balnea campis
Pæne ſub æternis nutant argentea ramis.
Hic arbos vivos homini parit aurea fructus.

190.

Fulgurat aurato mihi veſtis plumea tergo,
Vertice criſta tremit; fert centum ſidera cauda:
Collucent oculi centum, quos perdidit Argus:
Duco choros, dum colla tument: me miror euntem:
Par Superis gtadior, me ſum formoſior ipſô:
Inſideo tectis, ventos ſpeculatus & imbres:
Frigida nobilibus propino flabella puellis:
Ventilat hoc; animique æſtus, annique levantur.

191.

Materies cornu eſt, buxus, teſtudo: coronat
Me ſectum ſeries numeroſi dentis utrimque:
Cæſariem implexam diſcrimino: cóntero vermes.

192.

Accumulo ſordes: ſine retibus, atque ſagittis,
Et canibus venor: non dentes effugit ulla

Præda meos: sordet, qui me non possidet, artus:
Hirsutas dum dentatus discrimeno silvas,
Persequor ipse tuum, qui vivum devorat, hostem.

193.

Eruta de terræ soleo prodire cavernis:
Flammarum patior furias, ferrôque flagellor:
In me tunc Regis pretiosa renidet imago:
Immensum dives Mundum Regina guberno:
Sum mundi pretium, nervus belli: omnia vinco,
Corrumpo, perdo, salvo: invia, pervia reddo:
Ipsa sonô placeo, cui dulcis musica cedit.

194.

Terra fui, non terra vocor, pretiosior inde
Emergo: pretium flammæ regale dederunt:
Sed sum terra tamen; per me quoque terra paratur:
Et mea materies est formosissima terra:
Sum gravis, & nullum gravido mea dona ferentem.

195.

Sum pedes, & pædor: totus pro corpore venter,
Brachia nulla, pedes numerosi, cauda procêra est:
Sæpè latro lateo parvus sub fronde comante;
Infestoque homines, solitus turbare, quietos:
Humani pascor sitibundus sanguinis haustu:
Me non invenies, inimicô ex ungue, leonem.

196.

Venatus noster præposterus esse videtur:
Qui pótitur præda, prædam fastidit & horret;
Elapsam prædam sibi fert venator, alitque.

197.

Carnea mater erat; non sum caro: docta volare,
Dum mihi mater erat, per amœnas aëris aulas:
Nunc volo per niveas, quas cornu pingo, tabellas.

198. Orn

198.

Orno naturam, Muſas, Chariteſque decôre:
Me ſine non ſtarent ipſi cum numine cæli:
Nomen quæris? habes in te, me póſſidet omne:
Me ſine, nemo poteſt umquam mea nomina noſſe.

199.

Nigra ſoror, fumoſa ſoror, ſum corpore craſſa;
Non ego fumoſo; ſed pingui ſurgo parente:
Eſt ſoror una mihi, quamvis tres eſſe putentur:
Omnes ſuſpenſæ ſunt atra cadavera funę:
Suſpenſæ paſcunt homines, non fercula corvos.

200.

Quinque gero digitos: conſto carne, unguibus, oſſe,
Articulis: cum fratre meô veſtigia firmo.
Ambulo cum ſociô: ſine me neque Muſa cucurrit.

201.

Quæ par divini poterit mihi carminis eſſe?
Omnia deprômo diſcrimina gutturis, omnes
Elicio modulos, numeroſis flexibus uſa:
Nocturnaſque vigil certo cantator in horas:
Sub ramo dulces fundo florente querelas.
Exiguô paſcor; rarò cano, rara volûcris.

202.

Morte meâ vivo: per me mihi poſthuma vivo:
Et, ſi non morerer, mihi nec vixiſſe liceret:
Ut moriar, vivo; moriorque, ut denique vivam;
Viva igitur morior per me, quæ mortua vivo;
Ergò meos Manes licet appellare parentes.

203.

Paſcendis oculis fio, Romæque triumpho.
Pulvis homo eſt; & ego, res ſum pulcherrima, pulvis.
Sum vir, ſum mulier, deus, & Dea ſancta, profana:

Non

Non ſomnum capio, recipit me tela cubantem.
Simia non videor, ſimulans fingo æmula quævis.
Induo transformis mentitos ſæpe colores.
Ni caveas, ut aves, te perfectiſſima fallam.

204.

Pingo, ſed fingo; quia mentior omne tacendo:
Pingo dolô vivam tabulam, quæ fabula fiet,
Prodita. Pulchra magis pulchrô decorare laboro:
Sum nec adulter amans niveas & adultero formas:
Vis, ut me vulgem? Tibi dicor adultera pura.

205.

Raſa foris, hirſutâ ſinu, formâque globoſâ
Perſulto, quamvis videar pedis uſibus orba:
Emico ſidereas pennis viduata per auras:
Pulſa, repulſa manu ludo: nec laſſa fatigo.

206.

Non ſum compta foris; quia ſum viduata capillis:
Hirſutus venter ſtipatô crine tumeſcit:
Percutio palmas, palmis percuſſa remittor;
Quæ percuſſorem percuſſa reverbero ſemper:
Inſtar avis, volito, nec ſum pennata, per auras.

207.

Sum nive candidior, ſum Sole rotundior ipſô:
Altior humanô ſum vertice, vertice cælos
Tango; repercuſſô quatio pede cóncita terras:
Heu! ſed percutior palmis; ictuque ſonante;
Et tamen exſilio plauſu; palmaſque ſaluto,
Quæ me percutiunt; quibus oſcula, preſſa, refigo.

208.

Subditur omne caput capiti mihi: frigora pello:
Depilis olim; ſed nunc de vellere fio:
Me præeunte tibi, dominum de more ſalutas:

Li-

Libertas Romana fui: modò maſcula ſigno.

209.

Eſt cava forma mihi, mihi ſemper forma rotunda eſt:
Veſtior Æthiopis, vel oloris ſæpè colore:
Orno virum, contràque auras defendo, vel imbres:
Et libertatis Romanæ præfero ſigna:
Nec cernis tectum, niſi per me · détege nomen.

210.

Cóntero: cuncta meo tenuis ſunt robore pulvis:
Totaque ſum cervix: capitum mihi forma duorum eſt:
Et mea de ſolidô ſunt corpora ficta metallo:
Æreus eſt, venterque cavus, quem verbero ſemper.

211.

Matre fluo gravidâ: mihi mater paſſa ruinam eſt.
De cælo labor, liquidas tranſfuſa per auras:
Germina me ſitiunt: vitam quoque floribus, herbis,
Et plantis indo; millenis uſibus apta.

212.

Ad numeros curro: pedibus ſi forſan aberrem,
Audio cenſuram; damnant, ſacra turba, ſorores
Præcipitem. Pedibus propero, res blanda, ligatis.
Herôum famam, bellatorumque triumphos
Æternâ cum laude cano, ingenioſa voluptas.

213.

Silva ſtat in lymphis: ſiccus pede flumina tranſis.
Calcat & invîtas arcus ſublimior undas:
Indignantur aquæ, ſilvamque evertere tentant,
Perſtat, & irrîdet furias, Neptunia tela.
Tuta viatores tranſmittere ſilva laborat.

214.

Setigeræ matris præpingui natus ab alvô,
Sordibus oblector, me ſordibus ipſe volutans:

Et

Et mihi ſuppeditat ſilveſtria pabula quercus.
Æmula ſunt hominis mea viſcera: murmuro ſemper.
Ebria turba ſolet decorari nomine noſtrô.

215.

Os oculuſque domus, inſueta vidêre, loquique.
Penfilis, ut muris, ſic ferrô veſtior artus.
Cómiter excipio, quiſquis me verbere pulſat.
Hoſpitibus moveor venientibus. oraque pando,
Officioſa meis. Urbes & mœnia ſervo.

216.

Os & honos avium; cui plumæ in corpore vernant,
Blanditur multâ dominoque epuliſque ſalute;
Contentus minimô, ſuſpenſô amplectitur ungue:
Innocuô adludit roſtrô, reſponſaque reddit.
Infantem in cunis, credas vagire jacentem,
Vel deriſoris lætos audire cachinnos:
Nunc felem jures ſimulare, latrare moloſſum,
Gallinam cantare, animare in bella cohortes,
Tantus amor fandi eſt, meditata ut ſæpè retractet.

217.

Gloria ſum volucrum; præſto diſcrimine vocis,
Ingeniôque homini; ſed amœni dotibus oris,
In blandos domini mores me vertere novi.
Eſt mihi rara fides, & rari forma coloris.
Mille ſonos modulans docili de gutture fingo:
Quod ſono, non brutum eſt: humanas exprimo voces.
Mulceo jucundis aures, & cantibus auras.
Non volo, quando volo: me carcer claudit honeſtus,
Qui me, ſit quamvis mutus, facit eſſe loquacem.
Sæpè choros duco lepidos, & amabile carmen
Succino; ſæpè ſalit dulcis mihi riſus ab ore.
Comiter excipio venientem. Sacchare paſcor.

218.

Excrementum hominis, naturæ foedus abortus,

Pon-

Pontifici & Regi consanguinitate propinquus:
A thalamis, à Secretis sum regibus unus:
Cui calidum gremium regina indulget amanti.
Sum tuus, ut tectô, sic lectô natus eôdem.
Sum latro sanguineus; turgetque, ut tympana, venter.
Milito in insidiis, humani sanguinis hæres.
Non timeo excubias, quas mordeo: conteror ungue.

219.

Prodeo de matris gremiô sub luminis auras,
Et nondum nascor; sed adhuc in corpore condor:
Et, partu positô, me natum nemo videbat,
Ex aliô tandem, quam matris, corpore nascor:
Hoc aliud corpus sed creditur esse parentis.

220.

Est mare, sed parvum, quod salsô fonte coronat
Nos geminas, unâ natas sub fronte sorores.
Servîmus speculis, quæ nocte dieque vagamur.
Per nos lingua sonat, per nos Sol ipse videtur.
Moenia nos cingunt, cingunt radiique comantes.
Arcubus armamur: teneræ Sirenes amamur.
Præsentem imprimimus: momentô claudimur omni.

221.

Sum locus umbrarum, terris immersa vorago,
Undarum carcer; sed me mea terra reliquit,
Qui modò sum gurges, venientes dévoro ventre:
Tantum perfossis excurrere gaudeo ripis:
In terras venio, manibus deducta ligonis.

222.

Fulgidus in tenebris rutilans exterminat ignes
Ignibus; & plusquam radiantia sidera lucens,
Carbonis specie ignescit; latèque superbas
Spumat opes; ditatque solum, noctemque fugatam
Obruit; & Solem indûcit, flammante medullâ.

Tau-

Unable to display this page

Paulatim cogor, lentoque humore coactus
In ſtillas coëo; & foliis ſitientibus hærens
Lenteſco, ſpeciem ceræ, melliſque ſaporem
Induo: paſco roſas, atque agmina mellea Floræ.

228.

Eductum terris ſuſpendit in aëre Phœbus;
Roſcidus hinc redeo: vocor humida filia noctis.
Melle fluo, mellis genitrix, ſum vitrea gemma.
Me ſpoliant, gens mellis, apes, quas impleo ſuccis,
Famoſaſque meis reddo. Sum munus olympi,
Promiſſum Patribus. Tellus ſitit arida? tingo.

229.

Purpura ſum terræ, niveo formoſa colore;
Ne carpar, telis circum veſtita cruentis.
Vix orior, morior: digitus me vellit amarus;
Purpureamque facit bis ſanguine, biſque rubore.

230.

Flos Veneris ſum, Veris honos, & gloria Floræ.
Lacte nato, nivibus ſpargor, quæ ſanguine tingor;
Purpura ſum Regum, naſcor de ſanguine Regum.
Flos florum, cingor regina, ſatellite, ſpinis:
Sæpè manus avidas teneris læſura puellis.
Vincit odoratos mea formæ gratia flores.
Reddo ſeni juvenem: morborum examina ſterno.

231.

Inter odoratos princeps caput exero fratres.
Sum nix, ſum ſanguis, ſum lac, ſum purpura florum.
Si nivibus certare placet, mihi lilia cedunt:
Sanguine ſi pugnare juvat, mihi purpura cedit.
Ambroſios jactas violæ, quos ſpirat, odores?
Invenias omnes in me virtutis honores.

232.

Sum radiis veſtita meis, ſine lumine: curro.
Pes unus parvo, magno duo, ſæpè quaterni
Eſſe ſolent patri: moveo veſtigia nulla,
Fixa loco; ſed muto locum: ſic curro quieſcens.

233.

Silveſtres quatuor currunt ſine crure ſorores,
Æquali certant curſu contendere: numquam,
Tam ſibi vicinæ, ſeſe contingere poſſunt.
Signa ſui poſt ſe, veſtigia trita, relinquunt.

234.

Inſtar avis, volito, quæ ſum pennata: caveto;
Mucro ſolet cornu, vel ferrô ſæpè ferire.
Auras miſſa peto; nullo mittente, relabor.

235.

Me Thetis, & Phoebus generant: ego matris in ulnis
Diffluo, & in liquidô vitam novus haurio pontô,
Sed pariter perdo; moriorque, ubi vivere coepi.
Unda coit nivis in formam; quæ, Sole calente,
Paulatim riget in niveos denſata lapillos.
Lenta Thetis torpens in robore firma ſuô ſtat.
Sum carnis cuſtos, lymphæque: propino ſalutem.

236.

Nocte dieque parens terram mea verberat ore:
Et genitor, terræ jungit procul oſcula. Quæror
Utile; ſæpè natant ſilvæ mihi mille per æquor.
Per me vivit homo: ſine me corrumpitur unda,
Tuque, feræque omnes. Quâ ſervio, deſtruor, horâ;
Inque meam redeo, niveum, nigrumve, figuram.

237.

Lacteus, inde ruber, diſcurſu circulo in orbem:

Vai

Vasa tenent captum: pretio, plus æstimor auri:
Quis sine me vivat? Bellô emico, territo Martem.
Exsilio eductus de carcere: promo salutem.
Est mea nobilitas. Reges creo, vosque latrones.

238.

Me sine nemo valet: sine me, mors, vita videtur:
Obsequium tibi membra negant, dum desero membra,
Quam perdunt omnes, me quæsiviſſe laborant:
Dono laboranti, quam non habet, ipsa salutem.

239.

Erige nos, poteris, si scandis, in ardua ferri:
Excipiuntque feruntque gradus excelsa petentes:
Scandit inaccessas homo, nostrô munere, turres:
In cælum ferimus, nos si calcare laboras.

240.

Sum sine fronde arbos, arbos inversaque, ramis
Congestis strictisque simul. Quâ transeo, pulsis
Sordibus, aula nitet: fumosos purgo caminos:
Sum puerilis equus: puerilia terga flagello:
Ducor ubique sequens, manibus complexa duabus.

241.

De lignô corpus, corpus mihi sæpè metallô est:
Pectore jura meo (nec sum studiosa) recondo:
Oscula do domino, dominus mille oscula reddit:
Ventre meo Cererem condo, condoque Lyæum.

242.

Prodeo de silvis, me templa utuntur & ædes:
Insisto pedibus quatuor, nec bellua dicor,
Nec Janus; tamen ipsa biceps sum: tergore præsto
Commoda magna meo; excipiens Regemque, gregemque:
Me venienti offers, quando te visit, amico.

243.

Larva hominis ſum mentiti, ſpiranſque cadaver:
Omnibus horrori titubo, tremo, ſordeo rugis:
Repo tribus pedibus, pendenti corpore curva:
Dormîto pigrè moroſa; obmurmuro, ſomnô
Litigioſa meô: loculos audire ſonantes
Gaudeo: de loculô ſi mentio facta, tremiſco.

244.

Quinque ſumus fratres, laribuſque habitamus iiſdem:
Venatur primus, dextrè collineat arcu:
Voce alter, citharaque auras demulcet, & aures:
Qui ſequitur, venæ pulſum tentare laborat:
Quartus odorati ſpiramine gaudet amomi:
Delicias Cereris quintus, libatque Lyæi.

245.

Nomen inane gerens hominis, cui vita profûgit,
Oſſa tego, carniſque examina ſordida, vermes:
Odi viventes, admitto cadavera ſola.

246.

Filia ſum tenuis; ſed ſaxô durior omni:
Frigeo; ſæpè tamen mihi frons perfricta renidet:
Servo lares, urbes, veſtes, templa: arceo fures.
Et mea ſæpè fodit nil lædens, viſcera ferrum.
Claudo fores; pandoque: reos, aurum, omnia ſervo.

247.

Frons criſtata micat: maculis interlita terga:
Ignea ſanguineâ rutilant duo lumina ſqammâ,
Squallida fatali colluceut colla venenô:
Felle horret, ſanieque tumens exſibilat iras:
Immani volvit ſinuoſa volumina ſpirâ.

248.

Dentibus horreſco numeroſis ferrea membris.
Mordeo ſilvicolas, quos mordeo dente tenaci;
Et rurſus môrdens, ſaturari neſcia, ringor.

249.

Æterno leges, ſancîtas Regis in aulâ:
Lex rata, quod valeat, per me, quod & imperet, haurit:
Regius interpres mutus vocor: imprimo mille
Pignora, ſigna mei; currunt vix nata per orbem:
Si mea nobilitas præfert inſignia, floret:
Expungor? violor? ſordet decus omne, fideſque
Nutat. Adorandâ me majeſtate corono.

250.

Fingor avis; volito, numquam ſtatione recedens,
Solis ad Occaſum, momentô, Solis ad Ortum.
Ferre meum eſt venti rabiem, pluviaſque ſonantes.
Meque viatores conſultant ſemper ituri.
Diſpliceo, placeo; moveor quia quâlibet aurâ.

251.

Sint licet è ſaxô mea corpora, frigida ſemper;
Elice, flamma meis latet abdita (ſentio) venis.
Attritu ferri, flammarum ſemina ſpargo.

252.

Sum cava ventre, teres non auribus audio: ducor
Sæpè catenato, vel longo fune ligata
Carceris ad tenebras ſaliens, rimorque profundum:
Dum redeo, lacrymor; rediens quod hydrôpe laboro:
Servio pro ſpeculô, domini referoque figuram.

253.

Par oculo, ſed non video, volo mobile corpus:

Quâvis gigno die natum ſine matre creatum;
Ipſe die pereo, quâ rurſus naſcor obortus:
Eſt mihi clara ſoror, me patre abſente, creata;
Dividit imperium mecum, moriturque renata.

254.

Me nihil in totô formoſius orbe videtur:
Impero rex cælo, terris ſpectandus & undis:
Stat virtute meâ, quidquid florêre videtur:
Manè, verecundus numquam, tibi prodo ruborem
Ipſe meum: curro; ſed nec veſtigia figo:
Nulla via eſt, ubi curro: nec umquam nocte quieſco:
Non vivo, cælumque tenet me: numen adoror.

255.

Sum viſûs ſpecies, jucundaque noctis imago:
Effingo vanos, ludibria falſa, timores:
Momentô pauper, momentô dives eôdem:
Sum ſtultus, Doctor; ſum vir, ſum femina; vivo
Mortuus; & fio mihi noctua, ſimia; nec ſum.

256.

Eſſe quies animi dicor, curæque levamen:
Reſtauro vires, reddoque laboribus aptas,
Sunt ubi prona mihi labentia ſidera cælo:
Excipio gremiô feſſos, herôas, amores:
Fortunata patent venienti limina regum:
Nec pudet in parvis recubare mapalibus agri:
Armatas acies cum viribus exuo totis.

257.

Allabor pigris Deus imperceptus ocellis:
Quâ venio, ſopîta Quies comitatur euntem:
Noxia ſæpè quies, jacturaque maxima vitæ:
Corpora proſterno, ſimulantia funera; ſpirant;
Hôc unô vitæ gaudent, ſunt cætera mortis:

Cri-

Criſtatas odi volucres; mea gaudia turbant.

258.

Adrêpo tacitus: ſimulacra fugacia fingo,
Lætitiamque, metuſque, & falſis miſceo vera:
Ipſe tibi præſens (oculos, nox, claude) videbor.

259.

Perſpicior, ſum res pellucida. Servio viſum:
Per me oculus tranſit: per me Sol lumine tranſit:
Non me tranſit hiems: oculus feror eſſe domorum.

260.

Quod video, oſtendo; non oſtentator habebor:
Oſtendo, ſi quid præſens oſtenditur antè:
Reddo tibi ſpeciem veram, neque fallit imago;
Teque tibi pario: per me tua dextra ſiniſtra eſt.
Non vivo: tenuis me ſpiritus inficit oris.

261.

Aſſimilare meum eſt: numquam ſimulare docebo;
Simia ne dicar, Latii me ſpiritus oris
Finxit; & argentô mentitô noſtra teguntur
Tergora: adorandis ego ſervio manè puellis:
Rideo, ſi rides; &, te lacrymante, dolebo:
Si lóqueris, ſileo; non reſpondebo roganti,
Labra tamen moveo: quo tangor verbere, frangor.

262.

Ignea cæleſtem furatur machina Solem.
Igne flagrat, non igne ſuo, ſunt furta Promethei;
Ambitioſa micat, quam flammæ mille coronant:
Evibrat hæc ignes, ſit quamvis ignis egena,
Æmula ſtellarum; Solemque à Sole retractum.
In gremiô ſplendêre ſuô (miracula!) ſpectat.
Sol tantus tenui ſplendens ardeſcit in orbe,

Par sibi; Sol Solem radiô non pingit inerti:
Se totum hìc fundit, lucemque, faceſque, globumque:
Non hæc degenerat, non hæc mentitur imago:
Terreus hic Sol eſt, aſtrorum nobile furtum.

263.

Majeſtate meâ cor, quod mortale, movetur;
Nec ſum mortalis: fons vitæ dicor: ubique
Ardorem promo: noſtris Mars ignibus ardet:
Subditus eſt legi noſtræ Deus: utilis armis
Sum, ſimul & paci. Nihil orbem pulchrius ornat.

264.

Sum levis, & mollis, venter ſitientior undæ:
Mille cavernarum ſpiracula parva, meatus,
Corpore hiant patulô: cava viſcera fonte tumeſcunt:
Si premis, expreſſas humecto turgida lymphas.

265.

Thetydis æquoreæ regnis ego naſcor in altis:
Crebra cavernoſum mihi corpus fiſtula fingit:
Turgida fontanô levis impleo viſcera ſuccô:
Pollice preſſa tamen turgentes evomo fontes.
Peniculique locô ſordes detergere noſtrum eſt.

266.

Triſte ſolum cultore caret, marceſcit ariſta:
Fallit ager dominum: ſegetes moriuntur in herbâ:
Meſſe ſua caret ipſa Ceres, aliunde petenda eſt:
Sed neque Bacchus alit vitem, nec Pallas olivam:
Prata Pales, floreſque dolet langueſcere Chloris:
Nuda ſoli facies, & dives copia ceſſit.

267.

Quadratum corpus, quod cernis, tela miniſtrat.
Utitur his telis juvenis, vir, femina, & omnes,

Ge-

Geſtat honoratô me collô ſæpè puella.
Excipio ſordes gremio nive purius ipſâ.
Sordeo; pulchra ſuas ob ſordes oſculor ora.

268.

Parva, ſed erectô, & ſiccô ſum corpore proles:
Emico momentô; reſtinctos reddere luci
Gaudeo: luce meâ pereo: nuce veneo caſſâ.

269.

Ex aulâ tenerâ prodîmus, nuncia luctûs:
Per teretes valvas, precioſa coralia, valvas,
Dulciter exîmus; ventoſque imitamur amaros:
Teſtamur moeſtas cum ſollicitudine curas.
Sors læva, & ſæva eſt nobis: (fac velle) profuſis
Non licet ad fontem natalem, aulamque redire.

270.

Nos non celamus: produnt nos omnia verba:
Semper in ore ſumus: ſine nobis nemo loquetur.
Formamus linguas omnes, & carmina Muſis.
Cernis? in os oculoſque tuos nos mille volamus.

271.

Fumea res, folium, quod prolicit ore ſalivam.
India natalem mihi dat, Sol igneus indit
Virtutem: fragilis, ſed plena vigoribus herba
Jactor: moerores ſano: miracula patro.
Cui proſum domino, me ruminat ore; dat igni,
Dum ſecat, exhauſtum, fumum cum pulvere reddo.

272

Ora gero porci, fodientia viſcera terræ.
Sum geminis oculis captus, roſtrare laboro
Suffodiens hortos, & nocte dieque voluto.
Lumbrîcos venor: per paſcua ſuſcito colles.

273.

Dux armentorum, cui torvæ audacia fronti;
Corniger, horrisonis auras mugitibus implet:
Proludit pugnæ, pedibus cum spargit arenas.
Induit ipse meam Omnipotens (ea fama) figuram.

274.

Me tribuente, domus tectum perfecta vocatur:
Terra mihi corpus, formam superaddidit ignis.
Ut sit tuta domus, perfundor corpora nimbis.

275.

Ut nascor, morior; punctôque renascor eôdem:
Noxque diesque parit nulli levitate secundum.
Augeo, cum minuo; quod destruor, omnia perdo.
Inconstans equito; numquam, dum curro, fatigor.
Idem, alius, mihi dissimilis juvenisque, senexque;
Præteritum involvo, & præsens, involvo futurum.
Sæpè procellosum videor, quod sæpè serenum.
Rex, Sol, Luna meæ subsunt, pax, bellaque legi.

276.

Vir grandævus adest, niveis coma sparsa capillis:
Dextra gerit falcem, pes alas, atque lacerti:
Vertice stant horæ, vitrô has metîtur arena:
Ponè trahit niveam, & nigram, sua pignora, prolem:
Progenies major sunt sæcula, lustra sequuntur:
Succedunt menses, post menses noxque, diesque
Discolor: inde horæ, momentumque, ultima proles.

277.

Sum liber, en clausus pateo socioque, tibique.
Saltator loquitur duplex oracula muta.
Sunt pedites equitesque, aciem componere sueti.
Agmine quisquis abit miles, non sede quiescit,

Assu-

Assultus patitur sine sanguine mille dolosos.
Ille coronatur, qui princeps cedit arenâ.

278.

Sum nigrum, & niveum: numerosa gaudeo prole:
Dito momentô hæredem; fit Crœsus ab Irô.
Dono Meum, facioque Tuum. Moriêntibus adsum.
Signa voluntatis, si muta est lingua, supremæ
Nuncio; sed pario lites, & jurgia mille.

279.

Reptilis incêdo, lentoque pigerrima gressu:
Contingi vereor, subdûco colla retracta:
Sanguine cassa, meæ maneo sub tegmine testæ:
Viva loquor numquam, quasi mortua: mortua canto.

280.

Sunt oculi patuli cæcæ mihi corpore septem;
Sed neque muta loquor, nisi figas oscula fronti:
In silvis vixi, vocali voce silente:
Mortua mille modis aures, moduliscque canendi
Mulceo: castra peto; cano laurigerosque triumphos:
Pan animat, Pan exanimat lætam, atque gementem.

281.

Corniger est genitor; mater mitissima, campis
Vivit uterque parens; quorum de vellere natum
Par individuum, varioque colore notamur:
Carne diu (noctu vacuum) farcimur, & osse:
Conterimur plantis: unô consumimur annô.
Nos vis nosse? tuo prodes ex ungue leonem.

282.

Litera me pascit; nec, quid sit litera, novi:
In libro vivo, studiosior appeto librum:

Pro-

Proficio ſtudiis: ipſas nam devoro Muſas:
Sic quæ proficio, nil profeciſſe laboro.

283.

Sum ſine luminibus, lacrymor; nec cauſa dolori eſt.
Evolat in cælum meus halitus, ignea nubes:
Me depaſco vorax, mea fert mihi vita ruinam:
Et dum conſûmor, mecum conſumitur ignis.

284.

Nube vapor ſeptus, vapor igneus, horrida ſentit
Frigora, deprenſus glomeramine: perfurit ignis,
Eluctans fruſtrà, quem circumfuſa coronant
Nubila, pulſatumque premunt denſô agmine: ibi ictus
Intonat immani ſonitu, fractô aggere nubis:
Concurſant ignes, vis flammea: lubrica peſtis
Diſturbare domos, confundere ſaxa trabeſque,
Exanimare homines, vaſtas proſternere turres:
Horriſonô impulſus mugitu Mundus inhorret.

285.

Monſtrum horrendum, immane, ſonans, hiat ore paten-
Eumenidum peſtis, Stygiis extuſa caminis, (te,
Machina Vulcani, nihil eſt niſi fumus & ignis;
Devorat, ore ferô ferrum, ferrum evibrat ore.
Cum ſaxis turres, totas quoque proruit urbes.
Per mare, per terras, ut fulmine Jupiter, ardet:
Paſcitur ignivomis furiis: vomit ore ruinas.
Irati muto Reges hoc ore loquuntur.

286.

Res tenuis, Mundi pretium, regumque theſaurus, Agrorum
Filia ſum Cereris, corrupta, ſepulta per agros,
Expectata diu, morior rediviva quotannis:
Per me floret ager, viridantia ſpicula geſtans:
Turgeo flaveſcens, collectaque falce flagellor;

Sed

Sed saxô contrîta, meam flos perdo figuram.

287.

Forma mihi fulva est, forma est argentea sæpè:
Metiris corpus? tribus hoc extenditur ulnis:
Qui me tractat eques, fert oscula nocte dieque,
Inspirans vitam, simul exspirare laborat:
Me resonante movetur homo, Martemque laceſſo:
Ultimus interpres regum sum, nuncia belli,
Et (neque me jacto) fatales suscito pugnas.

288.

Sum domus ingrati domini; simul odit, amatque;
Me petit, & quamvis me non petat, advolat ad me
Invîtus fugiensque, jacens stans, atque quiescens.
Qui nisi me teneat, corvis manet esca canique.
Corruptas carnes appôno, atque ossa voranda,
Hospitibus funesta meis domus, horrida solo
Nomine, terrifico intrepidos: exsuscito vivos
Mille, sed ex unô (res mira) cadavere surgunt.

289.

Tortilibus sævit flagris armata juventus:
Verbera circumquaque sonant: versatilis omnes
Vertitur in partes, multô qui circinat orbe,
Seque urget, crebroque salit contortus ab ictu:
Vapulat impatiens, saltuque exsuscitat iras:
Exanimis torpet, tandemque recumbit arenâ.

290.

Me Sol educit de montibus, atque cavernis:
Sum prius ipse vapor; gelidam peto frigidus Arcton,
Ardores fugiens, calidus volo litus ad Afrum:
Imperiô terris dominor, qui verbero fluctus.
Dux pluviæ denso nubes, ago, fundo sonantes:

Tur-

Turbo, ſereno auras, nautæ ingruo, ſpiro ruinas:
Quaſſo domos, nudo ſilvas, campoſque fatigo:
Non videor, noceo inconſtans, quo munere proſum.

291.

Hic ſumus herôes quatuor, fera bella loquentes,
Muti præcones: aciem componimus, hoſtes
Sanguinis effuſi: per nos laus regia vivet:
Magnificis pedibus gradimur, pedibuſque caremus.

292.

Configo ferro pullos, vituloſque peremtos,
Par gladio: volvor digitis: me verſat in orbem
Sæpè canis, paſtus jejuni naris odore.
Non veſcor dapibus, quod paſco cadavere vivos:
Ferrea membra madent pinguedine: Fercula adorno.

293.

Eſt rugoſa cutis, quæ veſpere furvior ipſô eſt:
Furtivum hinc traxi furvô de veſpere nomen:
Eſt cutis ala mihi: pennâ caret ala volante:
Inter aves pariens, ovum non égero ſolus:
Ubera lacte tument: ſtant aſpera dentibus ora:
In tenebris ſedeo: non memet credo diei.

294.

Mors dedit eſſe mihi: plus annô & menſe ſuperſum:
Orno lares, orno viduata palatia regum:
Nix inimica mihi, formamque decôre colôro:
Cum tenebris luctus ſigno, parioque querelas.

295.

A vi derivor; vires, quas augeo, tollo:
Me Sol igne coquit; ſpumantia dolia condunt:
Floreo, dum naſcor; furit in mea viſcera ferrum:
Carpor, & illidor plantis; ter carcere claudor:
Ora bibunt; regeruntque, mei ſi copia facta eſt,
Proditor arcani, lites creo, & agmina ſterno:

Si noceo, prosum: recreo cor, diluo curas;
Diluo corde metum, menti sua gaudia reddo:
Cùm fluo, cum refluo, non sum mare: quolibet annô
Destruor; & Solis, Verisque calore renascor:
Fata laboranti, sano propino salutem.

296.

Me caruit, qui me genuit. Me nescio, & ipse
Ignoras qui sim. Quæ me custodit, amatque,
Sæpè quod huic noceam, sentit: Si tangis, abibo
Non reditura: fugâ sed suscito tædia mille:
Mille hostes patior, juvenes: Sapientia servat.

297.

Hoc quocumque meum est, gemini, mea vita, dedêre:
Emico per geminos, & luceo, sideris instar:
Me sine, non Titan, non Iris pulchra videtur:
Servio subjectis, & servio regibus; ergo,
Si me totus amet, numquam miraberis, orbis.

298.

Non jungor thalamo, partu foecunda maritor;
Nec cognosco virum, per me mea nata propago est.
Nec tumulo condor, terræ mandata quiesco.
Munera læta fero, gravido de palmite fructum.

299.

Exhilaro mensas, mensas splendore corono:
Convivis placeo, mihi sæpius oscula figunt:
Quid longis cerebrum studiis (tua damna) fatîgas?
Nam sapio stupidis, momentô reddo disertos.

300.

Ut res sum fragilis, sic sum pellucida: ventos
Arceo, & excipio gremiô cum lumine Bacchum.
Servio pro speculis: oculos corróboro fractos.
Nec domus ulla videt, nisi per mea pervia membra.

301.

Terrea massa fui; me finxit spiritus oris:

Et

Unable to display this page

Servio dedecori, sic servio laudibus una:
Per me templa sonant; resono per compita, & aulas:
Aurarum genitrix, & filia; regno per agros,
Et mare: vis nomen? ne consule lumen, at aures:
Mentis imago, tuba, & tonitru resonabile rerum.

307.

Non oculis centum video: cava colla, rotunda,
Longaque me decorant: careo pede: sæpè per hortos
Ambulo, cum Floram Phœbus violentior ardet;
Tunc ventrem gravidum exonero, lacrymasque profundo
Omnibus ex oculis, quas infudêre per ora.

308.

Torqueo torquentem; sed nullum torqueo sponte,
Nec læsisse volo, studeat nisi carpere caulem,
Fervida mox hominis turgescunt membra nocentis.

309.

Mene mori credis, quia jam jam spiritus exit?
Itque reditque viam; rediturus, corde recedit:
Fercula consumo, vocem formo, educo prolem.

310.

Sum venter, vento spirantis plenior oris:
Ora mihi sunt multa, sono resonantia dulci:
Pastores recreo, mendîcum pasco magistrum.

311.

Insidiis sum nota meis, caudâque comante:
Calliditate rapax: simulatô fallere somnô,
Infestosque fugare canes aspergine caudæ
Docta: meæ pullus sunt regia fercula mensæ.
Insidiator, idem quod ego, sit callidus: audit.

SOLUTIO PRÆSCRIPTORUM ÆNIGMATUM,

1. Aciculæ.
2. Acus.
3. Acus.
4. Adam.
5. Ænigma.
6. Quidnam eſt Ænigma.
7. Amor.
8. Anchora.
9. Annulus cum adamante.
10. Annus.
11. Anſer.
12. Apes.
13. Aqua.
14. Aranea.
15. Aranea.
16. Aranei telæ.
17. Araneus.
18. Ardea.
19. Argentum vivum.
20. Ars Typographica.
21. Ars Typographica.
22. Arundo.
23. Balneum.
24. Barba.
25. Bibliotheca.
26. Bibliotheca.
27. Bombarda.
28. Bombyx.
29. Bombyx.
30. Bombyx.
31. Cælum.
32. Cælum thalami.
33. Cæpe.
34. Calamus.
35. Calopodia.
36. Calx.
37. Caminus.
38. Campana.
39. Campana.
40. Canalis.
41. Candela.
42. Canis.
43. Cánnabis.
44. Caper.
45. Capillus.
46. Caput.
47. Carbo.
48. Caſtanea.
49. Catena.
50. Cavea.
51. Centaurus.
52. Ceraſum.
53. Cereus.
54. Cervisia.

55. Cer-

55. Cervus.
56 Cervus.
57. Cirpdula. 1. nitedula.
58. Circinus.
59. Clavis.
60. Clavis.
61. Clepsydra.
62. Clepsydra.
63. Clepsydra.
64. Cochlea.
65. Cochlea.
66. Columba.
67. Columbarium.
68. Conjugium.
69. Conspicillum tubulatum.
70. Cor.
71. Cornix.
72. Corona.
73. Crabrones.
74. Cribrum.
75. Crines.
76. Crumena.
77. Culex.
78. Culter.
79. Curculio.
80. Cycnus.
81. Dies & nox.
82. Dies Solis.
83. Digitale.
84. Domus.
85. Ebur.
86. Echo.
87. Echo.
88. Elephas.
89. Embryo.
90. Ensis.
91. Equus.
92. Eva.
93. Fama.
94. Fama nuncia. 1. Mercurius.
95. Fama nuncia. 1. Mercurius.
96. Farcimen.
97. Farina.
98. Febris.
99. Ficus.
100. Fistula tabaci.
101. Flagellum è nervo bovis.
102. Flores.
103. Floreus fasciculus.
104. Flos.
105. Flumen & pisces.
106. Fluvius.
107. Foenum.
108. Folia lusoria.
109. Fons.
110 Fons.
111. Forceps.
112. Formica.
113. Fulmen.
114. Fumus.
115. Funambulus.
116. Gallus gallinaceus.
117. Gallus gallinaceus.
118. Gemma.
119. Glacies.
120. Grando.

121. Grus.
122. Hamus.
123. Hiems.
124. Hiſtrix.
125. Homo non regeneratus.
126. Honor.
127. Horologium.
128. Hypocauſtum, feminarum.
129. Ignis.
130. Ignis.
131. Incus.
132. Induſium.
133. Invidia.
134. Jonas.
135. Jonas.
136. Iris.
137. Iris.
138. Jus condîtum.
139. Juventus.
140. Labyrinthus.
141. Lac.
142. Lagena.
143. Lagena.
144. Lapis.
145. Laurus.
146. Lectus.
147. Leo.
148. Lilium.
149. Lilium.
150. Limax.
151. Lingua.
152. Literæ Alphabeti.
153. Literæ circulares.
154. Lothi uxor.
155. Lucerna.
156. Lucerna.
157. Luna.
158. Luna.
159. Lupus.
160. Luſcus.
161. Lyra.
162. Malleus.
163. Mammæ.
164. Manus.
165. Marſupium.
166. Memoria.
167. Mola.
168. Molæ.
169. Monachi.
170. Mors.
171. Mulier gemellos pariens.
172. Mulus.
173. Mus.
174. Muſcæ.
175. Myrrha.
176. Navis.
177. Navis.
178. Nebula.
179. Nihil.
180. Nix.
181. Noctua.
182. Ocrea.
183. Oculus.
184. Olor.
185. Ovum.
186. Panis.
187. Papaver.

188. Papilio.
189. Paradiſus.
190. Pavo.
191. Pecten.
192. Pecten.
193. Pecunia.
194. Pecunia.
195. Pediculus.
196. Pediculus.
197. Perna.
198. Perfectio.
199. Perna.
200. Pes.
201. Philomela.
202. Phoenix.
203. Pictura.
204. Pigmentum.
205. Pila.
206. Pila palmaria.
207. Pila palmaria.
208. Pileus.
209. Pileus.
210. Piſtillum.
211. Pluvia.
212. Poeſis.
213. Pons.
214. Porcus.
215. Porta.
216. Pſittacus.
217. Pſittacus.
218 Pulex.
219. Pullus in ovô.
220. Pupillæ.
221. Puteus.
222. Pyropus.
223. Pyxis nautica.
224 Quadriga.
225. Rana.
226. Rana.
227. Ros.
228. Ros.
229. Roſa.
230. Roſa.
231. Roſa.
232. Rota.
233. Rotæ currûs.
234 Sagitta.
235. Sal.
236. Sal.
237. Sanguis.
238. Sanitas.
239. Scalæ.
240. Scopæ.
241. Scutella.
242. Sedes.
243. Senectus.
244 Senſus quinque.
245. Sepulcrum.
246. Sera.
247. Serpens.
248. Serra.
249. Sigillum.
250. Signum è turri, triton.
251. Silex.
252. Situla.
253. Sol.
254. Sol.
255. Somnium.
256. Somnus.
257. Somnus.

258. Somnus.
259. Speculare.
260. Speculum.
261. Speculum.
262. Speculum uſtorium.
263. Spiritus.
264. Spongia.
265. Spongia.
266. Sterilitas.
267. Strophium.
268. Sulphuratum.
269. Suſpiria.
270. Syllabæ.
271. Tabacum.
272. Talpa.
273. Taurus.
274. Tectum.
275. Tempus.
276. Tempus.
277. Teſſerarum tabella.
278. Teſtamentum.
279. Teſtudo.
280. Tibia.
281. Tibialia.
282. Tinea.
283. Titio.
284. Tonitrus.
285. Tormentum bellicum.
286. Triticum.
287. Tuba.
288. Tumulus.
289. Turbo.
290. Ventus.
291. Verſus heroici.
292 Veru.
293. Veſpertilio.
294. Veſtis lugubris.
295. Vinum.
296. Virginitas.
227. Viſus.
298. Vitis.
299. Vitrum.
300. Vitrum.
301. Vitrum.
302. Umbella.
303. Umbra.
304 Umbra.
305. Unguis.
306. Vox.
307. Urna aſperginis.
308. Urtica.
309. Uterus.
310. Utriculum.
311. Vulpes.

ÆNIGMATA.

Oo papapa, ii mamama: mors rumrum erit phuſphuſphus æææus, & mimiminus vitæ rererenæ: felicicici iii ad pammm mimiminare popopount.

Sic legito voces præcedentes: Obis pater, ibis mater: mors duorum erit triumphus æternus, & terminus vitæ terrenæ: feliciter iter ad patriam terminare poterunt.

D-Mars-um ririribili dexaaa retretret fortititi, & proi-
in
titit abiles aci viros-es, & cogens gagaga ver e-e e cacacavas, ardendenden proſnitnitnit.

Sic legito præcedentem ſententiam: Mars interdum terribili dexterâ terret fortiter, & proterit inſuperabiles viros inter acies, & cogens terga vertere catervas, ardenter proſternit.

Hoc mediiſiſis, aa, & oo, ô homo rereree, nec remeaa r-in-as: nam e-omnia-unt, & præeeeunt

Sic legendum: Hoc mediteris, abis, & obis, o homo terree, nec remeabis in terras: nam omnia intereunt, & prætereunt.

(Putredo (cur
(ba, (bis? tua mamama rarara eſt;
t tt
ſſſnetur e-t-a, & frafrafra i
(itò: iiium pr-tor-e, i- tò-i.
er-c-is (interii

Ita legito præcedentia verba, Putredo ſuperba, cur ſuperbis? tua mater terra eſt; ſubter te ſternetur tinea, & frater cineris ſubitò interibis, iterum interpretor; ſubitò interibis.

Vitam t-gram-e, bene-actam - ſempinnna æninini-tas.

Sic relege orationem præcedentem; vitam integram, benè anteactam, ſequitur ſempiterna æternitas.

Ænigma ſcalare, alternatim adſcendens.

(Limis (itò (iicit, (levat (ſtratum,
(((Sub (
(Deus (te (ſibi (et (te
(actum (dit, (mittit; (mergit (Tartaro.
(((Sub((
(& (ſibi (& (aut (longè

Sic legito, ordiendo à ſecundâ lineâ; adſcendendo alternatim, ab inferiore voce ad ſuperiorem, ad primam lineam; & ſingulis vocibus lineæ ſuperioris addendo T Sub; *hoc modo*: Deus ſublimis te ſubitò ſibi ſubjicit, & ſublevat te ſubſtratum, & ſubactum ſibi ſubdit, & ſubmittit; aut ſubmergit longè ſub Tartaro.

Aliud.

Tempus præpræpræfluit; f-tia-an prævovovolat; juventus prævevevehitur; ſenectus prælalalabitur; ætas prægregregreditur; memoria præmitmitmittitur. *Hoc modo recte leges*: Tempus præterfluit; infantia prætervolat; juventus prætervehitur; ſenectus præterlabitur; ætas prætergreditur; memoria prætermittitur.

Subalternæ lineæ correſpondentes.

(Quod (omnium (imminet (mors (omnibus (ſine
(((inter (((
(nuncio, (eſt: (itus, (rita (minatur (miſſione
(om-

(omnes (ad (quæ (gaudia (ludos
(((inter ((
(necat (necionem (veniens (rumpit, (turbat,

(vitam (fruſtra (laborant (& (amici
(((inter ((
(imit: (eà (cedere, (currere (poſitis,

(& (medicis (Deus (nobis (mors
(((inter ((
(miſtis (pellatoribus: (dixit (ſtitare: (equitans

(fugam (fugitivos (inopinantes
((inter (
(cludit, (cipit (ficit.

Sic legito præcedentes lineas, incipiendo à primo verbo primæ lineæ & à primo verbo ſecundæ lineæ, hoc modo: Quod internuncio, omnium intereſt: imminet interitus: mors interrita omnibus interminatur, ſine intermiſſione omnes internecat ad internecionem: quæ interveniens gaudia interrumpit, ludos interturbat, vitam interimit: fruſtra intereà laborant intercedere, & intercurrere amici interpoſitis, & intermiſtis medicis interpellatoribus: Deus interdixit nobis interſtitare: mors interequitans fugam intercludit, fugitivos intercipit, inopinantes interficit.

Aliud.

(Homo (diu (quid (illa (quæ (te (hominum
((((ſuper(((
(be (ſtes, (bis? (bia, (eminens (vehit (colla,

(te (tibi (ruinam (Vita (gloria (quam (non
(((ſuper(((
(ato (fundet (fluentem (na (abundat; (addit (bificis,
(quos

(quos (gravi(Deus (sed (vitam (ardua
((((super ((
(calcat (cilio (fulgens ;(inducit (orum (scandenti-
bus.

Sic legito : homo superbe, diu superstes, quid superbis? Illa superbia, quæ supereminens te supervehit hominum super colla, te superato tibi superfundet ruinam superfluentem. Vita superna gloria superabundat ; quam superaddit non superbificis, quos supercalcat gravi supercilio Deus superfulgens ; sed superinducit vitam Superorum ardua superscandentibus.

Aliud.

(Solet (aciem (solet (sequentes (solet (omnibus
(((ante (((
(signanus (gredi :(cessor(venire : (cursor(volare ;

(sed (commilitones (armatos (aciem (vi
(((ante ((
(pilani (eundo, (cedunt (occupantes: (cellunt

(copias (cohortesque(victoriam (inclytam, (hostes
(((ante ((
(stantes,(positas : (ferunt (quam (vertant

Sic legito : Solet Antesignanus aciem antegredi : solet antecessor sequentes antevenire : solet antecursor omnibus antevolare ; sed antepilani commilitones anteeundo, armatos antecedunt aciem anteoccupantes : vi antecellunt copias antestantes, cohortesque antepositas : victoriam anteferunt inclytam, antequam hostes antevertant.

In-

ANTHOLOGIÆ.

Sententia retrograda Græca.

☞ Σοφὸς ἔγωγε ἤδη ὢν ἄνω, χαρὰ τῶν ἄνω, γελῶ τὰ κάτω, λέγων· ἂν ὦ ταραχῶν ἄνω; ἤδη ἔγωγε σοφός. ☜

id est,

Sapiens ego jam existens Superis, lætitia Superorum, rideo quæ sunt infra dicens: o quæ supra perturbationes, jam ego sapiens.

Versus retrogradi.

☞ Si bene te tua laus taxat, sua, laute, tenebis. ☜

Ore feris animos, omina si refero.
Ama tot sedes aëreâ arâ.
O ut ares animo nomina fera tuo!
Otto tenet mappam, madidam mappam tenet Otto
Solos ecce sonos inani ede.
Segestepet: sitis? sanas mutum.
Tu pacata vale, rore lavata caput.
Sole medêre pede, ede perêde melos.

GULIELMO III.

magnæ Britanniæ, Scotiæ, Franciæ Regi &c. à sicariorum periculis, vitam regiam petentium, divino munimine præservato;

Anthologia.

Sat se jam erutam tenet maturè majestas. ☜

Sen.

Sententiæ retrogradæ.

Meritis ſervi ſinum munis, jures, ſitirem.
Si Sol, Lunâ majore, ero jam, à nullo ſis.
Aëra admit inani timida area.
Alamne malos? odores ſerò do: ſolamen mala.

Antiquum eſt illud.

Signa, te ſigna, temerè me tangis, & angis.
Roma tibi ſubitò, motibus ibit amor.
Sator arepo tenet opera rotas.
Satas ſeres ſannas: ovo teget, non uſu teret.

Græca ſententia retrograda.

Ιερὰ σὰ παρὰ χείλη ἥλιε χαρὰ πᾶσα ρεῖ.

id eſt,

Sacra tua apud labia Sol gratia omnis fluit.
Telo ſolo ſolet non eſſe illi.
Eſſe malam tenet is; ſi tenet eſſe malam.
Temet murum ala teget.
Imi ſumus: finis? inani terret.

Anthologiæ continuatæ oratio.

Adoro te enim, o domine, & ora da miſero tu munus unum, ut ore ſim rutilo cara, ſi Dis ara colitur,
aut arca ſacra tua:
in germine Jeſſei enim regni,
tu es nata ſtella: pallet Satan, ſe ut
videt erui è robore, jure te diu
tabidâ unâ manu adibat.
Ore tu, & rectè, & certè utero
Solem refers: i bone, nobis refer melos,
Si Muſa robora ſumis.
Animæ flos tu, ecce ut Sol fæmina
mitis ades, Erebi liberè ſeda ſitim
atrocis, aut (tenam manet) tua ſic orta
animes, oro, ſemina.

Ana-

ANAGRAMMATA.

Petrus de Fontaine.

Anagramma.

Fons de petra venit.

Aliud anagramma de Episcopo Cameraceno; Gaspar Nemius.

Anagr.

Præsum agnis.

Aliud.

De Trebellio Rege Bulgarorum, rebellantibus subjectis, dum Rex vitam solitariam ageret, ita literæ Regi in silvis viventi scriptæ:

Trebellio Regi,

Anagr.

Rebellio regit.

Aliud.

Laurentius,

Anagr.

In te laurus.

Solitudinem beatam,

Anagramma facit.

Beatitudinem solam.

Pietas bella adimit.

Anagr.

Impietas bella adit.

Sancta Cæcilia.

Anagr.

Cæli acta canis.

Diva Catharina,

Anagr.

Hac audit in ara.

Olim-

Olimpia,
Anagr.
Olimpia.

Quid eſt veritas?
Anagramma.
Eſt vir qui adeſt.

Joannes Calvinus,
Anagr.
An non es via lucis?

Martinus Trompius:
Anagr.
Tu promtus in armis.

Aliud anagramma.
Guilielmo Auriaco.
Anagr.
Vivam gloriâ cœli.

Guilhelmo Naſſavio,
Anagr.
vigilans homo vales.

Mauritius.
Anagr.
Mars vivit.

Procus,
Anagr.
Porcus.

Ignatius, Xaverius,
Anagr.
Gaviſi ſunt vexari.

Cornelius Janſenius,
Anagr.
Calvini ſenſus in ore.

JOH: de BISSCHOP,

MYSTERIUM MAGNUM,

MAGISTERIUM HERMETICUM,

NATURAE, ET ARTIS

MINISTERIUM.

MYSTERIUM MAGNUM,
MAGISTERIUM HERMETICUM,
NATURÆ, & ARTIS MINISTERIUM.

Aurifera Pandora,
enchiragogia Hermetica,
et aurea microcosmi genesis,
eruditis medicis eruderata,
signatis operis temporibus,
numeris temporum innumeris,
tam secreta, quam sacrata est.
Venerabilissima
hominum scientia,
imperat silentia,
ex quibus haurit solatia,
per quæ multa fugit pericula.
In suô ludit opere,
dum metalla cudit,
ingeniosa natura,
dextrè laboriosa.
maturâ arte elementa datura.
Miracula pandit per oracula.
Molliora fundit auri semina,
meliora condit spermata:
hermaphroditicum semen,
pretiosum, ac vile,
informe, et enorme;
recentius est decentius:
sperma notabile, ac mutabile,
nobile, mobile, labile est,
vilissimum, sed utilissimum,
foecibus foedissimum,
imò foetidissimum,
à naturâ metallorum exortum,

ne dicam extortum,
Semen mortale, immortale,
exile, vile, virile,
at magis muliebre,
id exterminandum.
Limpida ea lympha
est ardens flumen,
et obscurum lumen,
et gelidum fulmen.
Mittito vasa vana,
terrea, ferrea, ærea, varia,
cum furvis furnis,
inutilibus urnis;
ollæ illæ onerant,
frustrà exornant,
nec prosunt operi:
forma parva vasis,
artis ac Martis basis est.
Vas, ovum et phiala:
ovum esto vitreum;
vitrea sit phiala;
utraque caute sigillata:
ovum pro opere primô minimum,
at digitorum quatuor phiala,
collo sit stricto,
cum suô sit camino.
et ponte sublicio.
Vas ad manum est genitale,
tam natale, quàm naturale,
aquâ matre, patre terrâ satum;
spumâ maris rubri,
fit ex humô naturæ humanæ,
terrâ viro consanguineâ,
Adamicâ, amicâ, tuâ:
Vas utrumque sigillatum;

vas ac materiam do,
aptis, apertisque verbis.
Adamica terra mas,
est hæc naturæ vas;
sed Eva operi sæva,
materia illa læva,
Eva ea evaporanda,
Eva ea evacuanda.
Principiô resolutionis (
non revolutionis)
Nili fluvius nihili videtur.
et in diluvium ingrandescit:
materia, infecta imperfecta,
si interfecta est,
emergit tum massa crassa:
materia prima rudior est,
illa ad manum crudior est,
fit obscurior, durior, purior.
Initiô artifices solent
solum Solem verè solvere,
tempore ac tepore
temperatô Veris oriente:
Chaos horridum, sordidum,
tenebrosissimum
esse conspicitur;
nocte conficitur.
Primô peractô die,
fit pigra nigraque terra;
niger pendet in aquis globus;
humô Regulus exit:
exuitque balteum,
balneum dum subit:
ubi, ut sudet, sedet,
donec sitim sedet:
exurit tum pallam pullam;

at nondum pallidam exuit.
(nihil puri peruri consuevit.)
Scatûrit, qui urit,
è monticulis fonticulus:
igniculus fontis (
scaturigo montis)
ardet calidus, et validus,
micat vapidus, et rapidus,
debilis, sed indelebilis:
insignis ignis, internus,
infernus, externus, terrenus,
ternus, et æternus,
errabundus, vagus,
oriens die, et nocte occidens,
et circumambulans cælum.
Palpante dexterâ,
admotâ ad vitri collum palmâ,
vix ignem senties,
ut palpes centies:
frigidulus, et calescens,
humidus, ac siccus,
leviculus, gravis,
lucidus, obscurus,
et signis insignis ignis:
eadem lampadis flammula
dicitur lapidis animula.
(Fuge ignem camini.)
Fumum in tenebris
fortiter tenebis,
ne fortè aufugiat:
ea vitæ scintilla,
et cara, et rara lucis illa
orientis pupilla,
Solis ducis est corculum,
et plena auri vena,

et amœ-

et amœna auræ lena,
in mediâ cæli aulâ
ſuſpenſâ lampade;
caletactô lapide.
Corpus eſt levius,
ſpiritus gravior,
aqua terrea, ficca,
et metallum molle,
et animulæ vita exanguis:
vita illa moritur,
moriens exoritur.
Digere aquam tuam igneam,
ac dexterè dirige,
ne ſiniſtri quid accidat:
errare ſæpè debes;
ſi erres, non erras:
error nulli, terrori fuit.
Fumoſum famoſumque lapidem
ſtude ut præpares,
humorem ſuperfluum ſepares,
et damnum repares:
circumnatans humoris copia (
ea caloris inopia)
regulum ſuffocat,
regulum æthiopem:
nocet humor, ſicuti tumor.
Si terram renoves,
dum fæces removes,
mare noris domare,
magnus magiſter magus es:
nam maſſa craſſa, primùm aſſa,
ubi illa operatur,
aqua intercute oneratur:
humoribus laborat humus:
opem, operamque tuam orat,

et implorat terra :
terram emendabis,
cum aquæ fæces emundabis
ſordentis mordentiſque,
ſuô noxiô diluviô.
Expugnatâ expurgatâque
humorum tumidorum copiâ,
Mercurium exterminabis :
elice ac ejice arti injurium,
exſtirpa ſpurium,
abjice vulturium ;
latronem eradica,
draconem elimina :
aut Marte tuô, aut potiùs arte,
ab arcanâ hâc arcâ,
et obſeſſâ, et deditâ arce,
fæces ſuperfluas arceas.
Diluvium diluito,
emergentes undas,
ex profundô fundô
conglobatæ terræ.
exanguis ſupérnatat anguis,
velut menſtruus ſanguis,
Luna humida obeſt,
cataclyſmus auferendus,
ut terra germinet ;
ea Vere novô in ovô floret :
poroſa, ac vaporoſa terra
primas et plurimas rimas
opifici oſtendet :
offendes regulum,
humum humidam et fumidam :
nebuloſus prodit nebulo,
nubiloſus ſcandit vapor,
formoſa exit roſa,

ros et dos cæli, cos operis:
in amplô campô egerminat
lilium virgineum,
ex terrâ virgineâ
paradisi Adamici.
Nebula illa est nubecula,
nebuloni Mercurio ardet
misceri connubio.
Terribilis bilis
et fumat, et spumat;
quam mox rore tuô placare,
et oris tui osculô pacare
si noris, triumphum canes.
Nigri igitur fumi,
humi humescentes,
et intumescentes,
in atris atriis terræ matris,
femineæ matricis,
patriâ Mercurii detinentur:
novimus enim novi ovi pullum
suâ vi excitandum,
calore suavi refocillandum:
obsecrare volo te,
fugacem obserare
ac conservare ut anheles,
è nidulô ne avolet;
et inexplicabili,
et inextricabili,
imò et ineffabili
illum reti retine:
nisi catenaveris,
circumretiveris,
circummuniveris
amicitiæ nexibus,
crebris circumflexibus,

blan-

blandiſque complexibus,
nullus pullus repullulabit.
Clavis, noſtri operis eſt
Herculea tibi ad manum clava.
Suavis avis tuâ, vel ſuâ vi,
in carcere clauſa,
favorabili oris Favoniô,
vitæ aurâ, quæ eſt auri aurora,
perſæpè educatur,
ut ex ovô educatur pullus.
Sic dociles manus (
dum timidè ignes tractas)
et exere, et exerce,
ut apprehendas et pectus,
alaſque cum nigrô capite
avolantis in cælum corvi:
caput corvo tolle.
Centimanus gigas,
cum Hercule ſuccollante (
artis Atlantibus)
inſudet operi tuo,
qui Augiæ ſtabulum repurget.
Igniculus ſit leviculus,
lætior, lenior, et lentior,
at non violentior;
quô compeſcantur
nigri vapores turgentes,
aſſurgentes, adurgentes.
Coctura ſit, non coactura;
coctura pernicior, operi
eſt perniciosior;
coactura violenta furit,
quæ flores exurit:
digeſtio lenta opus maturat.
Si avis non deſerat nidum,

Unable to display this page

nam elementa colligenda,
ac simul colliganda sunt;
et solvenda scias.
Plura pura elementa cura.
Avis quâvis nocte rorem edit;
die igne vescitur
avis paradisiaca;
(dies, ac noctes intellige.)
Elabores sublimare aquilam,
eliminare corvum
et elimare cycnum;
facili digitô illigatum,
illaqueatum manu
ad nutum resolves (
sed nutum ignoras.)
Solum debes salem,
et nocte cónditum
illuminare Solem.
Aquas in aquilas aliquas,
alias, atque alias
alatas vertere sit labor:
sed cave irritare crabrones (
non carbones volo;
nihil juvant opus.)
iteratis vicibus,
et iratis viribus:
nam alati, et elati
dracones sese ostendent,
in antrô offendes,
quos dexteritate tracta:
pugna eminus, non cominus
caveto digitos admovêre;
consulo, ut tu retrocedas;
dracones esse memineris,
et intractabiles,
et implacabiles belluas
sed expugnabiles:
avidos hos ungues
accedere, vel contingere
pavidus verearis:

cælifer Hercules
ardentem ventrem
ſibilantis Hydræ
aggredi cavit, et expavit:
deſecuit inviſam,
in partes diviſam,
et ſeptemgeminam:
grandiore paſſu tendens,
renata ſerpentis capita
ictu unô abſtulit:
regreſſus victor
laurum manu tulit;
et plauſum meruit
acclamationibus,
gratulationibus,
vocibus conſpirantibus:
repullulaſcentem denuò
capitum ſilvam invadens
metit clavâ, miraculis clarâ:
ac tropæa ſua manubialia
ſummô in Capitoliô figit:
cælicolis gratus
obtulit libamina,
vinum è corde ſuô lacrymatum.
Hercle domuiſſe monſtra
non opus mulierum,
et ludus puerorum;
ſed eſt athletici,
et Atlantæi Herculis, et viri.
Exantlatô labore
primô, et Herculeô,
leo formidabilis,
inexſuperabilis,
at ſuperandus, ſuperabat:
Africam peregrinus petebam;
ter ſeptem horas emenſus,
per montes, & fontes errabam,
per valles, & calles vagabar,
colles circuibam,
medium repentè iter abrumpo,

lentè regrediens ;
extimam viæ metam
præoccupabat leo,
apertis oculis pervigil:
acceſſi lentius, receſſique ;
ivi, redivi ſæpiùs ;
ſed denique (o Divi!)
eo ſuſpenſô crebrò gradu,
relectô ac relictô paſſu :
ſuperabam pontem,
animoſior factus,
mediam tranſgreſſurus viam,
mox ingruebat nox,
leo verò irruebat :
tempeſtivè cecini receptui,
leoni terga verti :
ſegniter retentans iter,
ter, quater, imò quinquies,
et appropinquans audaculus ;
e veſtigiô bellua
rugiens proſilit,
manum penè meam apprehendit :
exhorrui timidus,
repreſſique ocyus pedem
nimis temerarium,
et manum, non vocem ;
exclamans altius,
divinam opem implorabam ;
reſpirare viator
feſſus anhelabam.
Leones indomitos
blanditiis capi aiebant.
Palpo fulva colla,
circummulceo blandiens,
colludo ſuaviter,
comiter alloquor ;
oſculor crebrius,
ſub montis antrum reduco ;
et gelidos fontes,
et læta pabula (non est fabula)

famc

famelicæ feræ propinavi.
At (triſte gaudium!)
ſuſpirat, & exſpirat leo;
tunc ego reſpirare viſus,
anhelavi à viâ quieſcere.
Junctis palmis adoravi Deum,
manubiales victimas obtuli,
leone triumphatô.
Sabbathum feſtum,
conſecratum quieti diem,
labore fatigatus celebravi.
Trium horarum viâ,
deſideratô exitu terminatâ,
coronidem operi ſuo impoſui.
Domitis Herculeis monſtris,
torquatus eques donatus ſum
auratô Jaſonis ovis vellere,
quod manibus avellere merui,
quieſcente pugnâ.
Ruber cinis, finis
myſterii erat, ac magiſterii.
Totius artis opus,
et laboris ſcopus,
è terrâ ſpiritum fingere,
ſalem ære tingere,
argenteam Lunam pingere,
purpuratum Solem figere.
Ad colorem nigrum,
per calorem lenem,
terra lentius deſcendit:
diſcedit lætius materia
ad colorem niveum.
Veriùs, ſed ſeriùs
colores aſpicies
primum nigrantes,
in olores argenti migrantes.
Nigrore ablatô, ac ablutô,
materia loricata,
cratibuſque circumvallata,
et caleſcit, et coaleſcit,

impalleſcit, et purpurat.
Ad ulteriorem, et adultiorem,
coronatam laboris metam
feſtinando lentè decurrere,
breve, et leve opus.
Secundô labore repetitô,
multiplicatur medicina.
Augmentum candidi ſalis,
argentum Lunæ eſt,
Solis argumentum.
Non ignis è lignis
Hermeticolam umquam finxit:
quia naturam, et artem perdit:
facit enim naturæ maledicos
medicos mendicos:
talis ignis arti fatalis;
Ignis artis verus,
non eſt ille ferus;
at canus Vulcanus,
manifeſtus eſt artifici:
ignis eſt natalis,
immortalis, et naturalis,
non operi fatalis,
vivus, imò et humanus:
ignis incenditur,
ignis intenditur,
triumphalem ſuam
materiam ambiens
coronatis palmis.
Ignis tardè ardet,
et ſignis arridet,
albæ Dianæ cycnis,
olorinis pulchrè coloribus.
emicant ſpecioſa lumina,
radiant precioſa flumina,
currunt ſpatioſa fulmina,
amicâ inimicitiâ,
inimicâ amicitiâ,
latè confluentia,
lætè conviventia,

ignibus veſcis convivantia.
Appârent diſcolores Irides,
et illunes Lunulæ,
ac deſolati Soles,
triumphales etiam Sales,
et pavonina cauda,
oculata, non occultata cauda.
Aſpicies in ardente undâ,
profundâ Mundi immundi undâ,
ridentem renidentemque
formoſam divæ Veneris roſam.
Spiritus ſpretus,
à corpore cæſô diſcretus,
igne tuô fotus, rore lotus,
virtute commotus,
lavatur, elevatur,
glorioſus in cælô triumphat:
vivum ubi cernes, non ſpernes:
micat Salamandra,
buſto incombuſta,
moriens, & redivivus Phoenix,
divus Mundi lapis,
vivus Mundi lapis:
Ex quô oritur, dum moritur,
gaudens morte immortali,
candentis oloris,
argentei, et aurei
coloris tinctura,
caloris breviſſimi torturâ,
corpus delicatum,
deligatum corpus,
defæcatum, imò perfectum,
ſapientiæ clavis,
ac triumphalis medicina,
et aurea divitiarum Pandora.
Ille corporeus ſpiritus,
et cæleſte corpus,
apyrotô nobilius,
ex novô prodit ovô,
ſuavis ea roſei coloris avis

felicis Phœnicis,
auratique velleris ovis
ex aureæ auræ aulâ descendit.
Succus est siccus,
flavus apis favus,
perennisque vitæ miraculum.
Ars hæc citissimè,
tota certissimè elaboratur,
tempore breviore,
et labore leviore,
et tepore leniore.
Numeros temporis,
si cæcus etiamnum quæris,
eos sensui tuo sæpè recensui;
hi noctem signant;
alii verò designant diem:
cæce, nec tria potes numerare:
Geminum illud est
numerorum ænigma,
temporis emblema,
1563. 1573.
Arcanum, si potes, solvito,
tunc eris mihi magnus Apollo.
Artificium totum.
in solidô, vix solidô constat.
Montes aureos penes te habes:
Quid foris quæris? Domi tenes.
Tinctura redundat uberrimi,
etiam ruberrimi coloris;
eâdem qui potitur,
partitur is egenti genti,
Adeptus lapidem, jubilat:
dum miseros juvat,
decenter lapidem dilapidat:
prodiga audiet liberalitas,
liberalis prodigalitas:
Scribo verissima,
processum manifestando,
processum eum lege, meditare,
imitare, sile, vale.

FINIS.

CATALOGUS LIBRORUM,

QUOS

JOHANNES DU VIVIE,

ET

ISAACUS SEVERINUS.

BIBLIOPOLAE LUGDUNENSES BATAVI

Vel propriis ſumptibus ediderunt, vel majori numero ſibi compararunt.

CATALOGUS
LIBRORUM.

Abrabanelis (Rabbi Iſaci) Commentarius in Prophetiam Hoſææ; cui acced: prooemium in 12. Prophetas minores: cum notis Fr. ab Huſen. L. Bat. 4.

Akerſloot (Theod.) verklaaringe over den Sendbrief van Paulus aan de Galaten, volgens 't oogmerk en den ſamenhang, door Joodſe oudheden opgehelderd. Leiden. 4.

Æliani variæ Hiſtoriæ, cum emendationibus & notis J. Perizonii &c. &c. *Sub prælo.*

Aſſemblage des lettres, réponſes & repliques, qui ont été ecrités entré M. Erneſt Ruth d'Ans, aumonier de la ducheſſe de Bavarie, & l'Examinateur anonyme dudit Sr. d'Ans; au ſujet de la converſion, du Sr. Loefs, preſentement miniſtre dé l'Egliſe reformée a Leiderdorp. &c. 8. Leide.

Aſtroſcopia compendiaria Chr: Hugeni. 4o. cum fig.

Ariſtophanis Comediæ. Gr. & Latinè cum emendationibus. &c. ap. Rav. 12.

Arabien, Meſopotamie, Babylonie Aſſyrien, Anatolien beſchreeven door O. Dapper. folio. met ſchoone koopere plaaten.

Aurelianæ prælectiones A. Foquelini. 12.

B.

Bartholini (Th:) Anatomia reformata ex omnium veterum recentiorumque obſervationibus, ad vaſa Lymphatica, & circulationem Harveianam renovata 8. cum fig.

Biblia Græca ex verſione 70. Interpretum juxta exempl. Vaticanum. Cantab. 12.

Biſſchop (Jani de) Chorus Muſarum, ſive, Elogia, Poemata, Epigrammata, Echo, Ænigmata, Ludus Poeticus, ars Hermetica. L. Bat. 8.

Bontekoe (Corn.) Metaphyſica, de motu, de Oeconomia animali, &c. accedit & Geulinx phyſica vera. 8.

Borellus (Joa. Alph.) de motu animalium. cum fig. in 4.

Broen (Joh.) Animadverſiones Medicæ Theoretico-practicæ in H. Regii praxin medicam, quibus editio prior Obſervationum Magni viri Th. Cranen emendatur & repurgatur. L. Bat. 4.

Bronchorſt (Ev) Centuriæ ſex & conciliationes eorundem, accedit tractatus de Privilegiis. *editio ultima.* L. Ba

Boile (Rob.) tentamina quædam Phyſiologica, cum hiſtoria Fluiditatis & Firmitatis. Amſt. 12.

Broekhuiſen (Benj) Oeconomia corporis animalis, ſive cogitationes ſuccinctæ de mente, corpore, utriuſque conjunctione, juxta mentem Carteſii deductæ. L Bat. 4.

——— rationes philoſophico-medicæ, Theoretico practicæ. Hagæ Com. 4

Boile (Ro) Anatomie & l'ame des plantes, de leur Naiſſances, Nouritures, & obſervat. curieuſes. avec fig. 12.

Ca

C.

Calendarium Romanum aeri inciſum 4.

Catecheſis Religionis Chriſtianæ. belg. & lat. L. Bat. 8.

——— cum explicatione juxta ſintaxin latinam & verſione belgica, in docentium & diſcentium commodum accommodata. L. Bat. 8.

Catullus cum notis & obſervationibus J. Voſſii. L. Bat 4.

Catonis Diſticha Moralia explicata cum interpretatione belgica, ibid. 8.

Coetſii (Henr.) Horologiographia plana, ſeu nova & perſpicua in ſuperficiebus planis omnia Horologiorum genera deſcribendi methodus certiſſima L. Bat. 4. cum fig.

Cours de Chymie, contenant la maniere de faire les operations qui ſont en uſage dans la medicine, par une methode facile; avec des raiſonnemens ſur chaque operation, pour l'inſtruction de ceux qui veulent s'appliquer ac cette ſcience, par N. L'Emeru. Neufjeme edition a Paris. 8. *avec fig.*

Cranen (Theod.) Obſervationes in H. Regii praxin medicam, ex nova recenſione & emendatione Th. Broen. L. Bat. qto.

——— de Homine; tractatus phyſico medicus, in quo ſtatus ejus tam naturalis, quam præter naturalis quoad theoriam rationalem mechanice demonſtratur. L. Bat. 4. cum fig.

——— lumen rationale medicum. ibid. 8.

Crocius in omnes Epiſtolas Pauli, &c. folio. 2. tom

Cuperi (Gisb.) obſervationum libri tres, quibus multi auctorum loci, nummi, & antiquitates ſacræ & prophanæ illuſtrantur, & emendantur. 8. cum fig.

Crenius (Thomas) de Eruditione comparanda; eruditiſſimorum aliquot virorum tractatus ſelectiſſimi, ſimul editi. L. Bat. 4.

Corradi (Sebaſt) quæſtura, in qua vita Ciceronis refertur, 12. L. Bat.

Compendium Geographiæ, ac Italiæ, Hiſpaniæ, & Galliæ totius brevis & adcuratiſſima deſcriptio, quibus acceſſêre itinera & viæ per has regiones & urbes commodiſſimæ &c. 12. 3. tom. Ultr.

Catalogus Librorum Manuſcriptorum Bibliothecæ Cottonianæ, cui præmittuntur R. Cottoni vita, & Biblioth. Hiſtoria & Synopſis, Th. Smitho Scriptore. Oxonii. folio.

Catalogi librorum Manuſcriptorum Angliæ & Hiberniæ in unum collecti cum ordine Alphabetico. fol. Oxon. 2. vol.

Cæſii (Philip.) ſuccincta narratio exordii, progreſſus, & ad ſummam perfectionem redacti Status Fæderatarum Belgii regionum, Amſt. 12.

D.

De Propheterende Heiland in ſijn Vreeſlijke, en getrouwe Gods-ſpraaken omtrent Jeruſalems en s'Werelds ondergang, en de verdrukkingen van de Kerke des. N. T. door A. Pars 8. Leiden.

De

De Waare en egte afbeeldingen der Hollandſe Graven, geſchetſt naar de aaloude ſchilderyen, in het Carmeliten klooſter tot Haarlem gevonden, nevens de autentijke afbeelding van Heer Ger. van Velſen. &c. &c. folio. Leiden.

Diction. belgico latinum W. a. Winſcboten. 8. *L. Bat.*

E.

Effigies celeberrimorum virorum, qui in quovis ſtudiorum genere in Academia Lugd. Batava. excelluere. 4.

Eraſmus de civilitate morum puerilium. 8.

F.

Feithii (Ev.) Antiquitates Homericæ quibus omnes propemodum ritus, ac eorum temporum mores illuſtrantur. 12. L. B.

Foquelini prælectiones Aurelianæ 12. L. B.

Feeſt en Lijdens texten ſoo als deſelve jaarlijks in de LEIDSE Kerke gepredikt werden. Leyden. 12.

G.

Gellii (Auli) Noctes Atticæ cum emendationib. J. F. Gronovii 8. Sub prælo

——— cum notis Variorum & Ouzelii. 8. Sub prælo.

Geulinx ſolertia 12. L. B.

Gronovius (J. Frid.) de lege Regia. 8.

——— obſervatorum lib. in Scriptoribus Eccleſiaſticis, quibus tamen paſſim & æquales illis, & vetuſtiores utriusque Linguæ auctores emendantur & illuſtrantur. 12.

——— obſervationum liber novus, in quo cum aliis ad optimorum utriuſque linguæauctorum intellectum, tum notæ ad Tit. Livium uberiores repreſentantur. 12.

——— de pecunia vetere Græca & Romana libr. IV. acceſſerunt L. Voluſius Mæcianus J. C. & Balbus Menſor de aſſe, Paſcaſii Groſippi Tabulæ nummariæ. Mantiſſa & tres Αντεζηγήσεις de fœnore unciario & centeſimis uſuris. item de Hyperpyro Salmaſii Epiſtola, & ad eam reſponſio. λογαριακὴ παλαία καὶ νέα. gr. & lat. L. Bat. 4.

——— idem Charta majori 4. ibid.

Goeſii (Guilh.) Pilatus judex; accedunt Theologi in Pilatum judicem Stricturæ, cum auctoris in has animadverſionibus. Hagæ. 4.

Grotius (Hugo) de jure belli ac pacis, in quibus jus Naturæ & Gentium, item juris publici præcipua explicantur cum annotationibus AUCTORIS, & notis eruditiſſimis Variorum; ex accurata recenſione & cum animadverſionibus viri deſideratiſſimi Gothi Spinæi, Profeſſoris L. Batavi. 4. L. Bat.

Gyraldi (Lilii Gregorii) Opera omnia, complectentia Hiſtoriam de Diis Gentium, & Herculis: Rem Nauticam; Sepulcralia & varios Sepeliendi ritus; Hiſtoriam poetarum Latinorum & Græcorum.

Kalendarium Romanum & Græcum cum libello de annis & menſibus, cum animadverſionibus FAAS. &c. &c 2. vol. folio L. Bat.

Gentii (Georgii) Tribus Judæ, complectens calamitates varias, martyria, diſperſiones, ejectiones, aliaſque res Judæorum & 4. Amſt.

Goodwini Moſes & Aaron, ſeu civiles & Eccleſiaſtici ritus antiquorum Hebræorum &c. &c. editio ultima. 8.

H.

Hollandſe Jaarboeken, of Rijmkronijk van MELIJS STOKE, *behelſende de geſchiedenijſſen des Lands onder de* PRINCEN *van het eerſte Huis, tot den jaare* 1305. *met de afbeeldingen van alle de Hollandſe* GRAVEN, *geſchetſt naar de aloude ſchilderyen der* KARMELITEN *te* HAARLEM, *nevens verſcheide Egte bylagen, betreffende de waare toeſtand der geſchillen tuſſen Graaf* FLORIS *de vijfde, en de* HOLLANDSE EDELEN, *misgaders de beeldenijſſe van Heer* GERARD *van* VELSEN, *en andere oude frayigheden, nooit te vooren in 't Ligt gebragt, alles met nodige uitlegginge opgehelderd door Corn. van* ALKEMADE. *folio.*

Heidani (Abr.) corpus Theologiæ Chriſtianæ. 2. vol. 4. L. Bat.

Heinſii (Nicol.) Bibliotheca, ſive copioſiſſima & præſtantiſſima Librorum in quavis facultate ſupellex. 8 L. Bat.

Horologiographia plana, ſeu nova & facillima in ſuperficiebus planis omnia horologiorum genera deſcribendi Methodus ab H. Coetſio. L. Bat. 4. cum fig.

't Hooglied Salomons rijmſwijze verklaard en uitgebreid door R. Rombouts. folio.

Hoeke (Pet. a) commentarius Analyticus in Epiſtolam ad Hebræos, præmittitur totius hujus Epiſtolæ Analyſis 4. L. Bat.

——— *ontledende uitlegging van het Boek* JOBS, *waar in de aanleiding en 't oogwit der ſpekers vertoond, de redeneeringen verdeeld, de woorden en ſpreekwijſen geopend, de ſaken uitgeleid, en 't gewigt der bewijſen aangedrongen werden tot heilige verdraagſaamheid. Leiden. 4.*

——— *ſchets of ontwerp van kennis en Waarheid, in de Wet, en 't Euangelium, met een byvoegſel van de overeenkomſt en 't verſchil der geloovigen, voor, en onder de Wet, en 't Euangelium. Leiden. 8.*

Hiſtoire des Amours de Lyſandre & Caliſte, en francois & Allem. 12.

Hoveniers of tuinboekje, ſijnde een nieuwe praktijk om Tulpen, Angelieren, Hyacinten enz. te cultiveren, ook de regte boom-Snoeij-konſt. insgelijks van de Orangerij &c. 8. met fig.

——— & topographia Conſtantinopolitana. 24.

Hugeni Aſtroſcopia Compendiaria 4. cum fig.

Hereboord (Adriani) Logica EPMHNEIA, ſeu explicatio Synopſeos logicæ Burgers-dicianæ. accedit ejuſdem Authoris Praxis Logica. edit. noviſſima 8.

Hippocratis Opera, quæ exſtant, omnia, ad alias omnes editiones accommodata. ex nova recenſione J. A. van der LINDEN. 2. vol. gr. & lat. 8.

Hamerſtede (Joh.) Triumphus Eccleſiæ de Babylone, oppoſitus Thomæ Leonardo. 4. L. Bat.

Hurtado (Thomæ) Reſolutiones orthodoxo Moraless. &c. &c. Hiſp. folio.

Iliad

I.

ias van Homerus met kopere platen 12.
nagines veræ Comitum HOLLANDIAE, delineatæ juxta vetuſtiſſimas picturas in Cœnobio Carmelitano HARLEMENSI reperitas. accedit & Effigies Nobiliſſimi Ger. a VELSEN. L. Bat. folio.
uſtinus cum notis Variorum, ex poſtrema recenſione & cum novis emendationibus J. G. Grævii. 8. L. B. ſub prælo.

K.

Ketelaar de Aphtis. 12.
Kirchmannus (Joa·) de funeribus Romanorum. accedunt & aliorum de his commentarii abſolutiſſimi. 12.
——— de Annulis, accedunt Georg. Longi, Abr. Gorlæi, & Henr. Kornmanni de iiſdem tractatus abſolutiſſimi. 12. L. B.
Knibbe uitlegginge en verklaringe over de Sendbrief van Paulus aan de Koloſſenſen. 2. *deelen* 5. *Leiden.*

L.

Larroquani (Math.) adverſariorum ſacrorum libr. His accedit diatriba de legione Fulminatrice. &c. 8. L. Bat.
Logica, ſive ars Cogitandi, in qua præter vulgares regulas plura nova habentur, ad rationem dirigendam utiliſſima ac neceſſaria. 8. ſub prælo.
——— ſive ars ſciendi. ſub prælo.
Letterkonſten geſuiverd van de uitheemſe of baſterd woorden door Winſchoten. 8.
La vie de Guilleaume de Bedel par Burnet. 12. *Amſt.*

M.

Matthei (Ant) Exercitationes Miſcellaneæ 8.

Makenzie (Geo) Antiquitas Regalis Scotorum proſapiæ, qua oſtenditur a quo primum tempore Scotia a Regibus ſit gubernata. Ultraj. 8.

Mathæus (Ant.) de Nobilitate &c. &c. 4. cum figg. L. Bat.

Meulen (Joh.) Statuta & Conſuetudines Diecœſecos Vianenſis & Ameidenſis, deciſionibus munita, acc legibus rationibuſque illuſtrata. 4. Ultraj.

Merulæ (Pauli) Opera poſthuma, de comitiis, legibus, præmiis, Sacrificiis, Sacerdotibus Romanorum cum indice ampliſſimo. L. Bat. 4to.

Meurſii (Joa.) Athenæ Batavæ, ſive illuſtriſſimorum in Acad. L. Batava Profeſſorum vitæ cum horum effigiebus. 4.

Meurſii (Joh.) Regnum Laconicum ſive ejus antiquitates &c. 4.

Monzambanus (Sev. de) de ſtatu Imperii Romanco Germanici. 12.

Monconys, (M.) *Voyages, Où les Sçavans trouveront un nombre infini de nouveautez, en Machines de Mathematique, Experiences Phyſiques, Raiſonnemens de la belle Philoſophie, curioſitez de Chymie, & converſations des Illuſtres de ce Siecle; Outre la deſcription de divers Animaux & Plantes rares, pluſieurs Secrets inconnûs pour le Plaiſir & la Santé, les Ouvrages des Peintres fameux, les Coûtumes & Mœurs des Nations, & ce qu'il y a de plus digne de la connoiſſance d'un honnête Homme dans les trois Parties du Monde. Enrichis de quantité de Figures en taille douce des lieux & des choſes principales, Avec des Indices trés-exacts. 5. tom. a Paris.*

Munkerus (Th.) de Intercalatione variarum gentium, & præſertim Romanorum. 8.

N.

. Teſtament met ſummarien; met Sond en Feeſt daaglijkſe Evangelien door Luther, en de Pſalmen van Lobwaſſer. op fijn papier. 24. Amſt. by Wetſteen.

O.

)vide Metamorphoſe. en francois, avec des figures.

P.

Pars (Adr.) over Pſalm 110. 8.

——— *propheterende Heiland 8.*

——— *Katwijkſe oudheden, van het Huis te Britten, uitwaatering van den Rhijn in de Noord Zee, van 't Klooſter en Abdije van Rhijnsburg en Egmond. &c. 8. met plaaten.*

PEENE (*Marcus van*) *over den Sendbrief van Paulus aan de Romeinen. 4. 2 deelen. Leiden.*

Phedri fabulæ in uſum ſcholarum Hollandiæ & Weſtfriſiæ. 12.

Phædri Fabularum Æſopiarum Libri quinque, cum notis Schefferi & Guieti. cum interpretatione Belgica & gallica. 8.

Palmerii (Joh) exercitationes in optimos fere auctores Græcos qui & illuſtrantur & emendantur. 4.

Poliaeni ſtratagematum libri octo. cum notis Caſauboni & aliorum ex nova recenſione Maaſvicii. L. Bat. 8. gr. & lat.

Prima ſcaligerana cum notis T. Fabri. 8.

Pacii (Julii) Iſagogica in Inſtitutiones, Digeſta, Codicem, Decretales. cum binis indicibus. &c. Ultraj. 80.

——— Analyſis Inſtitutionum, illuſtrata ſcholiis B. Scotani. cum notis perpetuis, accedunt ejuſdem Selecta. ibid. 8.

Picte-

Pictеti (Bened.) profeſ. Genev. Theologia Chriſtian ex puris S. S. literarum fontibus hauſta. 2. tom Genev. 8.

Pollman (Joh. Fr.) Racematio & florum ſparſio to tius Corporis juris civilis, continens annotata ad libros Inſtitutionum; & titulum Pand. de regulis juri folio. Gron.

Plinii Hiſtoria naturalis cum notis Variorum. 8. 3. vo L. Bat.

——— Epiſtolæ cum notis Variorum & 8. L. Bat.

——— Panegyricus. cum notis Variorum. 8. ibid.

Poiret l'Oeconomie divine &c. tant une matiere de Theolog que des Sciences naturelles. 12. 5. *vol. a Amſt.*

R.

Rami (Joh.) Commentarii methodici ad Regulas ju ris, item de Analogia juris. Lov. 4.

Renſſen (Ger.) Res Geſtæ GUILHELMI Magni, & MARIAE Reginæ, elegantiſſimo Horatiano carmi ne deſcriptæ. &c. 4. L. Bat.

Ryky (Th.) Commentarius abſolutiſſimus in Tacitum &c. 2. vol. L. Bat.

Rycquius (juſt.) de Capitolio Romano, in quo illu ſtria ejus olim Ædificia, ſacra & profana: Deorum Dearumque nomina; arcus item triumphales, Co lumnæ, ſtatuæ, Tropea, Coloſſi, cæteraque or namenta accurate deſcribuntur, & plura alia antiquitatis Monumenta proferuntur, emendantur & exx plicantur, ex nova recenſione & cum additionibus J. Gronovii 12. L. Bat. cum fig.

Rombouts (Rum.) over Matheus. 3, *deelen* 4. *Leiden.*

——— *over Math.* 12. 13. 4.

——— *over 't Hooglied van Salomon. folio.*

Rudimenta latina in uſum ſcholarum Hollandiæ. L. B

Ret

Reſpublica Achæorum & Veientium 24.
——— & Hebræorum Monarchia ab Houttuin. 24.
——— & principatus Italiæ. 24.
——— & topographia Conſtantino politana. 24.
——— Græcorum ab ub. Emmio. 24.

S.

Spanhemi (Frid.) opera omnia Hiſtorica, Theologica critica &c. &c. ita aucta, & emendata, ut vere nova haberi valeant, 3. vol. fol. *ſub. prælo.*
Schooten (Fr. a) *Mathematiſe Oeffeningen in 't duits en la-latijn.* 4.
Schmitzii Medicina Theoretico-practica. 12. L. Bat.
Severini, (Adr.) *Mengelſtof van gedigten, als ook geeſtelijke jaarfeeſten over 't Lijden van Chriſtus. Gelukkig herdenken aan de vermaarde belegering van Leiden.* 8.
Stenonis (Nic.) Obſervationes Anatomicæ 12. cum fig.
Spinæi (Goih.) animadverſiones in H. Grotium de jure Belli ac pracis. 4. L. Bat.
Stoke (MELIJS) *Rijmkronijk met de waare afbeeldingen der Graven, en met de opheldering van Corn. Alkemade. folio.* Leiden.
Sontagii (Chriſt.) explicatio titulorum Pſalmorum Davidis, illuſtrata Judæorum Chriſtianorum congeſtis ἑρμηνείαις, collectaneis Medraſchiſis, & verſionibus Targumica, Syriaca, Græca. &c. 4. filuſiæ.
Seldeni (Joh.) tituli honorum cum emendationibus & additamentis. francof. 4. cum fig.

T.

Tachenii Hippocrates Chymicus, & clavis medicinæ 12
Tacitus cum notis & commentariis absolutissimis Thn
Rykii: 12. 2. vol.
Thomsom Epilogismi Chymici. 12.
Thesaurus Electorum Poeticorum Sacro profanus, notii
& Observationibus illustratus. 8. Dord.

V.

Vossii Observationes & notæ in Catullum. 4. L. Bat.
——— (Ger. Joh.) Grammatica contracta, in usum
Scholarum Holl. Westv. accuratissime edita. 8. L. B.
——— Elementa Rhetorica in usum scholar. 8. ibid.
——— & aliorum virorum effigies 4.
——— & celeberrimorum ad eum virorum Epistolæ
&c. folio. Lond.
——— Grammatica latina 8.
Vossii (Math.) *Historise Iaarboeken &c.* 4.
Verissimæ Imagines Comitum Hollandiæ, ut etiam nc
bilissimi. G. a Velsen. folio. L. B.

W.

*Winschoten (Wig.) Zeeman, sijnde een uitleg der spreek
woorden op de Scheepvaard gebruikelijk, of daar van af
geleid. 8. Leiden.*
——— *gesuiverd woordenboek duits en latijn. 8. Lei
den.*
——— *letterkonst volgens de verbeterde spelling en duit
8. Leiden.*

FINIS.